Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deinspirationisb0000dref

1082

DE

INSPIRATIONIS BIBLIORUM

VI ET RATIONE.

AUCTORE

D.RE FRANCISCO SCHMID

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI ORDINARII.



BRIXINAE.

TYPIS ET SUMPTIBUS BIBLIOPOLEI WEGERIANI.

1885.

32677

PRAEFATIO.

Quid de sacris Bibliis in genere tenendum sit, nemo christianus ignorat. Verum ubi de sacrae Scripturae praerogativis profundius et magis in specie inquiritur, vel doctissimi quique haud semel titubare aut haerere deprehenduntur. Saepius theologos primi nominis et viros in studiis biblicis versatissimos in scriptis suis de auctoritate et inspiratione sacrorum librorum non per omnia accurate loqui observavimus. Librum vero, in quo omnia, quae circa inspirationem auctoritatemque Bibliorum scitu digna videntur, accurate, plene debitoque ordine exposita legantur, hucusque nullum reperimus. Imo nonnulla, quae in hac re theologum catholicum merito habent sollicitum, nullibi cum iusta diligentia exposita invenire potuimus.

Nihilominus quis non videt, quanti pro re christiana intersit, ut, quid de inspiratione et de auctoritate sacrae Scripturae in singulis semper rebus tenendum sit, docti saltem viri quam accuratissime noverint? Id non solum in theologo dogmatico, aut in sacro interprete atque in critico sacri textus castigatore apertissimum est, sed etiam de cultore theologiae moralis, de sacri iuris perito, de oratore sacro necnon de scriptore ascetico valet mani-

festo. Imo cum etiam scientiae profanae, ut nostri generis historia, geographia orbis antiqui variaeque scientiae naturales Scripturam sacram haud semel tangant, haec scientia omni viro christiano, qui studet literis, non solum opportuna sed plane necessaria apparet.

Quapropter nos in hoc libro omnia, quae circa inspirationem et auctoritatem Bibliorum quomodocumque scitu digna atque utilia videbantur, in unam disciplinam colligere et, quantum fieri potuit, accurate disserere proposuimus. In hoc opere libros sacrae Scripturae non in abstracto sed magis in concreto, quales de facto sese nobis offerunt, considerandos esse duximus. Quae si prae oculis habeantur, nemo mirabitur, cur nos multas quaestiones, quae primo aspectu ad doctrinam de inspiratione pertinere non videntur, tractationi nostrae inserere voluerimus.

Ceterum hic a nobis proxime non cum hominibus incredulis aut cum haereticis disputatio instituitur, quod alii ante nos in aliis operibus copiosissime et praestantissime fecisse inveniuntur. Nos potius iis, quae ab omnibus catholicis aut communi consensu sponte admittuntur aut invictis argumentis ex documentis fidei admittenda convincuntur, breviter demonstratis ac declaratis in id totis viribus incumbimus, ut omnibus palam faciamus, quid in iis, quae apud catholicos hucusque aut dubia aut incerta videbantur, consequenter ad fidei nostrae principia sentiendum ac retinendum sit. Haec est ratio, cur in referendis et confutandis aliorum sententiis strictam necessitatem nullibi excedere sed potius in exponenda, demonstranda atque illustranda vera doctrina diutius immorari placuerit.

An, quod proposuimus, revera assecuti simus, lector ipse iudicet. Quantum potuimus, fecimus. Quare si post hunc laboris nostri fructum nonnihil obscurum manere aut quaedam hic minus accurate dicta esse videantur, ista alii exponant accuratius. Nostro labori sufficit, si in rebus huiusmodi, quae nobis non levis momenti esse videbantur, aliis occasionem solertius inquirendi praebuisse inveniamur.

Tandem lectorem rogamus, ut, si nonnumquam pro intelligentia eorum, quae proponuntur, aliquem laborem subire cogatur, id ex parte saltem rerum difficultati tribuat.

Brixinae mense Ianuario 1885.

Auctor.

Conspectus totius operis.

Liber primus.

Positiva doctrina ecclesiae.

Pag.

Caput I. Scriptura ab omni errore immunis est 1
Articulus I. Argumentum ex sensu ecclesiae 2
Articulus II. Argumentum ex consuetis Scripturae denominationibus 4
Caput II. Scriptura in omnibus divina pollet auctoritate 9
Articulus I. Argumentum ex consuetis Scripturae denominationibus 9
Articulus II. Argumentum ex sensu catholico 11
Caput III. Scriptura Deum habet auctorem 14
Articulus I. Argumentum ex conciliis et Patribus . . . 14
Articulus II. Argumentum ex Scriptura ipsa 20

Liber secundus.

Quomodo Scripturae inspiratio concipienda sit?

Caput I. Hypotheses extraordinariae quoad divinam libri originem 29
Articulus I. Proponuntur hypotheses mere possibiles . . 30
Articulus II. Eaedem hypotheses quoad factum reiiciuntur 31
Caput II. De theoriis, quae peccant per defectum 35
Articulus I. Praenotiones 35
Punctum I. Variae sententiae 35
Punctum II. Notio libri 38
Articulus II. Mera assistentia ad inspirationem non sufficit 41
Articulus III. Item non sufficit subsequens approbatio . 48
Caput III. Vera doctrina de divina Bibliorum origine 59
Articulus I. Generalis inspirationis descriptio 60
Articulus II. Influxus divinus quoad mentem hagiographi 64
Punctum I. Consideratio praeliminaris 65
Punctum II. Absoluta rei demonstratio 67
Punctum III. Accuratior dictorum declaratio . . . 79
Articulus III. Influxus Dei circa hagiographi voluntatem 89
Punctum I. Vera doctrina proponitur 89
Punctum II. Uberior rei explicatio 95

Pag.

Caput IV. Solutio difficultatum 103
Articulus I. Difficultates ex libro II. Machabaeorum . . 103
Punctum I. Liber iste non est simplex epitome Iasonis Cyrenaei 104
Punctum II. Neque ab eodem pendet quoad rerum veritatem 107
Punctum III. De auctoris labore ac vigiliis 111
Articulus II. De prooemio Evangelii Lucae 114

Liber tertius.

Quo sensu singula inspirata sint ac divina?

Caput I. De locis, ubi non loquitur ipse hagiographus 117
Articulus I. Praenotiones ac generalia principia . . . 118
Articulus II. Iudicandi norma ex persona loquentis . . 122
Punctum I. Quinam sermones ex hoc capite canonicam auctoritatem habeant? 123
Punctum II. Quinam sermones ex hoc capite tali auctoritate careant? 129
Articulus III. De accidentalibus sermonis circumstantiis 134
Punctum I. De actuali statu personae loquentis . . 134
Punctum II. De circumstantiis sermoni extrinsecis . 137
Articulus IV. De approbatione aut improbatione addita . 140
Caput II. De locis, ubi loquitur ipse hagiographus 149
Articulus I. De locis doctrinalibus et historicis 152
Punctum I. De locis significantibus, quid auctor sacer alias senserit 153
Punctum II. De locis doctrinalibus, ubi inter Deum et hagiographum fit distinctio 155
Punctum III. De locutionibus minus determinatis aut dubiis 157
Articulus II. De locis, ubi manifestantur motus animi . 163
Articulus III. De locis, qui praecepta etc. continent . . 169

Liber quartus.

De nexu inspirationis cum sensu mystico.

Praeambulum. Praenotiones de multiplici sensuum genere 178
Caput I. Notio sensus mystici cum quaestionibus generalioribus . 183
Articulus I. Notio sensus mystici 183
Articulus II. Quaestiones generaliores de sensu mystico 189
Caput II. Quaestiones magis speciales 203
Articulus I. De sensu mystico Novi Testamenti 203
Punctum I. Sensus iste indoli Novi Testamenti non repugnat 203
Punctum II. Aliquatenus Novo Testamento revera inest 313
Articulus II. De occultiore genere sensus mystici . . . 225

Pag.

Liber quintus.

De nexu inspirationis cum multiplici sensu literali.

Caput I. Multiplex sensus literalis in abstracto est possibilis . . 236
Articulus I. Notio sensus literalis 236
Articulus II. Rei possibilitas demonstratur 239
Caput II. Circa ipsum factum inquisitio instituitur 245
Articulus I. Auctoritates in utramque partem 248
Punctum I. Auctoritas Patrum 249
Punctum II. Auctoritas scholae 252
Articulus II. Argumenta interna 260
Punctum I. Rationes pro parte negativa 260
Punctum II. Rationes pro parte affirmativa 268

Liber sextus.

De limitibus inspirationis.

Caput I. Inspiratio verbalis reiicitur 283
Articulus I. Argumenta adversariorum reiiciuntur . . . 285
Punctum I. Argumentum ex ratione theologica . . 285
Punctum II. Argumentum ex Scriptura 289
Punctum III. Argumentum ex auctoritate Patrum . 291
Articulus II. Argumenta positiva contra eosdem . . . 297
Punctum I. Argumentum ex stilo 297
Punctum II. Argumentum ex locis parallelis . . . 301
Punctum III. Argumentum ex dissertis Scripturae verbis 303
Caput II. Limites inspirationis accuratius definiuntur 309
Articulus I. Norma iudicandi generalis 310
Articulus II. Terminus inspirationis infimus 312
Punctum I. Finis Bibliorum in genere 312
Punctum II. Consequentiae inde deducendae . . . 317
Articulus III. Supremus inspirationis terminus 340
Punctum I. Finis Bibliorum accuratius determinatur . 341
Punctum II. Consequentiae generaliores inde deducendae 346
Punctum III. Consequentiae magis speciales . . . 350

Liber septimus.

Quomodo liber inspiratus esse cognoscatur?

Caput I. De criteriis inspirationis negativis 365
Articulus I. Criterium negativum ex materia 365
Articulus II. Criterium negativum ex tempore scriptionis 373
Articulus III Criterium negativum ex persona auctoris . 379
Articulus IV Criterium negativum testificationis humanae 385

Pag.

Caput II. De positivis inspirationis criteriis 387

Articulus I. Revelatio divina coniuncta cum traditione catholica est criterium universalissimum et unice per se sufficiens 387

Punctum I. Hoc criterium per se sufficit 387

Punctum II. Sine illo nullum aliud sufficere potest . 390

Articulus II. De insufficientia ceterorum criteriorum in specie 397

Punctum I. Insufficiens est criterium ex persona auctoris 398

Punctum II. Criterium ex libri materia item non sufficit 408

Punctum III. Pariter stilus et efficacia lectionis certum criterium non constituunt 414

Punctum IV. De insufficientia testificationis mere humanae 416

Index rerum 423

LIBER PRIMUS.

Doctrina ecclesiae positive exponitur.

INTRODUCTIO.

1. Pro totius inquisitionis fundamento statuimus, quid de sacra Scriptura revelatio divina nos doceat. Sequemur in hac re exponenda methodum syntheticam, quae, licet in se prolixior videatur, tum quid de sacris libris iuxta fidem nostram tenendum sit, distinctius ob oculos ponit, tum in nonnullis demonstrationem reddit faciliorem firmioremque. His praenotatis ostendimus, secundum ecclesiae sensum de sacra Scriptura tria esse tenenda. Scilicet 1. *Scriptura immunis est ab omni errore;* 2. *omnia, quae in ea continentur, divina pollent auctoritate;* utrumque 3. *eam ob causam, quia Scriptura Deum habet auctorem.*[1] Haec tria, ut consideranti facile patet, ita inter se sunt connexa, ut in subsequenti tum antecedens virtute contineatur, tum novum antecedenti momentum adiungatur. Itaque demonstremus singula per totidem capita materiam distribuentes.

CAPUT PRIMUM.

Sacra Scriptura immunis est ab omni errore.

2. Assertio prima. *Ex doctrina revelata Scriptura sacra habenda est ut immunis ab omni cuiuscunque generis errore.*[2] Hac propositione asseritur, Scripturam non solum in iis locis, qui aperte de rebus sacris tractant et oppido ad religionem pertinent, sed ubique et in omnibus locis et nominatim in iis

[1] Quartum, scilicet libros a synodo Tridentina recensitos omnes et solos spectare ad canonem, a nostro scopo est alienum.

[2] Hic et in sequentibus proxime solum de textu originali loquimur, non vero de versione aliqua aut recensione textus originalis iuxta statum praesentem.

etiam materiis, quae ad religionem nihil pertinere et ubi error per se parvi vel nullius nocumenti esse videretur, omni omnino carere errore. Demonstrationem huius assertionis desumimus 1. ex sensu et consensu ecclesiae; 2. ex consuetis Scripturae denominationibus adhibito in subsidium concilio Tridentino.

ARTICULUS PRIMUS.

Scripturae nullum inesse errorem, testatur sensus et consensus ecclesiae.

3. Sensui ecclesiae refragari nefas esse, hic supponimus ab omnibus concedendum. Hic sensus in re quacunque optime cognoscitur ex sensu Patrum ac theologorum; qui, quid circa aliquam rem sentiant, modo conceptis verbis exprimunt, modo factis et tota agendi ratione manifestant. Igitur expressis verbis nomine omnium Patrum loquatur s. Augustinus, qui, quod ab aliis didicit, ad Hieronymum scribens *(epist. 82. alias 19. c. 1. n. 3.)* ita expressit: «Ego ... Scripturarum libris, qui canonici appellantur, hunc didici timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.» *(Cfr. ibid. c. 2. n. 22. epist. 28. alias 8. c. 3. n. 3.; de genesi ad lit. l. I. c. 13. n. 40. 41. l. V. c. 9. n. 24.; de consensu Evang. l. II. c. 12. n. 28.; in Ioann. tract. 18. n. 4., tract. 45. n. 7., tract. 47. n. 6., tract. 48. n. 1.; de baptis. l. II. c. 3. n. 4.)* Pro theologis testis accedat Melchior Canus. Hic eos, qui ausi sunt dicere: «Levibus in rebus et nihil ad salutem nostram pertinentibus auctores sacri et fallunt et falluntur,» erroris insimulans his verbis concludit: «Nulla in sacris literis levis sed gravis esset falsitas, per quam Scripturae auctoritas elevaretur.» *(De locis theol. l. II. c. 17.)* Ad vim argumenti probe aestimandam adverte, in hac re eos etiam auctores cum ceteris convenire, qui aliunde liberioris sunt ingenii et supernaturalem Scripturarum indolem, quantum ipsis fas videtur, extenuare conantur, iis solis exceptis, qui aperte haereticis aut Rationalistis sunt accensendi. *(Cfr. Perrone praelect. theol. tract. de locis theol. p. 2. sect. 1. c. 2. n. 97.; Calmet in dissertatione de inspir. libr. sacr. art. 2.; Ackermann introd. in libr. sacr. § 24.; Denzinger, Bücher von der relig. Erkenntniss, Buch II. n. 118.; Cherubinus a s. Ioseph, summa criticae sacrae tom. IV. disp. I. art. 4. § 3. et art. 5.)*

4. Secundo Patres et theologos sensum et consensum in re nostra etiam factis totaque agendi ratione manifestasse, patet ex sequentibus. Ante omnia auctores catholici ad unum omnes in exponenda Scriptura sequuntur canonem, quem negativum dicunt et Augustinus *(epist. 28. alias 8. c. 3. n. 3.)* enuntiat his verbis: «Si aliquid in eis sacris offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam.» *(Cfr. ibid. de doctr. christ. l. III. c. 2. segq.; Patritius de interpret. Script. sacr. l. I. c. 5. regul. 3.)* Hinc Patres et sacri interpretes omnes Scripturae enantiophanias, omnes difficultates, quae contra Scripturae veracitatem ex ratione et philosophia, ex astronomia, geographia, chronologia, physiologia, historia etc. enascuntur, sollicite conantur dissolvere et reipsa dissolvunt. Patres vero his non contenti in omnibus fere rebus, quae in Scriptura tanguntur, ut in numeris aliisque, quae omnino profana videntur, mysteria rimantur et haud raro quam maxima in his a se inventa gratulantur. *(Cfr. Lamy apparatus bibl.; Calmet et aliorum dissertationes de hexaëmero, gigantibus, diluvio, aetate patriarcharum, primaeva populorum distributione, origine linguarum, de Iosue X. 13., de chronologia biblica, de harmonia Evangeliorum, de plantis et animalibus biblicis; ad haec commentaria diversorum in huius generis locos et insuper Perrone l. c. n. 120. et 125.; Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift, besonderer Theil passim.)* Hinc denique videmus incredulos et haereticos, qui aliquos libros e canone ecclesiae catholicae reiecerunt, eorum canonicitatem ea ratione impugnare, ut conentur ostendere, legi in eis aliquid cuiuscunque generis falsi, sive contra historiam sive contra geographiam etc. id fuerit. Et sicuti ipsi rem a se victam arbitrantur, si in iis libris vel minimum cuiuscumque generis errorem repererint; ita catholici rem desparatam fore credunt, si errorem confiteri cogerentur. *(Cfr. Bellarminus controv. de verbo Dei l. I. c. 6., 11., 15. et alibi passim.; Marchini de divinitate et canonicitate Bibliorum part. 2. passim; S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1.; Denzinger l. c. n. 118. p. 220.; Hettinger Fund.-Theol. 2. Theil 2. Buch 2. Abschnitt § 27.; et introductiones in singulos libros penes Ackermann, Kaulen l. c. etc.)* Potest denique hoc argumentum facto ipso confirmari. Nam

inde ab antiquissimis temporibus videmus Alogos, Porphyrium, Iulianum Apostatam aliosque haereticos usque ad Lutheranos et recentiores Rationalistas et alios sacrorum librorum hostes omnes nervos intendisse, ut in sacris libris aut in eorum aliquo vel minimam contradictionem aut utcumque aliquid falsi invenirent; nec tamen unquam enantiophaniam aliquam, quae insolubilis sit, aut errorem in quacunque demum re detegere aut ullam difficultatem promovere potuerunt. quae probabilem solutionem non habeat. *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. l. c. disp. I. art. 5. aliique ll. cc.)*

ARTICULUS SECUNDUS.

Idem demonstratur ex consuetis Scripturae denominationibus.

5. Libros, de quibus agimus, in fontibus revelationis passim dici libros *sacros, divinos, canonicos* ut notum supponimus. Solum notamus, has denominationes tertia excepta iam in veteri oeconomia inter Hebraeos invaluisse. Eas deinde Christus Dominus eiusque Apostoli et postea ecclesia eiusque doctores unanimi consensu adoptarunt. *(Cfr. I. Mach. XII. 9.; II. Mach. VIII. 23.; Marc. VII. 13.; Rom. I. 2. III. 2.; II. Tim. III. 15.; Ackermann l. c. §§ 21. 22.; Franzelin in tract. de div. Script. th. I. n. I. et II.; Denzinger l. c. n. 114.; Hettinger l. c. § 26.)* Pro intelligenda tota vi demonstrationis, quam ex his denominationibus desumimus, notandum est, hunc terminum sive modum loquendi hucusque adeo sanctum inter omnes habitum fuisse, ut eum, quantum nobis quidem innotuit, nemo non dicam pius et fidelis ecclesiae filius, sed qui utcumque nomine ac re catholicus haberi voluit, reprehendere aut ut minus proprium attenuare atque ut aliquo modo exaggeratum notare ausus fuerit. [1]

6. His ex communi catholicorum sensu et innixi verbis concilii Tridentini aliud addimus, quod in re nostra maximi est momenti. Libri nimirum nostri non solum utcumque et velut in genere sacri, divini et canonici dicuntur, sed magis in specie

[1] Si Iahn *(introductio in libros sacros Veteris Foederis p. 1. c. 2, § 19.)* terminum, quo Scriptura inspirata dicitur, minus congruum habere videtur, ideo iure ab aliis reprehenditur; nec propterea ipse Scripturae cuiuscumque generis errores tribuere intendit.

imo in singulis etiam suis partibus nulla excepta ut tales habentur. Aliis verbis ut libri integri ita et *singulae librorum partes singulaeque eorum sententiae sacrae et canonicae dicendae sunt.* Concilium enim Tridentinum *(sess. IV. decr. de can. Script.)* docet, libros nostros, de quibus ibi sermo agitur, integros cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis suscipiendos esse. Erit forte, qui ad huius illationis vim infringendam opponat: Tridentinum in hac suae definitionis parte solum spectavit partes Bibliorum, quae deuterocanonicae vocantur, quales v. gr. habentur in libro Esther, Daniel etc. vel concilium locutum fuerat de insignioribus quibusdam partibus, quae tunc temporis a nonnullis in dubium vocabantur, ut v. gr. est Marci caput ultimum, historia de muliere adultera penes Joannem *(VII. 53 — VIII. 11)* etc. Ut ad hanc difficultatem respondeamus, libenter quidem concedimus, patres Tridentinos has etiam partes easque forte praecipue in edendo hoc decreto ante oculos habuisse; at negamus, eos hoc decreto unice has partes tueri voluisse. Nec sine ratione. Alium enim edendi illius decreti scopum eumque multo ampliorem sibi propositum fuisse, ipsum concilium satis aperte indicat, dum decretum concludit his verbis: «Omnes itaque intelligant, quibus potissimum testimoniis ac praesidiis *(ipsa synodus)* in confirmandis dogmatibus et instaurandis in ecclesia moribus sit usura.» In eum igitur finem nostri libri integri cum omnibus suis partibus a sancta synodo pro sacris et canonicis sunt declarati, ut et ipsa synodus et omnes deinceps in ecclesia certum et infallibile habeant instrumentum, ex quo fidei morumque doctrina cum omnimoda securitate desumi auctoritateque divina confirmari possit. Nihilominus dum id ageret, in edendo hoc decreto iis verbis usa est, quae omnes partes Scripturae ex aequo complecterentur, tum eas, quae stricte dogmaticae sunt, tum quae ad fidei morumque doctrinam parum aut nihil spectare videntur. Manet ergo, libros nostros a sancta synodo in omnibus suis partibus dici sacros atque canonicos.

7. Quod modo diximus, magis confirmatur ex iis, quae ibidem in continenti subnectuntur. Additur enim a sacro concilio aliud decretum, quo praecipitur, ut vetus et vulgata *(latina)* editio in publicis lectionibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat.

Hoc praeceptum non solum partes Bibliorum deuterocanonicas respicere sed de omnibus generatim Scripturae partibus intelligendum esse, nemo negabit. Quo posito quaero, quaenam probabilis ratio assignari possit, cur decretum, quod immediate praecedit, accipiatur in sensu restrictiori. Numquid dicemus, sacram synodum in animo habuisse, ut pro rebus, quae agendae erant, de solis partibus deuterocanonicis argumenta depromeret? Ita novo argumento habemus, quod proposuimus h. e. Scripturam in omnibus suis partibus sacram, divinam ac canonicam dicendam esse. *(Cfr. Franzelin de Trinit. thes. IV. n. I.; Kleutgen institution. theol. n. 852.)*

8. His positis en argumentum in rem nostram. Sacro et divino, ubi de sententia vel assertione aliqua sermo est, profecto vix aliquid invenitur, quod magis opponatur, quam falsum aut erroneum; nihilque ex altera parte magis necessario in istis praedicatis videtur includi, quam ut id, quod dicitur aut asseritur, verum sit. Quod ut clarius perspicias, haec notanda proponimus. Veritas aut falsitas eorum, quae in libro aliquo vel in aliqua sententia asseruntur, intimam libri vel sententiae naturam afficit, imo intimam eorum naturam constituit. Quid enim in ultima analysi est liber, quam series quaedam assertionum, quae scripto sunt expressae? Et quid in assertione aliqua magis quaeritur, quam utrum vera sit an falsa? Quod si ita est, ergo liber vel pars libri, ubi falsi aliquid invenitur, profecto sacer et divinus dici nullatenus potest. Ergo ut liber aliquis sine ulla limitatione et multo magis ut expresse in omnibus suis partibus sacer et divinus dici possit, immunis esse debet ab omni omnino errore ac falsitate. Et re quidem vera fac, reperiri in libro aliquo aliquot errores: talis liber, licet errores pauci sint et per se parvi momenti, in rigore neque sacer neque divinus simpliciter dici poterit. Nam, ut per se clarum est, nulla in libro propositio invenitur vel assertio, quae ad librum non pertineat. Et sub hoc respectu singulae propositiones, quibus liber constat, inter se certo sensu homogeneae esse cognoscuntur, cum ex iis tamquam ex partibus integralibus totus liber exurgat.[1] Sicut ergo corpus non potest in

[1] Si quando dicimus, aliquam partem ad certum librum minus pertinere, tale dictum non est accipiendum absolute sed relative, i. e. his verbis dicere non intendimus, illam partem nullo modo ad librum spec-

rigore et simpliciter dici sanum, si aliqua eius pars etiam minima vere aegrotat; ita nec liber dicetur simpliciter et sine limitatione sacer et divinus, si alicui parti haec praedicata tribui nullatenus possunt, sed potius eidem, si in rigore loquimur, praedicata contraria essent tribuenda.

9. Quod modo diximus, ex alio praedicato, quo Scriptura vocatur canonica, uberius illustratur. Canonicum quum de libris dicitur, directe quidem et ex primaeva sua institutione ex nostra sententia aliud non significat, quam librum pertinere ad specialem illum catalogum librorum, qui ab ecclesia inviolabili lege pro speciali aliquo usu adhibentur et in certo numero sancte custodiuntur. Sed cum libri, qui hoc canone concluduntur, tanta auctoritate polleant, ut omnibus infallibilis norma credendi et agendi esse debeant, significatione secundaria et, ut nobis videtur, magis derivata quam primitiva, cum librum canonicum dicimus, significare volumus librum, qui infallibilem continet regulam veritatis. *(Cfr. Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift n. 3.)* Sed quidquid sit de nomine, certe res, quae in hac posteriori acceptione nominis exhibetur, in se est verissima, et Augustinus sine dubio, cum libros Scripturae canonicos vocat, hunc significandi modum haud raro sequitur aut ad eum saltem proxime accedit. *(Cfr. praeter locos citatos n. 3. contr. Faust. Manich. l. III. c. 5. XI. c. 5. et 6; de civ. Dei l. XII. c. 10. XVIII. c. 40.)* Si ergo libri nostri integri et in singulis suis partibus sicut pro sacris ac divinis ita etiam pro canonicis habendi sunt, et canonicum dicitur, quod infallibilem veritatis normam constituit; profecto isti libri in omnibus suis partibus immunes esse debent ab omni omnino errore.

In fine monemus, iis, quae pro duabus assertionibus sequentibus afferemus, confirmari doctrinam praesentem, cum ea virtute et veluti a fortiori in sequentibus inveniatur inclusa. *(Cfr. Du-Pin dissertation preliminaire sur la Bible l. I. c. II. § VIII.)*

Scholion. 10. Multi ut Augustinus, Canus, Denzinger *(ll. cc.)* aliique ea ratione omnem a Scriptura errorem excludere conantur, quod, cum saltem in rebus religiosis infallibilem auctoritatem habere debeat, impossibile vel saltem difficillimum sit distinguere inter res profanas et religiosas, et quod semel ad-

tare — cur enim ab auctore libro fuit inserta? — sed solum significamus, eam partem pro auctoris librique scopo prae aliis minoris esse momenti.

misso in Scriptura aliquo cuiuscumque generis errore tota eius auctoritas subruatur. Nos hoc argumento consulto non utimur, quia licet rem nostram suadeat et forte etiam in hac re lato sensu aliquam certitudinem pariat, non tamen undequaque inexpugnabile nobis videtur. Nam licet illa distinctio inter res profanas et religiosas difficilis sit, non tamen semper et in omnibus omnino impossibilis videri debet. Et re quidem vera, si talem distinctionem privatorum hominum iudicio concedere nullo modo tutum duxeris, cur id infallibili ecclesiae magisterio committi non posset, in cuius manu Scripturae sunt positae et cui ex Dei voluntate Scripturae proxime inserviunt? Id certe omnes illi negare non poterunt, qui cum plerisque theologis docent, vulgatam latinam Scripturae editionem non ubique et in omnibus sed solum in locis dogmaticis esse authenticam. Certum enim illis, qui haec docent, simul esse debet, id pro ecclesiae usu abunde sufficere. Non sufficeret autem, si distinctio inter res profanas et religiosas ecclesiae impossibilis aut nimis difficilis foret. *(Cfr. Franzelin in tract. de div. Script. thes. XIX.)* Ergo quamdiu de absoluta rei possibilitate agitur, concipi potest liber, qui pro ecclesiae usu utilis ac sufficiens sit, licet solum in dogmaticis sit immunis ab omni errore simulque inspiratus, in aliis vero minime.[1] Notandum est tamen, quod ex supra *(n. 8.)* dictis sequitur, eiusmodi librum non ut libros nostros dici posse simpliciter et sine restrictione librum sacrum et divinum vel librum canonicum. Multo minus dici posset canonicus vel divinus in omnibus et singulis suis partibus. Si sacer et divinus aut canonicus dicatur, id fieri debebit cum congrua quadam restrictione h. e. quod sit sacer et divinus aut canonicus in rebus religiosis seu quoad partes dogmaticas.[2] *(Cfr. n. 286.)*

[1] Hoc concedere videtur Schwetz, dum *(theol. general. p. 3. c. 5. sect. 2. art. 1. § 81)* scribit: «Non facile assumi potest, ut, mente a Spiritu divino illuminata, quaedam in ea luce divina perfusa sint, alia autem prorsus non.» Qui enim dicit, rem facile non esse assumendam, absolutam possibilitatem eius concedere videtur. Nos igitur non contendimus, id facile esse assumendum; possibile tamen credimus. *(Cfr. n. 321. n. 33. in nota.)*

[2] Denique hic quaeri posset, quemnam certitudinis gradum habeat haec assertio, quam supra *(n. 2.)* posuimus, in quantum speciatim ad res profanas extenditur. Sed de hac re dicemus in fine libri *(n. 34. 35.)*

CAPUT SECUNDUM.

Sacra Scriptura in omnibus divina pollet auctoritate.

11. Assertio secunda. *Secundum doctrinam catholicam insuper, quidquid in Scriptura asseritur, Dei testimonio innititur ideoque Scriptura in omnibus divina pollet auctoritate.* Haec propositio, quae pari ac praecedens accipienda est amplitudine, ulteriore explicatione non indiget. Item iisdem fere demonstratur argumentis i. e. tum ex sensu catholico tum ex consuetis Scripturae denominationibus. Haec totidem articulis exponemus: inverso tamen ordine procedemus, ut argumentatio evadat validior.

ARTICULUS PRIMUS.

Argumentum ex consuetis Scripturae denominationibus huic assertioni applicatur.

12. Ostendimus supra *(n. 8.)*, assertiones seu sensa omnia, quae in libro habentur, ad librum pertinere quam quod maxime, imo res ac sensa intimam eius essentiam constituere. Hinc iure inferimus: Ut aliquis liber sacer et divinus dici mereatur, requiritur, ut assertiones etiam libri et sensa, quibus constat, vero aliquo sensu sacra et divina dici possint ac debeant. Iam vero assertiones et sensa alicuius libri, quamdiu nonnisi humana gaudent auctoritate, licet in se sint verissima, nunquam vero sensu sacra et divina dici poterunt. Si vero ea divinam auctoritatem habere supponantur, tunc utique verissimo sensu sacra et divina dicenda erunt, ob divinam nimirum, qua gaudent, auctoritatem ac certitudinem.

Ergo Scriptura, ut in omnibus suis partibus sacra et divina dici possit, sicut revera dicitur, in omnibus et singulis, quae ea continentur, divina auctoritate gaudere debet.

13. Neque dicas: Scripturae sensa et assertiones alia ratione dicuntur sacrae ac divinae, nimirum obiective i. e. propter res, quae in ea continentur; est enim rebus sacris et prophetiis, miraculis et supernaturalibus mysteriis plena ideoque hoc sensu sacra ac divina. Insuper omnis veritas aliquo modo sacra et divina dici potest, ideo scilicet quia omne verum ad Deum ut fundamentum et causam exemplarem ultimatim est redu-

cendum et nonnisi ex mente divina, qua ab aeterno cognoscitur, in mentes et scripta humana derivatur. Dum ad hanc difficultatem respondemus, simul efficiemus, ut argumentum nostrum in luce clariore collocetur. Igitur relate ad primum, quod opponitur, notandum est, non omnia certe, quae in Scriptura asseruntur, narrantur et quocunque demum modo continentur, in se sancta et multo minus divina dici posse. Imo econtra multa ibi leguntur, quae in se quam maxime humana, profana imo et diabolica dicenda sunt. Si ergo nihilominus Scriptura tota et nominatim etiam in locis huiusmodi manet sacra et divina, id profecto alio modo intelligi nequit, quam eo, quo diximus, i. e. ob divinam auctoritatem rerumque certitudinem. Ad secundum respondemus negando, quod assumitur i. e. ob dictam relationem ad Deum mentemque divinam, quae de cetero in se verissima est, rem quamlibet aut scriptum dici posse sacrum ac divinum. Secus enim omnes propositiones, quae verum dicunt, sacrae et divinae dicendae essent, quod sensui communi quam maxime repugnat. Aliis verbis nostri libri et veritates, quae in iisdem continentur, non ratione quadam communi, sed modo, qui omnino specialis est, a piis omnibus pro sacris ac divinis habiti semper sunt et hodiedum habentur. Idem deducitur ex eo, quod nostri libri canonici appellantur. Inde enim est, ut teste Augustino *(contra Faust. Manich. l. XI. c. 5.)* libris nostris serviat omnis fidelis et pius intellectus. Iam vero id manifesto in libro postulat auctoritatem humana longe superiorem imo plane divinam.

14. In fine addimus, libros nostros ex usu loquendi catholico, qui a Paulo Apostolo *(Rom. III. 2.)* derivatur, nominari communiter etiam *verbum Dei scriptum*.[1] Haec denominatio ex communi acceptione cum prioribus aut synonyma est aut saltem iis perfecte parallela, ita ut ex hoc parallelismo omnes Scripturae partes, quae divinae et canonicae dicuntur, pari iure verbum Dei dici possint ac debeant. Iam vero quis non videt, ad hanc denominationem verificandam requiri, ut omnia, ad quae extenditur, eadem fide eademque reverentia accipi possint ac debeant, acsi eaedem res ac sententiae ore divino in auribus nostris proferrentur, aut per manum a Deo speciali modo

[1] Cfr. de hac denominatione eiusque usu auctores supra *(n. 5.)* citati.

gubernatam et ad instar instrumenti adhibitam scribi videremus aut aliquando scriptas fuisse sciremus? Gaudent igitur nostri libri ubique et in omnibus divina auctoritate. Id ex sensu catholico magis confirmatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Argumentum ex sensu catholico pro hac re instauratur.

15. Priusquam ad argumentum ipsum accedamus, magis in particulari describendus est modus, quo ecclesia et ss. Patres duce ipso Christo eiusque Apostolis sacris libris uti consueverunt. Igitur videmus, libros Veteris Testamenti saepissime in Novo Testamento citari ut oracula Spiritus sancti, ut divinum divinae revelationis fontem, ut auctoritatem, cui sine sacrilegio nemo audeat contradicere. Et, quod bene notandum est, hac ratione haud semel adducuntur loci, qui prima fronte nonnisi res profanas aut indifferentes continere videntur, et in quibus per se et independenter ab auctoritate eorum, qui in Novo Testamento iis utuntur, nemo aliquid sacri aut religiosi suspicatus fuisset. Nam ex rebus Veteris Testamenti, ut exterius apparet, minimis et interdum ex solo modo loquendi aut narrandi haud raro in Novo Testamento magna eruuntur mysteria. Quis v. gr. ex praecepto mosaico de bove triturante *(Deut. XXV. 4.)*, ex historia patriarcharum, ex transitu maris rubri et itinere in deserto, ex modo, quo in historia Abraham introducitur Melchisedech, tale aliquid colligere in mentem induxisset, qualia his locis revera inesse scriptores Novi Testamenti indubitato testantur? *(I. Cor. IX. 9. coll. I. Tim. V. 18; Gal. V. 22. seqq.; I. Cor. X; Hebr. VII.)* Quis ex eo, quod Deus in Scripturis dicitur Deus Abraham, ex eo, quod Isaias *(LV. 3.)* misericordias David dicat fideles, ex illo ἔτι ἅπαξ penes Aggaeum *(II. 6.)* et similibus ea affirmasset aut intulisset, quae Apostolos et Christum ipsum affirmasse aut intulisse cernimus? *(Cfr. Matth. XXII. 32. coll. Marc. XII. 36; Act. XIII. 34; Hebr. XII. 27.)* Certe talis usus librorum, ita iam hic concludere liceret, supponere videtur, omnia in iis etiam minima et ea, quae per se profana esse et ad religionem nil facere videntur, sicut plena sunt mysteriis, ita, prout ibi narrata et relata inveniuntur, divinam habere auctoritatem. Hoc, quod modo de libris Veteris

Testamenti diximus, sicut in sese indubitatum est, etiam ad libros Novi Testamenti esse extendendum [1], magis apparebit, si perpendatur modus, quo Patres his libris utuntur eosque interpretantur.

16. Patres igitur ecclesiae ante omnia generatim docent, nihil in Scriptura frustra esse positum *(Cherubinus a s. Ioseph. l. c. disp. I. art. 5. disp. III. art. 3. § 2.)* Dein Apostolorum doctrinae et exemplo innixi haud raro in rebus, ut videtur, nullius momenti et omnino indifferentibus, quae in Scriptura leguntur, ut in numeris, in nominibus propriis personarum, locorum etc., in factis historicis, quae in se parvi momenti esse viderentur, et in aliis huiusmodi mysticum sensum rimantur et revera invenisse sibi gratulantur. Accedit, quod tali interpretationis genere haud semel ad res fidei et morum probandas et illustrandas utuntur, huiusmodi Scripturae sensibus haud secus ac aliis divinam tribuentes auctoritatem. *(Cfr. Greg. M. homil. XVII. n. 13: XXI. n. 7; XXIV. n. 5; XXV. n. 1; XXVI. n. 6; XXXII. n. 3; XXXIII. n. 8; XXXIV. n. 7. 9; XXXVI. n. 7; XXXVII. n. 4; Moral. l. I. c. 12; II. c. 26. et alibi passim sicut et in regula pastorali; August. in Psalm. XLIX. n. 9; in Ioann. tract. CXXII. n. 8 et alibi passim; Ambros. in Luc. l. VIII. n. 80 seqq. et alibi; Hieronym. in Matth. XV. 21 seqq.)* [2] Quo posito en argumentum in rem nostram. Sensus mysticus sensum literalem supponit eique ut necessario fundamento superstruitur, ideoque sensus mysticus non potest habere maiorem auctoritatem quam literalis, cui innititur. Si ergo Patres ex omnibus fere Scripturae locis sensum mysticum elicere conan-

[1] Libros Novi Testamenti cum Veteri Testamento unam collectionem eiusdem auctoritatis constituere, nos hic ex sensu catholico supponere possumus et colligitur ex II. Petr. III. 16.

[2] Ne quis offendatur argumento ducto ex hac mystica interpretandi methodo, quae penes Patres frequentissima est, notetur, nos nequaquam omnes mysticas Patrum interpretationes in particulari tamquam indubias defendere. Neque affirmamus, non posse in hac re modum excedi aut neminem unquam nimium in ea re fuisse. Id enim pro scopo nostro non est necessarium. Nobis sufficit monstrasse, ex sensu Patrum Scripturam fere ubique et saepe etiam in rebus ad apparentiam indifferentibus esse plenam mysteriis, quae a Deo Scripturae sunt indita et divina auctoritate firmata. Quod inter alios Irenaeus etiam expressis verbis asserit (contra haer. l. II. c. 28) in hunc modum: Ὅλων τῶν γραφῶν πνευματικῶν οὐσῶν ἐνιά μεν ἐπιλύομεν κατὰ χάριν Θεοῦ, ἐνιά δε ἀνακείσεται τῷ Θεῷ.

tur[1] eidem divinam tribuentes auctoritatem, plane sequitur, eosdem etiam sensui literali ubique divinam tribuisse auctoritatem.

17. Id aliis insuper rationum momentis confirmatur. Ecclesiae Patres et generatim catholici omnes historiam, quae in sacris libris continetur, historiam sacram dicere consueverunt. Et notandum, id non solum obtinuisse prae iis factis, quae ad historiam revelationis qua talem immediate pertinere noscuntur, sed in iis etiam, quae ad hanc historiam parum aut nihil conferre videntur. Hinc colligitur, hanc denominationem non inde solum aut saltem praecipue esse derivatam, quod ibi res sacrae ac religiosae narrantur, sed inde potissimum, quod ea historia auctoritati sanctiori et divinae innititur. *(Cfr. Aug. de civ. Dei l. XII. c. 10. XVIII. c. 40.)* Denique id ipsum ad minimum Patres in iis locis dicere intendunt, ubi affirmant, in Scriptura omnem voculam, omnem apicem esse sacrum plenumque sensibus, omnium, quae in Scriptura leguntur, Spiritum sanctum vadem ac testem existere. *(Cfr. Greg. Naz. de fug. n. 105; Basil. de Spirit. s. c. 1. n. 2; Chrysost. in genes. homil. 21 et 22; Hieronym. in Ephes. c. 3.)*

18. Pari iure pro hac re ad sensum et consensum theologorum provocare licet. Quam anxie theologi et interpretes catholici omnem vel minimum errorem a libris nostris arcere conentur, supra *(n. 3. et 4.)* exposuimus. Id, ut ex conceptis eorum verbis aut ex modo agendi patet, non ideo faciunt, quia humanos horum librorum auctores ab omni erroris suspicione vindicare contendunt, neque pro defendenda simpliciter illarum rerum veritate sunt solliciti, sed pro defendendo Dei honore eiusque infallibili auctoritate tuenda ipsis res esse cognoscitur. Ex ipsorum enim sensu omnis horum librorum falsitas ultimo in Deum recideret, sive error circa rem religiosam versetur sive circa rem utcumque de se indifferentem. Hanc persuasionem inter alios expressit s. Thomas *(2. 2. q. a. 6. ad 1.)* his verbis: «Aliqua sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se sed solum in ordine ad alia, sicut etiam in scientiis quaedam proponuntur ut per se intenta et quaedam ad manifestationem aliorum.... Quaedam proponuntur in sacra Scriptura ut cre-

[1] Testatur Augustinus *(de civ. Dei l. XVII. c. 3. n. 2.)*, aliquos in omnibus plane factis relatis a Scriptura quaerere sensum mysticum, quos ipse non absolute improbat.

denda non quasi principaliter intenta sed ad praedictorum manifestationem.» *(Cfr. Bellarminus controv. de concil. l. II. c. 12. observ. 1. et 3; Ioannes Mariana in dissertatione pro editione vulgata c. 6; Menochius prolegomena in s. Script. c. 6; Bonfrerius praeloquia in tot. Script. c. 8. sect. 7; Serarius prolegomena bibliaca c. 5. q. 20. coll. c. 6. q. 1. c. 7. q. 3. 12. et 13. c. 28. q. 10. Huc denique referendi sunt theologi omnes, qui defenderunt inspirationem verbalem, quorum numerus inter antiquiores est fere infinitus; Kleutgen, Theol. d. Vorzeit. B. I. Theil I. Absch. I. n. 30—40. et hic infra n. 85. 86. et 269.)*

CAPUT TERTIUM.

Scriptura sacra Spiritu sancto inspirante conscripta Deum habet auctorem.

19. Assertio tertia. *Libri sacri Deo inspirante ac velut dictante sunt conscripti, ideoque vere et proprie Deum habent auctorem.* Si in hac propositione Deum dicimus Scripturae auctorem, per hoc nolumus negare, libros nostros ab hominibus fuisse conscriptos; sed solum contendimus, humanos scriptores in his libris scribendis ita fuisse a Deo gubernatos, ut principalis eorum auctor dici debeat Deus, ipsi vero solum tamquam Dei instrumenta sint considerandi. Quare si quando homines eorum auctores dicuntur, habendi sunt ut auctores secundarii, ita ut Deus nihilominus maneat verus et proprius eorum auctor. Hoc demonstrabimus sequentibus duobus articulis 1. ex ecclesiae definitione Patrumque doctrina, 2. ex ipsa sacra Scriptura.

ARTICULUS PRIMUS.

Argumentum ex ecclesiae definitione et ex doctrina Patrum.

20. Concilia assertionem nostram expresse docent. Nam ut cetera taceamus, post varias theologorum dubitationes usque ad nostra tempora protractas *concilium oecumenicum Vaticanum* hanc edidit de libris sacris definitionem: «Eos *(h. e. libros Veteris et Novi Testamenti* [pro sacris et canonicis habet] *ecclesia) non ideo, quod sola humana industria concinnati* sua *(Dei)* deinde auctoritate sint approbati: nec ideo dumtaxat, quod revelationem

sine errore contineant, sed propterea quod *Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem,* atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt.» *(Sess. III. de fide cathol. c. 2.)* Idem iam priora concilia et praesertim Tridentinum satis clare indicaverat, dum ita loquitur: «Sacra synodus orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas... tamquam oretenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.» *(Sess. IV. decr. de can. Script.) (Cfr. Fanzelin l. c. thes. II. n. 1.)* Ex his insuper apparet, verba, quibus *Deus dicitur sacrae Scripturae auctor, esse formulam dogmaticam, quae doctrinam orthodoxam accuratissime exprimit.*

21. Idem docent ecclesiae Patres, qui Apostolos et Novi Testamenti scriptores secuti sine cunctatione in locis innumeris promissiones ex Scriptura depromptas vel comminationes ibidem expressas illis non exceptis, quae non explicite et immediate ex ore Dei proferuntur sed proponuntur directe ex sententia ipsius sacri auctoris aut libri canonici, nominant Dei eloquia, Dei promissiones Deique comminationes. Imo ideo expressis verbis affirmat inter alios *Gregorius Nyssenus (in Eunom. q. VI. oper. tom, II. p. 743. ed. Paris 1858): „Ὅσα ἡ θεία γραφὴ λέγει, τοῦ Πνεύματός εἰσι τοῦ ἁγίου φωναί.“* Eodem modo *Gregorius Neocaesariensis (in annunt. B. M. V. serm. 2.): „Διὰ γὰρ τῆς τῶν ἁγίων προφητῶν καὶ ἀποστόλων γλώττης ὁ κύριος ἡμῶν φθέγγεται. — Ὅταν δὲ ἀναγιγνώσκεται τὸ εὐαγγέλιον ἢ τὸ ἀποστολικὸν, μὴ πρόσσχῃς τῷ βίβλῳ ἢ τῷ ἀναγιγνώσκοντι ἀλλὰ τῷ ἀπ᾽ οὐρανοῦ φθεγγομένῳ.“ Et Chrysostomus (in illud: Vidi Dominum seu Isaiae IV. homil. II. n. 2.): „Τινὲς... ἐπειδὰν ἀριθμὸν χρόνων ἢ κατάλογον εὕρωσι κείμενον ὀνομάτων, εὐθέως παρατρέχουσι καὶ πρὸς τοὺς ἐγκαλοῦντας λέγουσιν· ὀνόματα μόνον ἐστὶ καὶ οὐδὲν χρήσιμον ἔχει. Τί λέγεις; Ὁ Θεὸς φθέγγεται καὶ σὺ τολμᾷς εἰπεῖν, οὐδὲν χρήσιμον τῶν εἰρημένων ἐστίν.“ (Cfr. ibid. homil. XXXI. ad Rom. n. 1.)* Huiusmodi expressiones penes Patres frequentissimae satis aperte ostendunt, Patres Deum habuisse ut auctorem Scripturae. Nam qui loquitur, profecto est auctor eorum, quae loquitur. His alia addere possumus.

22. Ut taceam, non unum sacram Scripturam dixisse literas, quae nobis e coelo a Deo sunt missae *(Aug. in Ps. XC. serm. 2.*

n. 1; Greg. M. epist. 31. l. IV.), doctrinam nostram verbis expressis iisque efficacissimis affirmant et describunt. Ita auctor vetustus *cohortationis ad gentes (c. 8.),* qui a nonnullis creditur Iustinus martyr, scriptores sacros considerat velut organon vel citharam, quae veluti plectro movetur a Spiritu sancto. Et *Gregorius M.* quaerens de auctore libri Iob *(praef. in Iob)* ita scribit: «Quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen *auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit,* qui et in illius opere inspirator exstitit et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Cum ergo rem cognoscimus eiusque rei *Spiritum sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percontamur?» Augustinus (de cons. Evang. l. I. c. 54.):* «Itaque, ait, cum isti scripserunt, quae ille *(Christus)* ostendit ac dixit, *nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit (Christus scil.);* quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. *Quidquid enim ille de suis factis et dictis legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit.* Hoc unitatis consortium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam *si ipsam manum, quam in proprio corpore gerebat, scribentem conspexerit.» Leo M. (de Pass. Domini serm. XVIII. n. 3.)* Evangelia dicit *digito Dei scripta. Ambrosius (in Luc. procm. n. 3.):* «Non conatus est, ait, Matthaeus, non conatus est Ioannes, non conatus est Lucas, *sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante* sine ullo molimine coepta compleverunt.[1] *(Cfr. Patres alii penes Franzelin I. c. thes. II. n. 3; Cherubin. a s. Ioseph. l. c. n. 16; Perrone de locis theol. p. 2. c. 2; Kleutgen l. c. n. 32; Heinrich, Dogm. Theol. B. 2. Kap. 3. § 68; Denzinger l. c. n. 114.)*

23. Hic forte aliquis obiiciet: Comparationes, quae in hac re a Patribus adhibentur, certe non in omnibus quadrant, ideoque non nimis sunt urgendae. Ad hanc difficultatem solvendam et rem ulterius declarandam concedimus libenter, comparationes, quae penes Patres occurrunt, non in omnibus quadrare

[1] Cfr. ibid. n. 10. ubi dicit: «Quatuor tantummodo eorum *(qui scripserunt Evangelium),* qui divinam meruerunt gratiam, sunt recepti» *(ab ecclesia scilicet in numerum canonicorum scriptorum.)*

ad amussim et contra mentem eorum fore, si quis eas in omnibus ad unguem premendas censeret. At concedere non possumus, eas comparationes prae eo, in quo punctum comparationis consistit, exaggeratas et minus accuratas esse. Secus enim Patribus ipsis exaggeratio tribuenda foret. Iam vero punctum comparationis in re nostra sine dubio versatur circa originem librorum. Quare his comparationibus *scriptores humani evidenter exhibentur ut tales, quibus Deus vero ac proprio sensu ut instrumentis* sit usus eo fere modo, quo lyra vel plectrum instrumentum musici, calamus aut manus instrumentum scribentis, lingua instrumentum loquentis esse solet. Itaque revera ex sententia Patrum *libri sacri proprie ac principaliter Deo ut auctori sunt adscribendi;* sicut melodia adscribitur musico non lyrae, elucubratio literalis tribuitur auctori, qui scribit per manum ac calamum, non calamo aut manui, quibus utitur, verbum ore prolatum vindicatur personae non linguae loquentis.

24. Propter rei gravitatem hic aliud monere libet. Librum esse inspiratum et Deum habere auctorem, ex sensu Patrum et concilii Vaticani ut synonyma habentur. Item librum aliquem dici inspiratum, aut divinum, aut sacrum, aut canonicum in sensu ecclesiastico si non synonyma at certe sunt essentialiter connexa et veluti parallela, ita ut liber in tantum sit sacer et divinus etc., in quantum est inspiratus et vice versa. Quare si *libri nostri,* ut ostendimus, non solum in genere, sed *in singulis suis partibus* sacri, divini et canonici sunt, eodem omnino modo et cum eadem extensione dicendi *erunt inspirati Deoque auctore conscripti.* Et revera, si quaeras cur libri nostri sint sacri, cur immunes ab omni errore; respondent omnes auctores catholici, quia sunt inspirati. Quodsi deinde, quid ad inspirationem requiratur, diversi diversimode explicant et quidam eorum Dei influxum, qui ad inspirationem requiritur, in aliquibus Scripturae partibus multum extenuare et fere ad nihil reducere videntur; haec alia est quaestio, quam suo loco tractabimus. Quod enim ulterius quaeritur, illud est, num tales auctores sibi constantes sint et verum inspirationis conceptum ubique retineant. Id a nobis libro sequenti declarabitur. Modo nobis sufficit indicasse, *Scripturam,* sicut in omnibus est canonica et immunis ab errore, ita et *in omnibus dicendam esse inspiratam Deumque habere auctorem. (Cfr. Kleutgen opusculo*

de sententia Lessii in append. ad Schneemann de controv. div. grat. II. n. 11.)

Scholion. 25. Tam constans est in hac re Patrum consensus, ut qui strictum inspirationis conceptum pervertere conantur, in eorum scriptis vix unum alterumve locum invenire potuerint, qui seriam difficultatem creare possit. Quae hinc inde in contrarium afferuntur, fere sunt sequentia vel similia. *Origenes (in Num. homil. XVI. n. 4.)* dicit, aliquando Prophetas aliqua de suo scripsisse. *Ambrosius (in Luc. l. VIII. n. 7. et 8.)* loquens de libello repudii: «Moyses, inquit, permisit, non Deus iussit. Ostendit autem hic locus, quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta.» *Hieronymus (in Ierem. c. XXVIII. v. 10.):* «Multa, ait, in Scripturis sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non quod rei veritas continebat;» et iterum *(ad Galat. V. v. 12.)* monet, Paulo Apostolo, dum eis, qui ecclesiam Galatiae conturbabant, maledixerit, humani aliquid accidisse; alibi denique *(ad Mich. c. V.)* dicit, Apostolos vel Evangelistas, cum non ex codice testimonia carpserint, sed memoriae, quae nonnunquam fallitur, in citando fisi fuerint, interdum unum verbum pro alio posuisse. Postremo *Gregorius M. (in II. Reg. VII. v. 3. seqq.)* cum Origene concedit, etiam veros Prophetas interdum falsa dicere posse et reapse dixisse. *(Cfr. Denzinger l. c. n. 118.)*

26. Quid ad haec dicendum? Primo notandum est, licet quid ad haec responderemus, non inveniretur, non tamen propter haec pauca paucorum Patrum testimonia constans omnium Patrum doctrina, quam cum aliis hi ipsi Patres in aliis locis non ambigue sequuntur, foret deserenda. Ad summum per haec nostrae assertionis certitudo aliquantulum minueretur. Sed non est difficile invenire, quid ad singula respondeatur. Quod dicit Origenes aut cum Patritio *(de Scripturis div. commentatio § VI. p. 25.)* non ad Scripturae sensa, de quibus modo sumus solliciti, sed ad sola verba materialia, ad quae praesens quaestio non extenditur, referendum est; aut si Origenes etiam de rebus loquitur, solum asserit, reperiri seu referri *nonnunquam in Scriptura praecepta, quae iuris humani* sunt, aut in ea interdum exprimi humanos affectus auctoris humani aut alterius personae, quae loquitur. Porro haec et similia quomodo intelligenda sint et qua ratione per ea inspiratio Scripturae, qualem nos defen-

dimus, nullatenus laedatur, suo loco ex professo tractabimus. *(l. III. n. 167 seqq.)* Eadem responsio applicari potest loco Ambrosii itemque secundo loco Hieronymi. Concedimus tamen, nenes Ambrosium expressionem esse duriorem. At sensus est planus. Gregorius vero, ut apparet, non loquitur directe de Scriptura aut de scriptoribus sacris, sed agit de Prophetis, qui oretenus loquuntur, et quod iis verbis docet, aliud non est, quam accidere posse, ut viri, qui alioquin veri sunt Prophetae et saepius imo communiter qua tales loquuntur, aliquando per errorem credant, ex inspiratione se loqui, dum reapse inspirati non sunt, et ita decipiantur. Iam vero haec, ut apparet, sui generis quaestio est, quae cum praesenti quaestione necessarium nexum non habet. Nos enim cum omnibus contendimus, sacros scriptores, dum scriberent, revera et non solum apparenter inspiratos fuisse. Quare sacros auctores aliquando falli, sicut Gregorius loco citato non dicit, ita a mente eius alienissimum est. Manent ergo solum duo loci Hieronymi, qui majorem difficultatem creare videntur. Sed ante omnia notetur, Hieronymum quoad doctrinam de inspiratione a ceteris Patribus certe non discrepare.[1] Deinde in primo loco, si inspicis contextum, auctor aliud dicere non intendit, quam auctores sacros uti interdum modo loquendi vulgari, in quo, si verba sumerentur stricte et ut sonant, diceretur utique, quod est falsum. Sed quia verba eiusmodi ab hominibus aut semper aut saepissime sumuntur et intelliguntur sensu, qui ab eo, quem stricte sonare videntur, diversus est, ideo in iis nihil falsi revera inest. Quod inde apparet manifesto, quia Hieronymus ibi improbat modum agendi septuaginta interpretum, qui in ver-

[1] In hanc rem Hieronymus *(epist. XLVI. alias XVII. n. 6. ad Marcellam)* ita scribit: «Scire te volumus, omnem sanctam Scripturam non posse sibi esse contrariam» et iterum *(epist. XXVII. alias CII. n. 1. ad eandem)*: «Responsum habeant *(improbantes novam versionem Evangeliorum)* non adeo hebetis me fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de dominicis verbis corrigendum putaverimus aut non divinitus inspiratum.» Locus prior per se clarus est. Quoad posteriorem locum haec notentur. Nomine verborum dominicorum auctor intelligit Evangelia; porro Evangelia ex omnium sententia quoad inspirationem aliis libris Scripturae, substantiam rei quod attinet, nequaquam antecellunt. Quare ex utroque loco sententia Hieronymi manifesto apparet ceteris Patribus per omnia conformis.

sione sua Ananiam pseudoprophetam Prophetae nomine cohonestare nolebant, quod Ananias in textu originali reapse fecit. Unde ad rem istam magis declarandam affert exemplum ex Evangelio, ubi Ioseph, Mariae sponsus, pater Christi dicitur, licet de facto naturalis Christi pater non fuerit idque sacer auctor optime noverit. Ultimum Hieronymi locum quod spectat, difficilis est ad eum responsio, et reapse viro alioquin omni veneratione digno, si tamen ibi ex propria sententia loquitur, ut et in aliis nonnunquam humani aliquid accidisse videtur. Nam lapsum memoriae, quem ibi Hieronymus sacris auctoribus tribuit, non licet ad sola verba restringere, ita ut verbis mutatis nihilominus vera sacri auctoris, qui citatur, sententia ab eo, qui citat, retenta esse dicatur. Ita enim legimus in contextu: «Sunt, qui asserunt, in omnibus fere testimoniis, quae de Veteri Testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur aut verba et interdum sensus quoque ipse diversus sit, Apostolis non ex libro etc.» At notandum est, Hieronymum ibi directe saltem non propriam sententiam aperire, sed potius aliorum sententiam referre voluisse; quam utrum probet ipse nec ne, ex modo, quo hic auctor alias agere solet, incertum manere dicendum est. *(Cfr. infra l. III. n. 177. Pro cognoscendo sensu theologorum in hac re cfr. Suarez de fide disp. II. sect. 5. n. 2. et 4; disp. III. sect. 10. n. 4; disp. V. sect. 3. n. 5. 8. 14. 15; Gutberlet, Buch Tobias p. 31. et 57; Zeitschrift für kath. Theologie. Innsbr. 1879. p. 611.)*

ARTICULUS SECUNDUS.

Argumentum ex sacra Scriptura.

27. Scripturae locus classicus ad assertionem nostram probandam invenitur penes Paulum,[1] qui ad Timotheum *(ep. II.*

[1] Si ad demonstrandas Scripturae praerogativas recurrimus ad Scripturas ipsas, ex traditione catholica et ex sensu ecclesiae supponimus, epistolas Pauli et Biblia generatim in rebus saltem dogmaticis infallibilem habere auctoritatem. Insuper hic supponimus, quaestionem de canone Scripturarum ex aliis revelationis fontibus esse solvendam et reapse solutam eo sensu, ut omnes libri, qui in ecclesiae catholicae canone habentur, quoad rei substantiam eiusdem originis et auctoritatis sint habendi. Quomodo vero in hac re nullus sit circulus vitiosus, non est nostrum ostendere et consideranti per se patebit. *(Cfr. Franzelin l. c. thes. VII. in scholio.)*

c. III. v. 15—17.) scribit in hunc modum: «Ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere per fidem, quae est in Christo Jesu. *Omnis Scriptura divinitus inspirata* utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in institia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.» Ex hoc textu *duo colligimus:* 1. *Scripturam esse divinitus inspiratam seu, quod idem est, Deum habere auctorem;* 2. *hanc Scripturae praerogativam ad singulas Scripturae partes pertinere.* Primum, quod ponimus, saltem ut priori modo exprimitur, a Paulo conceptis verbis asseritur. Sed ut totum, quod dicimus, retineri tuto posse appareat, paucis ostendendum est, *idem dici, dum dicitur Scriptura esse inspirata et* dum dicitur *Deum habere auctorem.*

28. *Divinitus inspiratum* seu, ut habet textus originalis, *θεόπνευστον,* dum de aliquo libro dicitur, si in *nativa sua significatione* sumatur, *significat,* librum extraordinario Dei influxu, — non enim omnes libri, licet boni et religiosi fuerint, inspirati dicuntur vel dici possunt, — originem sumpsisse, seu librum Spiritu Dei repletum esse idque ea de causa, *quod eidem Deus influxu positivo,* qui huic effectui producendo par sit, *sensa divina divinumque veluti spiritum indidit et veluti inspiravit.* Id vero alio modo fieri non potuit, quam si Deus librum aut formaliter aut virtualiter dictaverit. Quodsi Deus hominis operam in hac re adhibere voluerit, hominem istum in tota eius activitate sibi tamquam instrumentum et veluti amanuensem subordinare debuit. Per hoc fit, ut non homo sed Deus verus et principalis auctor illius libri dicendus sit.

29. Id confirmatur sequenti consideratione. Scriptura haud raro de Prophetis loquitur, qui et ipsi inspirati dicuntur. Iam vero nomine Prophetarum designantur viri, qui spiritu divino repleti et a Deo acti ut Dei internuncii et veluti in agendo et loquendo vicarii sunt habendi, ita ut non tam ipsi quam Deus per ipsos agat et loquatur. Id significatur a Petro Apostolo *(ep. II. c. I. v. 21.)* his verbis: *„Non voluntate humana allata est aliquando prophetia sed Spiritu sancto inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) locuti sunt* sancti Dei homines.» Iam vero scriptores sacri, cum et ipsi inspirati dicuntur, certe non minus efficacem Dei influxum experti sunt quam generatim Prophetae. Imo hoc loco Apostolus primarie scriptores sacros ante oculos

habuisse videtur. Quod enim verbis allatis intendit ostendere, illud est, quod praemiserat *(v. 20.)* i. e. cur prophetia Scripturae propria interpretatione non fiat. *(Cfr. Kleutgen in opusculo de sententia Lessii in append. ad Schneemann controv. de div. grat. II n. 9.)* Et re quidem vera si quod discrimen inter propheticam locutionem et librorum sacrorum scriptionem ex rei natura et ex vi terminorum assignandum est, illud nonnisi in eo collocatur, quod in locutione prophetica extraordinarius Dei influxus terminatur ad verbum ore prolatum, in scriptione vero inspirata ad verbum praecise qua scripto expressum est. Porro discrimen huiusmodi assertionem nostram nullatenus laedit. Ita demum intelligitur, quomodo per verba Scripturae Deus ad homines loquatur, eosque exhortetur, terreat etc.; quomodo sacri scriptores in Deo et per Deum sint locuti, sicuti in Scriptura ipsa iterato legimus, dum hinc inde in rem suam a sacris auctoribus verba ex aliis Scripturae libris adduxerunt. *(Act. I. 16; IV. 25; Rom. I. 2; Hebr. I. 6. III. 7. IV. 7. X. 15; Matth. XXII. 43; Marc. XII. 36; II. Reg. XXIII. 2. etc. Cfr. Franzelin l. c. thes. II. n. II.)* His et similibus, ut patet, id quod asserimus, novo Scripturae testimonio confirmatur.

30. Superest, ut ex loco Pauli colligamus, quod secundo loco proposuimus, i. e. *inspirationem,* quantacumque est, *ad omnes et singulas Scripturae partes pertinere.* Ad hoc comprobandum vim ponimus in istis verbis: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος.* Ut horum vim verborum recte intelligas, ante omnia attende ad scopum Apostoli. Apostolus hoc loco totus in eo est, ut discipulum ad frequentem Scripturae lectionem usumque inducat. Quare adiectivum illud *divinitus inspirata, θεόπνευστος,* sumi non potest sensu restrictivo, ac si Apostolus, qui antea generatim de sacris Scripturis locutus est *(τὰ ἱερὰ γράμματα),* modo non totam Scripturam sed aliquas solummodo eiusdem Scripturae partes utiles esse dicat, eas nimirum, quae inter ceteras divinitus inspiratae esse noscuntur. Sumendum est potius illud adiectivum in sensu explicativo vel, quod fere in idem recidit, in sensu causali, quo Apostolus dicit, omnem Scripturam, utpote divinitus inspiratam vel quia est divinitus inspirata, utilem esse etc. Si enim Apostolus non totam Scripturam sed aliquas solummodo eiusdem partes inspiratas et qua tales ad scopum indicandum utiles

dicere voluisset, sane eas partes pro scopo assequendo accuratius designare vel saltem normam aliquam indicare debuisset, qua Timotheus partes inspiratas a non inspiratis discerneret. At nihil tale fecit Apostolus. Adhuc clarius colligitur idem ex textu graeco, qui, ut communiter est receptus, habet *καί* inter *θεόπνευστος* et *ὠφέλιμος*. Ita *θεόπνευστος* non est adiectivum pro subiecto, sed praedicatum et in rigore vertendum esset: «Omnis Scriptura est divinitus inspirata et utilis.» *(Cfr. Franzelin l. c. thes. II. n. III. 3; Patritius l. c. § V.)* Ex hoc luce meridiana clarius habemus, ex sententia Pauli totam generatim Scripturam esse divinitus inspiratam.

31. Insuper magis in particulari demonstrandum suscipimus, *singulos Scripturae textus inspiratos dici ab Apostolo.* Hunc in finem quaerimus, quid hoc loco phrasis *πᾶσα γραφή* praecise et immediate significet? *Contendimus igitur, hoc idem esse, ac si diceretur: „Omnis Scripturae textus, omnis totius Scripturae sententia etc.“* Et re quidem vera, graecum vocabulum *πᾶς*, articulo non adiecto, ut docent grammatici, sensum habet distributivum non collectivum. Ergo hic locus in rigore sic verti posset: «Quaecunque Scriptura, seu quidquid nomine Scripturae venire potest, divinitus inspiratum est.» Hic opponere quis posset: Scripturae vocabulo aliud intelligere non possumus, quam aut totam librorum sacrorum collectionem aut singulos libros sacros. Quod si ita est, ex praedicta observatione circa vim distributivam illius particulae ad scopum nostrum nihil alicuius momenti sequitur. Ex ea enim ad summum habetur, singulos libros esse inspiratos. At hoc est, quod negamus, nimirum nomine Scripturae nonnisi aut integram librorum collectionem aut singulos libros venire posse; et contra contendimus, usu biblico hoc nomine optime designari posse et reapse saepius designari singulas Scripturae sententias, singulosque eius textus. Legimus enim: *ἐπληρώθη ἡ γραφή, ἡ λέγουσα (Marc. XV. 28; Iacob. II. 23.)* et *ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ. καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει (Ioann. XIII. 18; XVII. 12; XIX. 36. 37.)* et: *ἐν Ἠλίᾳ (h. e. in illo libro, qui agit de Elia et ab eo nomen accepit) τί λέγει ἡ γραφή (Rom. XI. 2.)* et: *οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε. Λίθον κ. τ. λ. (Marc. XII. 10.)* et: *ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφήν, ἣν προεῖπεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον περὶ Ἰούδα. (Act. I. 16.)* *ἔδει πληρωθῆναί τὴν γραφήν, ἣν προεῖπεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον περὶ Ἰούδα ... Γέγραπται γὰρ ἐν*

βίβλῳ ψαλμῶν κ. τ. λ. (ibid. v. 20. Cfr. Act. VIII. 35. coll. 32.) In his locis quid aliud nomine *γραφῆς* directe et immediate intelligitur, quam singuli quique textus, qui afferuntur? Certe Ioannes *(l. c.)* non librum cum libro comparat sed textum cum textu et textui priori alterum adiungere intendit, dum dicit: *ἑτέρα γραφή* et per *τὴν γραφὴν ταύτην* penes Marcum aliud intelligi non debet quam sequens textus. Clarissime ultimo loco ex Actibus pars, quae ante dicta fuerat *περιοχή*, postea dicitur simpliciter *γραφή*. Quum ergo ex usu loquendi, qui tempore Christi frequens et scriptoribus Novi Testamenti familiaris erat, nomine *γραφῆς* ex una parte intelligi possint singulares textus et ex altera parte particula *πᾶς* in hoc loco habeat vim distributivam et distributio ex natura sua in ultima elementa fieri debeat, Apostolus satis clare singulos Scripturae textus singulasque sententias dixit inspiratas. Postremo ei, qui huic demonstrationi non acquiescit et inspirationis praerogativam ad partes aliquas determinatas aut ad res sacras et religiosas restringere vellet, reponere possumus: Ubi Scriptura non distinguit, ex regula generali neque nos distinguere debemus.

32. Hic e vestigio oritur *difficultas*. Si loco citato praedicatum *divinitus inspirata* ad omnes et singulos Scripturae textus pertinet, idem de altero praedicato *utilis ad docendum* etc. dicendum erit. Iam vero vix apparet, quomodo omnes et singuli Scripturae textus utiles dici possint ad docendum et quidem ad docendum in iustitia, ut ibi expresse additur. Inveniuntur enim in sacris libris multi textus multaeque sententiae, quae mere de rebus profanis v. gr. geographia, profana historia etc. agunt; quae quomodo ad praedictum scopum conferre aliquid possint, certe non facile intelligitur.

33. Ut huic difficultati respondeamus, concedere possumus, haud paucos Scripturae versiculos res mere profanas continere et proinde ad docendum in iustitia immediate ac directe servire non posse. At si non immediate et directe iuvant mediate et indirecte, quod abunde sufficit, ut in coniunctione cum aliis utiles ad dictum finem dici possint. Quod ita uberius declaramus. Deus ex sua sapientia homines de religione inter alia instruere voluit etiam per libros sacros, qui in forma humana partim epistolarum, partim historiae etc. compositi doctrinam revelatam continerent. Iam vero talium librorum forma

ac natura omnino postulat, ut hinc inde rebus religiosis res profanae, ut salutationes, notitiae geographicae et historicae etc. misceantur. Insuper sine dubio in Dei intentione erat, ut isti libri ab infidelibus etiam saltem ut libri humana fide digni in honore haberentur, quippe qui ex ipsa eorum indole ab hominibus certis ac fide dignis certo tempore et loco editi fuisse cognoscantur. Quid igitur mirum, si in illis, ut huic scopo secundario magis adaptentur, quaedam profana et pro religione indifferentia cum religiosis mixta inveniantur? Haec rebus sacris, quae librorum nucleum constituunt, veluti pro cortice esse debent. Quae cum ita sint, ea ad scopum principalem nequaquam inutilia dici possunt, sicuti neque cortex pro nucleo inutilis dicitur. *(Cfr. August. contr. Faustum Manich. l. XII. c. 7. seqq. 37; XXII. cc. 94 et 96; s. Thom. 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1.)*[1] Ceterum si modum consideres, quo Patres sacros libros interpretantur et usui ecclesiastico accommodant, vix in iis invenies locum, qui non aliquo modo aut mysticam interpretationem cum sensu religioso admittat, aut aliunde sive ut exemplum virtutis aut vitii, sive ut divinae sapientiae, bonitatis et iustitiae manifestatio, sive ut notatu digna sacrae historiae circumstantia principali Scripturae scopo, qui totus religiosus et sacer est, plus minus etiam directe et immediate inserviat. Certe exaggeratum dicere non possumus, quod scribit Apostolus *(Rom. XV. 4.)*: «Omnia, quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.»[2]

[1] Instabis: Cur etiam haec profana inspirata fuerunt, cum pro fine Scripturae inspiratio rerum religiosarum sufficiens appareat? Respondemus: Nos haec affirmamus, non quia a priori necessaria sunt, sed quia sensus catholicus ita habet. Si Deo, ipso teste, ita res disponere placuit, quis eius largitatem vituperare audeat? Quodsi ulteriorem huius rei rationem postulas, audi. Licet non impossibile *(cfr. n. 10.)* certe non adeo facile est, religiosa et sacra ab indifferentibus et profanis tuto discernere. Quare Deus in Scriptura omnia inspirata esse voluit, ut nemo in hac rerum distinctione persequenda nimium fatigari cogeretur. Insuper si in libris nostris quaedam reperirentur, quae utcumque minoris auctoritatis minusque sacra ac divina haberentur, incredulis facile ansa praeberetur, qua aliorum etiam auctoritatem et divinitatem extenuare conarentur. Quare ut semel pro semper omnis huiusmodi dubitatio e medio tolleretur, Deo rem ita ordinare placuit, ut libri, qui religiosae institutioni servire debent, quoad omnia inspirati divinaeque auctoritatis essent.

[2] Afferunt increduli et Rationalistae alia argumenta et maxime varios

Scholion. 34. Ex dictis res indifferentes et profanae, quae in Scriptura continentur, nullo modo de errore suspectae esse possunt, imo divinae auctoritati inniti cognoscuntur, cum Scriptura in huiusmodi locis non minus inspirata sit quam in ceteris. Quaeres nihilominus, *quanam haec gaudeant certitudine?* Ut in solutione huius quaestionis tutius procedamus, ante omnia referre libet, quid insignes theologi de hac re sentiant. Igitur Bellarminus *(controv. de verbo Dei l. I. c. 6.)* ita scribit: «Postrema eorum *(scilicet impugnantium sacros libros)* haeresis est, qui in ipsis b. Pauli epistolis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu sancto, sed aliqua interdum sola prudentia humana duce.» Melchior Canus *(de loc. theol. l. II. c. 17.)* postquam docuerat, singula quaeque, sive magna sive parva, a sacris auctoribus Spiritu sancto dictante esse edita, ita concludit: «Id a Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est, id itaque et nos ecclesia praesertim ipsa magistra et duce retinere debemus.» *(Cfr. s. Thom. II. 2. q. 110. art. 3; August. de genes. ad lit. l. I. c. 20. et 21. n. 40. et 41. et alibi passim; Leo M. de Pass. Domini serm. XIII. n. 1.)* Vides Canum, quod Bellarminum fecisse vidimus, usque ad notam haeresis expresse saltem non procedere. Imo apud alios auctores magni nominis occurrunt nonnulla, quae huius rei certitudinem magis adhuc extenuare videntur. Ita Patritius *(l. c. § VI. p. 17.)*: «Sunt, inquit, qui quaerant, an Deo inspirante conscripta credere oporteat ea minima, familiaria, tralatitia ac nullius, prout videtur, momenti, quae cur in Scripturas relata sint, non apparet; quod genus sunt Tobiae canis cauda blandiens, Pauli penula, hospitium, quod is Philemonem sibi parare iubet, salutationes, quae sunt in eius epistolis et cetera. Itaque, subiungit hic auctor, qui negaret, non hunc equidem damnare sed neque negare ipse ausim.» Item teste Du-Pin *(dissertation preliminaire sur la Bible l. I. c. 20. § 8.)*, Holden docuit, in rebus, quae ad religionem non spectant, sacros auctores non maiorem habuisse Dei assistentiam, quam alii pii auctores. *(Cfr. infra n. 285 seqq.)* Id saltem cen-

Scripturae locos, ut inspirationem aut generatim impugnent aut ad paucos locos restringant. Sed ea tanti non sunt, ut pro scopo nostro iis respondere aut necessarium aut utile censeamus. *(Cfr. Denzinger l. c. n. 113; Perrone l. c.)*

suit Holden, eum, qui de iis dubitaret, non peccare contra fidem. *(Cfr. Cherubini a s. Ioseph. l. c. disp. I. art. IV. § 3.)* Denique etiam Patrum loci, quos supra *(n. 25.)* retulimus, in diiudicanda huius doctrinae certitudine considerandi esse videntur. Si enim eorum tempore doctrina, qualem hucusque exposuimus, quoad omnia in fide ecclesiae omnino explicita reposita fuisset, vix intelligitur, quomodo Patres aliquando iis verbis, qui reapse parum in se accurata sunt, uti potuerint praesertim sine nota aliorum.

35. Ut igitur in hac re sententiam nostram aperiamus, *credimus, doctrinam, quam proposuimus, quoad illam specialem assertionem, quae immunitatem ab errore, divinam auctoritatem et inspirationem ipsam ad res indifferentes etiam minimas extendit, non esse de fide* et contrariam non esse haeresim. Concilium enim Vaticanum, cuius definitio hic potissimum in considerationem venire debet, solum generatim de Scripturae inspiratione tractat, nec expresse de singulis eius partibus etiam minimis loquitur. Neque de Tridentino est immediate evidens, illud de singulis quibusque textibus locutum fuisse, iis nominatim non exceptis, qui in se minimi momenti esse et ad religionem nihil pertinere videntur. Postremo neque sensus catholicus, prout ex toleratis nonnullorum de hac re ambiguis et minus accuratis locutionibus, ex modo loquendi nonnullorum Patrum, ex verbis item minus accuratis, quae ab auctoribus ceteroquin piis et eruditis hinc inde sparsa inveniuntur, necnon ex methodo, quam aliquando in conciliandis variis Scripturae textibus cum scientiis profanis auctores catholici sequuntur, satis aperte colligitur, non adeo expressus et determinatus est, ut, qui ei contraire audeat, sine haesitatione haeresis notam mereatur. *(Cfr. Schwetz l. c.)* Nihilominus persuasum nobis est, *doctrinam nostram omnino certam esse; nec contrariam ullo modo probabilem aut tolerabilem iudicamus.* An ea etiam censuram theologicam mereatur et qualem, id sapientiorum sit definire. Solum monemus, ad rem accurate definiendam pro diversis Scripturae praerogativis, quae a nobis in antecedentibus enumeratae sunt, distinctione opus esse. Nam in hac re, ut patet, sensus ecclesiae et theologorum consensus maximae considerationis est. Porro huic sensui et consensui magis adversatur, qui audeat asserere, in Scriptura hinc inde reperiri

errores saltem in rebus indifferentibus et parvi momenti, quam qui omni cuiusque generis errore excluso solum concedere voluerit, Scripturam in huiusmodi rebus ac locis nonnisi humanam habere auctoritatem, quae tamen nunquam fallit; et hoc iterum forte magis sensui catholico repugnat, quam si quis retenta in omnibus etiam profanis divina Scripturae auctoritate docere vellet, eam auctoritatem in huiusmodi locis iuxta nonnullorum theorias in genere veteratas non inspirationi proprie dictae seu origini divinae sed speciali Dei approbationi aut assistentiae esse tribuendam.[1]

Coronis. 36. Ut haec tractatio omnibus numeris absolvatur, adiungi debet

Assertio quarta: *Secundum fidem catholicam sacrae Scripturae libri simul ut fontes revelationis catholicae considerandi sunt.* Hac propositione monemus, res, quae in libris Scripturae proponuntur, generatim et saltem quoad maximam earum partem ad revelationem et religionem catholicam spectare. Aliis verbis finis sacrorum librorum in eo est, ut publica et authentica religionis revelatae instrumenta constituant, per quae homines revelationem publicam edoceantur. Non censemus, id hic ex professo demonstrandum esse. Continetur enim haec res clarissime in sensu ecclesiae et ab Apostolo aperte docetur, dum omnem Scripturam divinitus inspiratam utilem esse dixit ad docendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei h. e. praedicator apostolicus. *(II. Tim. III. 16, 17.)* Et iterum omnia, quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, affirmat, ut per consolationem Scripturarum spem habeamus. *(Rom. XV. 4.)* Solum ex hac re unum hic inferimus, quod notatu dignum videtur. Cum ex dictis res, quae in libro habentur, fere libri essentiam constituant et in omnibus ad diiudicandam rerum naturam finis rei maximi sit momenti, si existant vel ponantur existere libri, qui prioribus tribus sacrae Scripturae praerogativis instructi hac ultima destituantur, eo quod ad modum revelationum priva-

[1] Id forte etiam post concilium Vaticanum sub aliquo praetextu retineri poterit. Nam licet concilium ad inspirationem plus aliquid quam solam approbationem aut extraordinariam assistentiam postulaverit, tamen, ut iam innui, concilium expresse non dicit, inspirationem talem pari modo ad omnes et singulos textus extendendam esse.

tarum non doctrinam publicam sed solummodo res ad privatam utilitatem et instructionem pertinentes comprehendant nec hominibus tamquam fontes religionis et revelationis catholicae dati sint; tales libri non sunt eiusdem speciei cum hisce libris nostris, nec proinde cum illis simpliciter connumerari et omnino univoce cum nostris sacri ac divini dici possunt. *(Cfr. Franzelin l. c. thes. III. coroll. 5.)*

LIBER SECUNDUS.

Quomodo Scripturae inspiratio seu origo concipienda sit?

INTRODUCTIO.

37. In libro praecedenti ex fontibus revelationis demonstratum est, Deum ut proprium ac principalem librorum sacrorum auctorem habendum esse et hoc ipsum esse, quod asseritur, cum Scriptura dicitur divinitus inspirata. Cum igitur, ut ex dictis patet, in hac una Scripturae praerogativa ceterae omnes virtute includantur, modo quaerimus, quomodo fieri possit et factum sit, ut Deus principalis Scripturae auctor existat. Ut hanc quaestionem plene et dilucide tractemus, considerabimus 1. modos quosdam extraordinarios, quibus, si Deus uti voluisset, sine dubio proprius librorum auctor evasisset, 2. proponemus modos agendi, qui, si in edendis libris Deo tribuantur, ad dictum finem non sufficiant, 3. dicemus, quomodo de facto Deus in edendis nostris libris se gesserit, 4. dissolvemus difficultates, quae contra nostram doctrinam emergere possunt. Quare hunc librum totidem capitibus distinguimus.

CAPUT PRIMUM.

De divina librorum origine hypotheses extraordinariae.

38. Ut in omni re ita etiam in operatione, qua Deus auctor Scripturae factus est, quantum fieri potest, accurate definienda tum per excessum tum per defectum peccari potest.

Quare priusquam rem, ut in se est, declarare aggrediamur, duo extremi errores sunt excludendi. Incipimus ab errore, qui est per excessum. Ad hunc errorem excludendum duo sunt praestanda, scilicet 1. exponendus est modus omnino extraordinarius et miraculosus, quo Deus auctor alicuius libri effici posset, 2. monstrandum est, talem modum omnino extraordinarium licet in se possibilem de facto et quoad libros nostros admittendum non esse. Hanc rem de se facillimam et non adeo magni momenti duobus articulis brevissime absolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Hypotheses mere possibiles proponuntur.

39. Nemo ignorat, qua ratione homines libros edere soleant. Ipsi primo ideam libri edendi mente concipiunt, omnia, quae liber continere debet, accurate definientes et mature praemeditantes. Deinde iis, quae cogitatione conceperunt, in mente sua aptam verborum expressionem accommodant. Denique verba mente determinata aut propria manu scriptis exprimunt aut amanuensem adsciscunt, cui singula verba scripto excipienda viva voce proponunt.

40. Iam vero dubium non est, quin Deus simili ratione libros edere potuerit, imo aliquando de facto nonnulla simili modo scriptis ediderit. Certe decalogus, qui in duabus tabulis lapideis digito Dei scriptus esse in Scriptura ipsa legitur *(Exod. XXXI. 18.)*, tria verba prophetica et mystica, quae in pariete coenaculi Balthassar regis Babiloniorum scripta apparuerunt *(Dan. V.)*, simili ratione a Deo conscripta fuerunt. Quodsi in ultimo casu Angelorum ministerium intercessisse supponas, illi certe nonnisi quasi amanuensium munere functi sunt. Deinde quis neget, Christum Dominum, qui verus est Deus, propria manu libros aliquos conscribere potuisse? Imo legimus, eum reapse, cum mulierem adulteram ab accusatoribus liberaret, nonnulla digito in terra scripsisse. *(Ioann. VIII. 6.)* Et quod penes Eusebium *(histor. eccl. I. c. 13.)* de epistola Christi ad Abgarum regem data legimus, si non est verum, certe non apparet in se impossibile.[1] Insuper scimus ex Scriptura, Deum

[1]) Non est nostrum de genuinitate huius epistolae hic disceptare. Erit qui contra eius genuinitatem inde desumat argumentum, quod haec

aliquando miraculo linguam asinae Balaam, ut loqueretur, movisse et Balaam ipsum ita a Spiritu Dei fuisse correptum, ut non quae ipse sed quae Deus volebat, loqueretur.[1] Simili ergo ratione potuisset Deus, si voluisset, cuiusdam hominis non linguam sed manum movere sive occulto influxu impellere, ut, non quae ipse sed quae Deus vellet, scriberet. Ita fiebat, ut homo iste in scribendo quasi calamus inanimis aut amanuensis Deo serviret. Postremo sicut Deus ex monte Sinai in lege promulganda vel e coelo, ut in Christi baptismate et alias etiam, voce sensibili hominibus locutus est, et sicut saepe homines Deo in variis rebus exsequendis accuratissime obtemperabant, quomodo et quando ipse volebat; ita potuisset ad aliquem ex servis suis simili ratione loqui perceptibili voce sive externa sive interna, illique simul praecipere, ut, quae audiret, de verbo ad verbum scriptis mandaret, et tandem hominem istum, quantum opus fuit, in scribendo ab omni mendo immunem custodire. Hoc modo fieri, ut Deus reapse vero et propriissimo sensu alicuius libri auctor constituatur, nemo est, qui possit dubitare. Imo in simili hypothesi *Deus non solum proprius et principalis, sed omnino unicus auctor talium librorum esset dicendus.* Sed de his satis. Videamus, utrum nostri libri, de quibus unice agimus, reapse simili ratione sint conscripti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Pro libris nostris hypotheses istae reiiciuntur.

41. Hic nondum intendimus expresse reiicere inspirationem, quam dicunt verbalem, dicturi de hac re expresse loco

epistola ab ecclesia non numeratur in canone et proinde non habetur pro inspirata. Sed posset quis ex supra dictis *(n. 36.)* ita reponere: Id forte inde provenit, quod illa epistola ex Dei et Christi consilio solummodo de re privata tractet, quae inter ipsum Christum et regem tunc agebatur, nec illud factum constituat partem Evangelii seu vitae Christi ubique praedicandae. Ita epistola in eodem censu habenda esset, in quo habetur revelatio, quae utique vere divina sed mere privata esse supponitur. *(Cfr. n. 342.)*

[1] Non est nostrum quaerere, utrum Balaam omnino invitus prophetaverit, ita ut in eo pro tunc usus libertatis fuerit suspensus; an vero solum aegre sese ad loquendum accinxerit, licet deinde plus minus libere Deo optemperaverit. Certe Balaam, quod loquebatur, intellexit, ideoque non fuit inanime aut caecum Dei loquentis instrumentum, sicut Montanistae de suis Prophetis supposuisse videntur. *(Cfr. n. 42 in nota.)*

opportuniori; sed hic solum reiicimus hypotheses, quae modo omnino extraordinario et miraculoso originem sacrorum librorum explicare conantur. Haec ideo monemus, quia fieri potest, ut quis reiiciat omnes modos inspirationis numero superiori descriptos et nihilominus defendat inspirationem, quam verbalem appellant, h. e. quae specialem Dei influxum non solum ad res sed ad singula verba extendit. Id enim modo occultiori et minus miraculoso effici posset, ut ex dicendis suo loco clarius apparebit. Neque cum hos modos inspirationis excludimus, proprie contendimus, in nulla omnino Scripturae parte simile quid locum habuisse; sed loquimur de sacris libris in genere asserentes, *nostros libros neque integros neque in considerabili aliqua ipsorum parte per Dei influxum adeo extraordinarium et in se vere miraculosum originem sumpsisse.*

42. Hoc probatione vix indiget, cum omnibus theologis id persuasum sit. Ratio est, quia talis agendi modus suavi Dei providentiae haud congruit. Deus enim ex suavi sua providentia etiam in ordine supernaturali non utitur viis extraordinariis et miraculosis, ubi aliae viae magis ordinariae minusque miraculosae abunde suppetunt. Iam vero, ut in decursu tractationis videbimus, talis via ad effectum inspirationis Deo reapse non defuit. Ergo modi illi extraordinarii sunt reiiciendi.[1] Insuper ex communi modo loquendi et ex consensu theologorum scriptores humani vero aliquo sensu sacrorum librorum auctores, secundarii scilicet, dici possunt ac debent. Atqui id in casu, quod libri per influxum Dei adeo extraordinarium orti essent, non amplius verum maneret. Quis enim calamum aut etiam simplicem amanuensem libri auctorem dicat, cui accidere facile potest, ut parum aut nihil de iis intelligat, quae alio dictante scribendo excipit?

---

[1] Si influxus Dei in sacrum auctorem ponatur adeo extraordinarius fuisse, ut extasin passus sine intelligentia et sine voluntate veluti instrumentum caecum et inanime egerit; id Dei providentiae non solum parum congruum sed neque Deo satis decens dici posset. Et hoc est, quod Patres dicunt, dum negant, Prophetas in loquendo aut scribendo extasin passos fuisse. *(Cfr. Kaulen, Einleitung n. 340; Cherubini a s. Ioseph. l. c. disp. III art. 6. cfr. hic n. 313.)* Non idem valet, si cogitas extasin, qualem aliquando passi sunt Sancti, et in qua usus intelligentiae et libertatis internae non est impeditus sed perfectior efficitur. *(Cfr. n. 40 in nota.)*

43. Possunt nihilominus afferri nonnulla ex sacra Scriptura, quae huic similem i. e. omnino extraordinarium et miraculosum Dei influxum in edendis sacris libris suadere videntur. Ea hic afferre libet, ut difficultates inde contra assertionem nostram enascentes dissolvamus. Legimus igitur penes Ieremiam *(XXXVI. 1. 2. 4. 18.):* «Factum est verbum hoc ad Ieremiam a Domino dicens: Tolle volumen libri et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversum Israel et Iudam. Vocavit ergo Ieremias Baruch filium Neriae; et scripsit Baruch ex ore Ieremiae omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri. Ex ore loquebatur *(Ieremias)* quasi legens sermones istos.» Ex his dices: Quomodo potuisset Ieremias scribae suo tam expedite dictare verba, nisi ei Deus intus singula verba suggessisset? Item sacer Psaltes simile quid de se ipso testatur *(Ps. XLIV. v. 1. 2.)* his verbis: «Eructavit cor meum verbum bonum... Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.» Antequam ad haec singillatim respondemus, aliquid monemus in communi. Sine ratione sufficienti et proinde perperam fit, si ad ceteros sacros auctores omnesque libros Scripturae transfers, si quae forte alicubi sive in Scriptura ipsa sive penes Patres leguntur, quae pro uno aliquo ex sacris auctoribus aut pro occasione aliqua extraordinaria extraordinarium aliquem Dei concursum arguere aut supponere videntur. Nam sicut ex eo, quod Balaam aliquando sive ex toto sive ex parte prophetavit invitus, et quod Saul subitaneo impetu a spiritu prophetico correptus fuit *(I. Reg. X. 10.),* nequaquam sequitur, id Prophetis communiter accidisse; ita pariter nequaquam, quod de uno sacro auctore forte aliquando factum legitur, statim omnibus est tribuendum. Sed modo ad singula respondeamus.

44. Ad locum Ieremiae quod spectat, ante omnia ibi prophetias, de quibus agitur, proxime saltem non a Deo Ieremiae sed a Ieremia Baruch scribae dictata fuisse, ex textu ipso, qui obiicitur, est manifestum. Fecit id utique Ieremias ex speciali Dei mandato. Sed quid inde? Si textus et contextus bene inspiciatur, haec reperies. Narratur ibi, quomodo Ieremias Deo juvante et volente ea, quae antea utique Deo ordinario modo inspirante conscripserat sed postea ab impio rege igne combusta erant, de verbo ad verbum dictando per Baruch scribam restituerit. At ibi nullo modo indicatur, prophetias illas Iere-

miae aut tunc, cum dictaret, aut antea, cum primitus eas conscriberet, a Deo fuisse proprio sensu modoque miraculoso de verbo ad verbum dictatas. Nec ex eo, quod Ieremias tunc omnia tam accurate scribae dictare poterat, id vel simile quid necessario concluditur. Poterat enim Propheta noster prophetias suas, quas sine dubio tum mente tum oculo ex volumine scripto saepius revolvebat et forte etiam viva voce obstinato populo iterato repetebat, de verbo ad verbum memoria retinere. Consequenter poterat item data occasione sine ullo extraordinario Dei adiutorio scribae suo omnia de verbo ad verbum iterum dictare. Nec ex eo, quod in secunda prophetiarum editione a Scriptura sive a Deo tantum momentum in eo ponitur, quod nullum verbum sit mutatum, necessario concluditur, iam primitus singula verba a Deo fuisse dictata aut utcumque in atomo determinata et inspirata. Nam alia eaque longe facilior ratio in promptu est, cur Deus ne verbum quidem codicis illius a rege combusti perire permiserit, scilicet ut impius rex per haec disceret, Prophetas et verbum Dei sive scriptis editum sive ore praedicatum sub speciali Dei tutela versari, ita ut invito Deo ne iota quidem excidere possit. Locum Psalmi quod spectat, illo certe influxus Dei in Psalmistam adeo extraordinarius non significatur, qualem modo excludere intendimus. Primo enim observare licet, ex verbis Psalmi haud constare, utrum Psalmista linguam suam Dei an animi sui calamum seu instrumentum dixerit. Sed hoc dubio adversarios premere nolumus. Neque in eo vim ponimus, quod, cum ad scribendum non lingua sed manu utamur, et nobis nominatim non de inspiratione ad loquendum sed de inspiratione ad scribendum sit quaestio, si Psalmista adversariorum sententiam exprimere voluisset, non linguam sed manum calamo comparare debuisset. Nos solum contendimus, hanc Psalmistae comparationem non nimis esse urgendam. Et ratio est manifesta. Secus enim ex ea comparatione pari iure aliquis inferre poterit, Psalmistam, dum Psalmum illum scriberet, nihil eorum, quae scribebat, intellexisse animoque cogitasse, sicut calamo accidit. Uno verbo sacros Scriptores in edendis libris sacris vero aliquo sensu Dei instrumenta fuisse, id et nos concedimus et forte initio huius Psalmi reperitur expressum. Sed qua praecise ratione sacri auctores Dei instrumenta fuerint, aut Deum modo

adeo extraordinario iis usum fuisse; id ex simplici hac, quae fit a Psalmista, comparatione colligi posse omnino negamus.

CAPUT SECUNDUM.

Theoriae, quae pro inspiratione reperiuntur insufficientes.

45. Erroribus per excessum exclusis remanent excludendi errores per defectum. Hi, quantum pro scopo nostro in considerationem venire possunt, ad duos reducuntur, ad doctrinam scilicet eorum, qui inspirationem seu modum, quo Deus in edendis libris sacris se habuit, ad *meram assistentiam* coarctant, et ad theoriam illorum, qui in re nostra ab *approbatione superveniente* suppetias quaerunt. Nos demonstrabimus, utramque ex theoriis istis ad salvandam veri nominis inspirationem et ad tuendas omnes Scripturae praerogativas insufficientem esse. Sed ante omnia tum doctrinas, quas impugnamus, accuratius exponere earumque praecipuos patronos recensere, tum aliquos conceptus, qui in hac tractatione magni sunt momenti, enucleatius evolvere necessarium ducimus. Habebit ergo caput hoc tres articulos, quorum primus praevias notitias complectitur, secundus reiicit tamquam insufficientem concomitantem Dei assistentiam, tertius excludit supervenientem Dei approbationem.

ARTICULUS PRIMUS.

Notitiae et conceptus praevii.

Punctum primum.

Variae variorum sententiae.

46. Ante omnia sententiae erroneae exponendae sunt earumque patroni recensendi. Fuerunt igitur inter theologos, qui inspirationem sive librorum integrorum sive nonnullorum saltem locorum seu generalius qui partes omnes, quas in edendis libris sacris Deus habuit, saltem in ultimo limite *ad meram Dei assistentiam* reducere conati sunt. Hi ita fere, quod asserunt, ostendere conantur. Ponamus 1. Deum generali quadam motione impulisse aliquem hominem, ut componat librum aliquem v. gr. historiam bellorum, quae populus Israel cum regibus finitimis tempore Machabaeorum gessit, aut collectionem

gnomarum vel proverbiorum moralium, qualia inveniuntur in Proverbiis Salomonis. Addamus 2., Deum insuper eidem auctori in scribendo ita continuo adfuisse, ut nihil falsi vel quod ad rem non pertinet, immisceri permiserit paratus, in casu, quo secus accideret, extraordinario etiam et positivo influxu aut falsum excludere aut suggerere verum. Supponamus 3., quoad factum scriptorem humanum omnia, quae scribenda erant, sive experientia sive ratione optime perspecta habuisse totumque librum aut saltem notabilem eius partem sine ullo actuali Dei influxu, qui extraordinarius et positivus dici et a communi concursu divino in actiones omnes causarum secundarum distinctus haberi possit, conscriptum, seu uno verbo totum fere librum solis viribus humanis compositum fuisse. Negari non potest, ita ipsi concludunt, talem librum integrum cum omnibus suis partibus habendum esse in censu sacrae Scripturae et nominandum fore librum inspiratum, cum liber iste a nostris libris quoad essentiales praerogativas supernaturales nihil differre videatur. Similem certe doctrinam inter primos satis clare proposuit Bonfrerius *(Praeloq. in Script. sacr. c. VIII. sect. 3. 4. 5.)* et postea Jahnius *(Introduct. bibl. V. T. p. 1. c. 2. § 19.)* aliique. *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. l. c. disp. I. art. 4. § 2; Perrone l. c.; Denzinger l. c. n. 119; Franzelin l. c. thes. IV. n. 1.)*[1]

[1] Sententia Du-Pin dubia est. Loquitur enim hic auctor non solum de assistentia Spiritus sancti sed etiam de lumine, quod mentem hagiographorum, ne errent, affecisse credendum est. Obscuritas huius auctoris in eo est, quod naturam huius luminis minime explicat. *(Dissert. preliminaire sur la Bible l. I. c. 2. § 7. in fine.)* Porro inter doctrinam Jahnii et Bonfrerii duplex observatur discrimen. 1. Jahnius de praevio divino impulsu ad scribendum nihil dicit, dum Bonfrerius eum impulsum, ut videtur, initio tacite supponit et in decursu tractationis data occasione expresse adstruit. Deinde 2. Jahnius expresse saltem non postulat, ut Deus in actu primo sit paratus ad praestandum, sicubi necessarium foret, influxum positivum et insuper monet, hanc Dei assistentiam, quia a communi loquendi modo non est recedendum, dici inspirationem. Simul tamen monet, hanc locutionem, quia notio assistentiae est mere negativa inspirationis vero positiva, esse locutionem minus aptam; de quibus expressis saltem verbis nihil dicit Bonfrerius. Inter Rationalistas et recentiores Protestantes reperiuntur, qui insuper assistentiam Dei, qua hagiographi ab omni errore praeservantur, sive speciatim ad solos locos dogmaticos sive in genere ad locos praecipuos Scripturae restringunt et ita errores in Scriptura admittere non verentur. Sed cum hi auctores hos certe locos, ubi ipsis fatentibus errores esse possunt, nec possint nec forte serio velint

47. Alii econtra vim ponunt *in approbatione Dei subsequente.* Procedunt igitur hoc modo. Ponamus 1., librum aliquem, qui ab homine quopiam proprio Marte et industria mere humana conscriptus fuit, nonnisi vera et ad religionem utilia continere. Adjungamus 2., quia haec qua talia a Deo agnoscuntur, omnia ac singula ab eodem fuisse speciali modo approbata librumque tamquam verbum Dei et Scripturam sacram hominibus traditum et ab ecclesia tamquam talem fidelibus proponi. Haec omnia, ita et hi concludunt, sicut in se impossibilia esse non videntur, ita tali libro nihil omnino deest, quominus vere dicatur Scriptura sacra; nec revera apparet, quid a libris inspiratis liber iste differat, et cur non et ipse inspiratus dici possit. Vel, ita enim haec theoria emolliri potest, si hoc de integro aliquo libro dici non potest, saltem id dici poterit de nonnullis libri alicuius inspirati partibus. Nova erit huius theoriae emollitio, si ea solum in abstracto proponatur, seu si de mera rei possibilitate agatur. Quare haec advertimus. Si theoria ista etiam in concreto proponitur et certis Scripturae libris aut certis eorum partibus applicatur, acsi aliqua in nostris libris revera sola humana industria concinnata essent et nihilominus et ipsa inspirata dicenda forent; haec theoria certe quam rigorosissime examinanda est. Eam saltem quoad mentem et rei substantiam suo tempore Bonfrerius proposuit *(l. c. sect. 7.),* dum dicit, Spiritum sanctum in scriptione eorum librorum, quorum ipse primarius sit auctor *(cfr. l. c. sect. 1.),* posse se habere consequenter. Et subdit: Eundem reapse saltem in aliquibus sententiis, quales sunt illae, quae a scriptoribus profanis in Scripturam sunt transsumptae, non alio se habuisse modo, suspicari licet. Porro a Bonfrerio, si non quoad quaestionem de facto et quoad modum loquendi, certe quoad quaestionem de rei possibilitate et quoad interiorem mentem non multum videntur differre Hamelius et Lessius aliique post ipsos. *(Cfr. Kleutgen opusculo citato; Perrone l. c.; Franzelin l. c. n. 2; Denzinger l. c.; Cherubinus a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 7. § 1; Calmet dissert. de div. libr. sacr. inspir. art. II.)*[1] Sed de

dicere inspiratos, eorum sententiam tamquam sententiam propriam hic non recensemus, nec in ea reiicienda immoramur.

[1]) Communiter hi auctores dicuntur docere aut admittere inspirationem subsequentem. Observant alii, inspirationem subsequentem habere

minus sanis aliorum sententiis satis. Priusquam ad eas refutandas accedamus, aliqua praenotanda sunt.

Punctum secundum.

Notio libri exponitur.

48. Cum totum huius secundi libri studium in hoc incumbat, ut accurate definiatur, quid requiratur et sufficiat ad

contradictionem in adiecto, et insuper plerique negant, plures aut unum vel alterum ex auctoribus communiter allatis talem inspirationem defendisse sive de facto sive de possibili aut illum terminum adhibuisse. Nos inspirationem subsequentem habere contradictionem in adiecto libenter concedimus. Item praedictam expressionem apud aliquos auctores communiter allatos conceptis verbis non occurrere, non negamus. Sed haec addimus. Bonfrerium id saltem aequivalenter dicere vel certe non multum inde abesse negabit nemo, qui omnia, quae in eo capite dicuntur, mature legerit simulque tum ad sectionum inscriptionem tum ad Scripturae definitionem ibi *(cap. III. sect. 1.)* traditam attenderit et haec omnia inter se contulerit. Si instas, Bonfrerium nihil aliud docuisse, quam scriptum humanum per subsequentem approbationem posse accipere auctoritatem divinam et hoc sensu fieri verbum Dei et sacram Scripturam, ita reponimus. In hac hypothesi Spiritus sanctus solum refertur ad scriptum et nullo modo ad scriptorem, qui proinde in rigore sacer et hagiographus dici nequit. Nec in ea hypothesi quaerendum erat, quomodo Spiritus sanctus sese habuerit in ipsa scriptione, sed quomodo se habuerit post scriptionem. Quae omnia secus penes Bonfrerium invenies. Nec Lessius inde longe abest. Is utique expresse solum docet, librum aliquem per subsequentem approbationem fieri Scripturam sacram. Sed cum communiter Scriptura sacra et liber inspiratus ut convertibilia habeantur, et ipse contrarium expresse non statuat; virtualiter tali libro etiam inspirationis praerogativam vindicare vel saltem tacite asserere videtur, talem librum a ceteris libris Scripturae, qui utique sunt inspirati, quoad supernaturales praerogativas nihil differre. Secus contrarium ei expresse monendum erat. Utrum deinde hi auctores hanc theoriam saltem opinando alicui ex nostris libris vel alicui librorum nostrorum parti applicare voluerint necne, pendet a triplici quaestione. Prima quaestio est, utrum parenthesis in notissima Lessii propositione ab ipso fuerit adiecta et quo sensu, an vero ab aliis. Deinde quaeri potest, utrum limitationes, quas auctores isti theoriae suae identidem addunt, solum pro integris libris statuerint, an etiam pro singulis librorum partibus valere voluerint. Denique dubitari licebit, num has limitationes omnino necessarias an solum utiles esse voluerint. Porro has quaestiones nos non ingredimur, cum ad scopum nostrum minus necessariae sint. *(Cfr. Hurter theol. dogm. comp. n. 167. 168; Franzelin et Perrone ll. cc.; Kleutgen Theol. der Vorz. l. c. n. 34. 35. et opusculo de sententia Lessii I. n. 7.)* Solum advertimus, non solere nos theorias proponere, quae nullam in concreto applicationem habere possunt. Quare de aliis facile idem suspicamur.

hoc, ut Deus alicuius libri auctor censeri debeat, et cum haec inquisitio, ut apparet, ab exacta notione libri maximam partem pendeat; ante omnia *quid nomine libri veniat,* hic accurate determinandum est. Igitur ad librum ante omnia requiruntur *verba, quae ad linguam aliquam humanam pertineant et in substrata aliqua materia stabili stabilibus characteribus sint expressa, ita ut ab hominibus, cum voluerint, legi possint.* Ratio ultimi est manifesta. Si enim verba ita scribantur, ut e vestigio evanescant, sicut Christus coram Pharisaeis et muliere adultera in terra scripsisse credendus est *(Ioann. VIII. 8.),* ea nunquam constituere librum censebuntur. Ex communi hominum conceptu insuper postulatur, ut pro libro complexus verborum sit paulo prolixior, necnon ut verba scripta sint in materia aliqua, quae manu tractari possit. Ex duplici hac ratione nemo est, qui tria illa verba, quae teste Daniele in pariete coenaculi Baltassar regis Babylonis invisibili manu scripta apparebant, *(Dan. V. 5.)* librum constituisse dixerit. Deinde, quod maioris est momenti, *verba,* quae librum constituunt, *non solum singula per se ideam exprimere sed insuper omnia simul sumpta sententiam constituere seu per modum propositionum sensum aliquem fundere debent.* Nam etsi complexus aliquis verborum in aliqua charta descriptorum externe perfectam libri speciem referat, si tamen verba ita iuxta se sint posita, ut sententiam propositionemque non efforment, talis charta utut verbis conscripta libroque similis proprio sensu liber dici non poterit; sicut inordinata pueri aut hominis furiosi verba, licet externam speciem sermonis humani retineant, in rigore veritatis sermonem humanum dicere non audebimus. Haec per se ad conceptum libri determinandum possent sufficere. Nihilominus ad scopum nostrum haud parum iuvat, si etiam finis, cui ex natura sua omnis liber inservit, attente prae oculis habeatur.

49. *Libri igitur,* ut cuique consideranti patet, *eo fine conscribuntur, ut ab aliis legantur,* sive *per librum auctor eius illis, qui legunt, conceptus, sententias et sensa sua manifestat et communicat.* Unde libri ab omnibus habentur ut aptissima humanae institutionis instrumenta et subsidia. Quare si scriptum aliquod cogitas, quod per se nonnisi ad usum privatum v. gr. ad memoriam iuvandam, aut ad ideas melius comparandas et excolendas confectum est, quin scriptor illud ullo modo ad lec-

tionem aliorum destinaverit; tale scriptum pleno sensu liber nequaquam dicendus erit. Quis enim, ut rem a simili confirmemus, verba, quae ab aliquo per se solo et pro se solo v. gr. in vehementi affectu in cubiculo proferuntur, pleno sensu sermonem dixerit? Et ratio discriminis manifesta est. Nam verba ita prolata nequaquam loquenti eodem modo moraliter imputantur, acsi coram aliis ea protulisset. Quae enim quis per se solus eloquitur, ea quoad imputationem moralem ab aliis corporis affectionibus ac membrorum gestibus, ut a rubore, pallore, risu, manuum agitatione, quae sponte ex internis animi affectibus enascuntur, parum differre videntur. Quod de sermone proprie dicto longe diversum est. Ille enim ex natura sua ad audientes, sicut liber ad legentes dirigitur. Imo liber proprie dictus, quod plus est, ex natura sua non pro uno vel altero homine, qui legat, sed generatim pro omnibus, qui vel sciunt legere vel discere possunt, destinatus esse intelligitur. Unde communis distinctio inter libros et manuscripta invaluit, quorum posteriora nondum publici iuris facta esse censentur.[1]

[1] Cohaeret cum hoc, quod supra postulavimus, scilicet ut liber materia aliqua tractabili constare debeat. *(Cfr. Patritius l. c. § 2.)* Aliam considerationem hic addere liceat. Ut aliqua res, quae ab hominibus ut instructionis adminiculum adhibetur, proprio plenoque sensu liber dicatur, illud, quo per tale adminiculum ei, qui instruendus est, conceptus et sensa communicantur, verba sint necesse est scripta utique, non vero alia signa v. gr. imagines, symboli et huiusmodi. Ratio huius rei est manifesta. Verba enim, sicut omnium clarissime conceptus mentis exprimunt, ita etiam omnium aptissime et efficacissime eosdem aliorum mentibus ingerunt. Quare modus communicandi sensa per verba ab omnibus aliis huiusmodi mediis iure specie differre censetur. Proinde merito speciale sibi nomen vindicare poterit. Quare sicut gestus et signa hominis muti minus proprie sermo aut locutio dicuntur; ita et instructionis adminiculum, quod non verbis sed imaginibus et symbolis totum constat, liber dici in rigore non potest, licet quoad externam speciem libro sit simillimum. Inde haec concludes. Complexus signorum hieroglyphicorum in materia tractabili descriptorum, si signis hieroglyphicis immediate verba humana aut verborum syllabae mediate vero et per verba conceptus significantur, merito libris proprie dictis accenseri potest. Aliter iudicandum est, ubi signa proprie et immediate stant pro conceptibus. Exemplo sit, si lumen extinctum non pro vocabulo mortis stat sed ut signum mortis ponitur. In casu enim posteriori complexus signorum hieroglyphicorum non ut liber proprio sensu et de verbo ad verbum legendus foret, sed potius ut ingeniosa quaedam imaginum ac signorum collectio per modum

50. Ex dictis deducemus aliquas consequentias, quae pro scopo nostro valde utiles esse inveniuntur. Igitur cum liber in ultima analysi aliud non sit, quam locutio humana scriptis expressa et ad legendum destinata, ergo 1. *menti auctoris,* nisi de impostore aut homine fatuo agatur, *dum scriberet, sensa omnia ac singula,* quaecumque in libro exprimuntur, *obversari debuerunt* idque ad eum omnino modum, quo in libro exprimuntur. 2. *Auctor sensa ista etiam in posterum,* quoadusque ea non revocaverit, ubique *ut sua agnoscere cogitur.* Proinde 3. idem auctor *dum librum edidit, fidem suam auctoritatemque obligavit pro rebus sensisque omnibus,* quae in libro suo leguntur. Quapropter 4. omnes, qui legunt, sicut per verba libri auctoris sententiam edocentur et, si quae bona et pulchre ingenioseque dicta in libro inveniuntur, in iis *auctoris animum ingeniumque admirari coguntur;* ita *ad auctoris fidem, scientiam ac probitatem recurrere ac provocare possunt,* si quid forte prima fronte ibi minus vere aut honeste dictum esse ipsis appareat, aut qua tale ab aliis vituperetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Mera Dei assistentia ad inspirationem non sufficit.

51. Meram Dei assistentiam, licet auctorem, qui scribit, ab omni errore praeservare ponatur, ad inspirationem non sufficere, clare deducitur ex iis, quae in libro primo demonstravimus. Inspiratio enim, sicut ex concilio Vaticano, ex constanti Patrum doctrina et ex ipso conceptu et vi nominis habetur, consistit in positivo aliquo Dei influxu in scriptorem humanum vel in ipsam scriptionem libri. Atqui assistentia prae auctore humano ipsaque scriptione est quid omnino negativum. Id quidam ex eius patronis ultro fatentur et ex natura rei ipsius fateri coguntur omnes. Nec iuvat, quod Bonfrerius addit, scilicet Deum in edendis libris in actu primo paratum fuisse ad

---

aenigmatum interpretanda et exponenda. Nec obstat, quod inventa rerum ac signorum interpretatio possit dein verbis explicari. Id enim in omni aenigmate declarando fieri poterit. At cum id fit, verba ad libitum eliguntur, dummodo ea sensum accurate exprimant, dum in alio casu per eum, qui signa hieroglyphica composuit, sicut in libro verba in atomo determinata manent.

suggerendum praestandumque positivum influxum, sicubi revera eodem opus fuisset. Nam in determinanda natura inspirationis non quaeritur, qualis influxus Dei facta certa aliqua hypothesi mere possibili locum habuisset; sed potius quaeritur, qualis influxus reapse locum habuerit seu sub quali divino influxu liber inspiratus reapse sit editus. Porro librum, de quo quaeritur, re ipsa sine ullo positivo Dei influxu editum fuisse, etiam Bonfrerius in sua theoria fateri cogitur, et reipsa fatetur, ut ex eius verbis patet. Insuper negari non potest, quin sub speciali Dei assistentia, quae ab omni errore praeservat, componantur etiam definitiones oecumenicorum conciliorum et Romanorum Pontificum, quas tamen ideo nemo dixit inspiratas. Quid quaeso eae definitiones in hac theoria sacris Scripturis minus habent? Cur non et ipsae inspiratae dicuntur, si talis assistentia ad inspirationem plene sufficit? *(Cfr. Franzelin l. c. n. 1; Schwetz l. c. § 76.)* Haec clariora fient per argumentum ex ratione theologica desumptum, quod subiungimus.

52. *Formula dogmatica,* quae iuxta sensum ecclesiae omnes Scripturae praerogativas perfectissime in se complectitur, et influxum divinum sive partes Dei in edenda Scriptura accuratissime exprimit, ut vidimus, illa est, qua *Deus sacrae Scripturae primarius auctor* dicitur. Ergo haec adversariorum theoria explosa erit, simulac demonstraverimus hanc propositionem: *Quantumcumque Deus alicui auctori in edendo libro ponatur adfuisse, quoadusque terminus merae assistentiae non exceditur, nullo modo efficitur, ut Deus primarius libri, qui scribitur, auctor censeri possit ac debeat.* Haec pro scopo nostro sunt uberius declaranda. Igitur, ut quod contendimus, a fortiori concludatur, fingamus casum per omnia nostro similem, imo in quo ad simplicem assistentiam scriptori praestitam multiplex influxus positivus accedat. Sint igitur duo amici, quos claritatis gratia vocabimus Caium et Sempronium. Igitur Sempronius per se nihil tale cogitans a Caio sive amicitia et precibus sive imperio et auctoritate sive aliis quibuscumque rationibus ad certum librum scribendum inductus v. gr. ad edendam vitam viri cuiusdam illustris, qui non multis annis ante cessit e vivis, se accingit. Ulterius Caius in hac re multam operam navat Sempronio. Indicat enim Sempronio fontes, unde notitias ad rem valde utiles haurire possit; tradit viri defuncti literas et alia

scripta communicat; plura, quae ipse praesens viderat et audierat, oretenus aperit. Insuper Caius a Sempronio circa edendum opus haud semel consultus amicum suum in edendo opere iudicio et consilio suo pro viribus adiuvat, imo interdum etiam non rogatus Sempronio suggerit, qua ratione, ne in rebus inveniendis decipiatur, gerere se debeat, quomodo res inventas apte digerere possit et alia huiusmodi. Adde in fine, Caium occulta quadam ratione continuo et inadvertenter invigilare Sempronio, ne quid, quod ipsi non placuerit verumque ac utile non videatur, operi immisceat; vel pone, tam Caium librum Sempronii opera absolutum summa diligentia revidere revisioneque facta indigitare Sempronio, quid ipsi hinc inde in libro emendandum videatur, quam Sempronium revera, quia re post Caii monitionem undequaque perpensa et ipsi ita videtur, sicut Caio visa est, tandem omnia exacte ad Caii consilium emendare. Quid igitur? Magnas certe Caius in edendo hoc libro partes habuit. Sed num propterea ipse potiori iure quam Sempronius auctor libri dicendus erit? Imo num Caius utcumque proprio et vero sensu auctor illius libri dici poterit? Id negamus. Nec putamus fore, qui bono animo contrarium contendat aut invicta ratione demonstrare possit. *(Cfr. Cherubini a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 2. n. 10. 11.)*

53. Nihilominus propter rei gravitatem rationes, cur id negemus, magis exponendae sunt. In hunc finem iuvat in coepta fictione ulterius progredi. Ponamus itaque paulisper, opus, de quo agitur, ubique cum magno plausu suscipi, a multis impense laudari, denique ad instructionem et aedificationem eorum, qui legunt, conferre plurimum. Ut ex supra *(n. 50)* dictis patet, is, cui haec omnia primarie ac potiori iure imputanda sunt, si non ut unicus saltem ut primarius libri auctor considerandus est. Quaeritur ergo, cui haec primo loco imputanda sunt Caione an Sempronio? Dico Sempronio. Nam si casum iuxta principia, quae theologi morales de imputatione vel de cooperatione ad damnificationem aut generatim ad peccatum alterius tradere solent, diiudicare velimus, Caius certe in casu nostro non est mandans, sed solum consulens. Quodsi cooperans dicitur, est cooperans secundo loco seu minus principaliter. Sempronius vero est agens principalis. Ille enim sine dubio iuxta sana principia est agens principalis, qui agit nomine proprio

et quem proinde immediate ac per se ex actione commodum aut incommodum sequitur. Hoc autem in casu descripto verificatur de Sempronio. Supponimus enim, in casu Sempronium, utut a Caio incitatus et in multis Caii consilium secutus fuerit et ab eoque adiutus librum ediderit, non solum sub proprio nomine agere sed et librum ut librum suum edere voluisse. Supponimus, Caium in his, quae fecit, per se librum edere non intendisse, sed solum amicum suum ad edendum librum incitare et in componendo eo libro enixe adiuvare voluisse. Unde in casu Sempronius, ut prudenter ageret, dum ei Caius aliquid suadebat aut suggerebat, omnia attente examinare ac probare et, quae Caius suggerebat, sibi appropriare debuit. Aliis verbis Sempronio imprimis incubuit officium, ut, priusquam librum ederet, diligenter inquireret, num sibi liceret aut expediret ea omnia ac singula, quae scripsit, ut propria seu ab alio sibi appropriata proprio nomine ac periculo in vulgus edere. Quodsi Sempronius non proprio nomine sed nomine Caii et quasi eius mandatarius egisset, tunc utique non eodem modo ad omnia haec observanda obligatus fuisset, sed eam obligationem principaliter in Caium reiicere potuisset. At tunc casus substantialiter mutaretur et sumus extra nostram hypothesim. Ergo in casu nostro Sempronius manet agens principalis. Proinde ipse ut primarius auctor libri considerandus est. Caius vero in hac hypothesi aut nullo modo auctor istius libri dici potest aut solum sensu valde diminuto et admodum improprio.[1]

54. Quae modo diximus, si fieri potest, adhuc clarius apparebunt, si in coepta hypothesi ulterius prosequamur. Ponamus igitur e contrario, librum, de quo quaerimus, a lectoribus minus benigne suscipi. Ponamus, plura in eo reprehendi idque iure factum videri, eo quod liber erroribus venenoque subdole respersus haud parum damni afferat societati.

[1] Posset Caius dici auctor eo sensu, quo suasor libri scribendi dicitur. Sed aliud est, esse auctorem i. e. suasorem scribendi librum seu scribendi libri, aliud dici auctorem libri scripti seu simpliciter auctorem libri; sicut aliud est esse alicui auctorem seu suasorem aedificandi domum, aliud esse architectum ipsius domus. Porro nos hic in hoc posteriori sensu loquimur. Quicumque enim, quae supra *(l. I. c. 3.)* diximus, attente consideraverit, perspiciet, in fontibus revelationis Deum hoc posteriori sensu auctorem Scripturae appellari.

Iterum quaerimus: Cuinam haec primarie imputanda sunt? Quemnam primo loco hominum reprehensio et ecclesiae aut reipublicae poena persringet? Sine dubio non Caium sed Sempronium. Qui si primam culpam in Caium reiicere tentaverit, hic merito reponet: Cur consilio meo temere obsecundasti? Ego nullo modo te coegi neque malitiose decepi. Multo vero minus mandavi aut etiam solum permisi, ut meo nomine librum in lucem ederes. Si librum tuo nomine edere in animum induxisti, ipse ante omnes scire et examinare debuisti, qualia sint, quae edis et qualem effectum ista habitura sint. Cur non, priusquam opus vulgares, alios prudentiores me consuluisti? Certe ego id facere non prohibui. Si ipse de libro meo nomine edendo cogitassem vel tibi aut alteri, ut meo nomine ederetur, mandare voluissem, aut si utcunque demum suspicatus fuissem, a me aut primo loco aut saltem in eodem cum editore ordine omnium, quae scribenda et edenda erant, rationem fore exigendam, profecto totam rem accuratius examinassem. Non video, quid ad has Caii excusationes Sempronius aut etiam iudex iustus ac aequus in rigore reponere possit.[1] Nunc ea, quae per hoc exemplum demonstravimus, ad Deum et sacram Scripturam transferantur. Nonne omnibus manifestum apparet, per meram assistentiam, quae ab errore praeservat, Deum non fieri auctorem libri? Imo ex dictis neque per qualemcumque influxum positivum, quoadusque limites descriptos in exemplo non excedat, id efficitur, ut Deus auctor libri liberque Scriptura divinitus inspirata dici possit. *(Cfr. Kleutgen opuscul. de sent. Less. II. n. 16. 17.)*

55. Ad hanc theoriam magis explodendam haec ulterius monemus. *Per meram Dei assistentiam Scripturae neque illa*

[1] Non negamus, Caium in tali casu plus minus culpabilem existere. Quod negamus illud est, eum plus quam Sempronium aut aeque cum illo in culpa esse. Aliter res diiudicanda foret, si Caius Sempronium de industria fraudibus circumvenisset et simplicitate hominis abusus per eum veluti per instrumentum opus edere intendisset, cuius indolem pestiferam ipse optime ab initio perspectam habuit et quod omni modo edendum decreverat. Ita enim dicendum esset, Caium solum Sempronii nomine velut scuto sese texisse ut sub alieno nomine tutius et efficacius conceptum venenum diffunderet. Quare in hoc casu revera Caius esset agens principale. Ideo ipsi omnia primarie imputanda forent. Sed, ut quisque videt, ita casus iterum radicaliter est mutatus. Quapropter per hoc id, quod asseruimus, non infirmari sed magis confirmari manifestum est.

innascitur praerogativa, quam supra secundam posuimus et secundum quam omnia, quae habentur in Scriptura, divinae auctoritati innituntur. Id ita ad evidentiam declaramus. Intelligitur quidem facile, quomodo per assistentiam divinam omnes errores a libro aliquo excludantur. At quod per eam veritates in eo assertae fiant veritates revelatae, quibus ut verbo Dei debeatur assensus fidei divinae; id certe nemo facile intelligit, nec concedet quispiam, nisi clare demonstretur. Imo facile est contrarium demonstrare. In theoria, quam impugnamus, ex concessis contingere potuit, ut certa Scripturae pars imo per se integer aliquis liber sine ullo actuali et extraordinario Dei influxu et sub sola extrinseca Dei assistentia ab auctore humano conscriptus fuerit. Quaero: Unde talis liber aut huiusmodi Scripturae partes divinam habent auctoritatem? Dices: A divina assistentia. At negamus, eam ad id sufficere posse. Quod ut clarius appareat, redeamus ad exemplum superius de Caio et Sempronio propositum. Supponamus ab initio, lectores nihil scire de assistentia, quam Caius Sempronio in edendo libro praestitit. Num in hac hypothesi lectores, quae in libro leguntur, ut Caii auctoritate firmata ab eoque asserta habere poterunt? Nullo modo. Iam enim supra *(n. 54.)* ostendimus, Caium iustam habere excusationem, quominus ipse simpliciter et primo loco eorum omnium, quae in Sempronii libro leguntur, rationem subire fidemque sustentare cogatur. Quod ex sequenti animadversione manifestius patebit. Licet Caius continuo vigilaverit, ne quid falsi aut quod ipsi minus probaretur, in Sempronii librum irreperet; asseri tamen in rigore non potest, veritates in tali libro assertas et legentibus propositas, quatenus praecise per librum assertae sunt et propositae, a Caio qua libri auctore fuisse assertas et propositas. Quo igitur iure dici potest, assertiones istas omnimodis Caii auctoritate firmari? Nec Caius, si quis aliquam libri istius sententiam impugnaverit aut negaverit, hac impugnatione aut negatione admodum movebitur. Certe Caius iniuste ageret, si per huiusmodi impugnationem suam auctoritatem spretam fuisse conquereretur. *(Cfr. Franzelin l. c.)*[1]

[1] Non negamus, talem impugnationem aut negationem Caio displicere posse ac debere. Sed haec displicentia in casu per se ex eo solum oritur, quod unicuique nostrum naturaliter displicet, si id ab aliis negari

56. Sed quid, si Caii assistentia lectoribus quacumque demum via innotuerit? Haec enim est hypothesis adversariorum. Nam supponunt, Dei assistentiam, de qua agitur, hominibus notam esse; imo eandem in revelatione inspirationis virtualiter includi ideoque implicite revelatam fuisse merito concluditur. Ergo responsio data non videtur sufficere. Respondemus: In rigore in hac etiam hypothesi verum manet, quod diximus. Ut id magis declaretur, primo unum concedimus. Ex descripta saepius assistentia quocunque modo cognita infertur necessario, omnia, quae in tali libro continentur, a Deo interna scientia pro veris haberi internoque actu pro bonis et utilibus approbari. Proinde qui nihilominus eorum aliquid negaret, sine dubio per conclusionem aliquam logicam convinceretur negare, quod Deus pro vero agnoscit et interne approbat. At negare id, quod Deus etiam externa locutione ut verum asseruit et suo nomine et sua auctoritate credendum proposuit, qui ita ageret, nullatenus convinceretur. Porro hoc posterius de Scriptura credendum esse, supra demonstravimus. Quod prius illud non sufficiat, ita ostenditur. Istud omni veritati est proprium seu de omni vero, licet in Scriptura non contineatur, dici potest. Nam Deus, cum sit omniscius, non solum omne verum cognoscit sed et simul certa ratione interno actu approbat, si bonum esse cognoscitur. Quare quicumque veri aliquid negat, conclusione quadam convincitur negare id, quod Deus pro vero habet et interne approbat. Propter hoc tamen nemo peccare contra fidem divinam Deique auctoritatem spernere creditur aut praesumitur. Et tamen id certissime tenendum est de eo, qui negat, quidquid in sacra Scriptura legitur. Ergo interna Dei scientia et approbatio rebus divinam auctoritatem haud conciliat. Neque res per se mutatur, si Deus ipse hanc suam assistentiam hominibus utcumque revelasse supponitur. Aliud est, si Deus eo animo iisque verbis id fecisse supponatur, ut nullum dubium

viderit, quod nos pro vero ipse habet. Non vero haec impugnatio Caio displicebit, quod auctoritatem suam spretam esse videat. Quae displicentia utique naturaliter in nobis augebitur, si nos insuper alteri suasores extiterimus, ut eam sententiam coram aliis verbis aut scripto assereret. Sed sicut per tale consilium nondum nos ipsi hanc rem publice proposuisse et asseruisse dicendi sumus; ita eius rei negatio in hoc etiam casu non ideo nobis displicebit, quia nostra auctoritas et assertio spernitur. Aliae huius displicentiae rationes sunt, quae neminem latent.

esse possit, quin Deus hac sua revelatione hominibus significare voluerit, omnia, quae in tali libro leguntur, habenda esse tum ut in thesauro internae scientiae suae comprehensa, tum ut externa approbatione sancita et qua talia hominibus ad credendum proposita. Sed assistentia Dei hoc modo revelata et notificata, ut quisque videt, expressae Dei approbationi, qualem supra ut libro aliquo superaddendam descripsimus, omnino aequivalere cognoscitur. Quare sponte ad alteram, quam ibi proposuimus, sententiam delabimur. Ita hanc evasionem praecludimus in articulo sequenti, ubi secundam ex propositis theoriis refutare aggredimur.

ARTICULUS TERTIUS.

Neque subsequens Dei approbatio ad constituendum librum inspiratum sufficiens invenitur.

57. Ante omnia auctoribus, quibuscum nobis hic res est, unum libenter concedimus, imo cum ipsis contendimus. *Negari non potest, librum* licet solum ab homine sine ullo speciali et extraordinario Dei adiutorio scriptus supponatur, *per subsequentem Dei approbationem eandem omnino posse nancisci auctoritatem, quam habent libri inspirati.*[1] Quod quia forte alicui non est satis perspicuum, et quia multos in errorem induxit, uberius declarare simulque probare aggredimur. Ad hunc finem iterum ad exemplum ex rebus humanis desumptum recurrimus. Sit igitur alicubi in terris barbaris gens aliqua, quae legibus civilibus careat. Afferatur a quopiam ad gentem illam codex legum v. gr. qui Iustiniani dicitur. Talis codex per se apud illam gentem vim legis nullatenus obtinet. Ad summum in pluribus pro dictamine quodam iusti et aequi haberi poterit. Sed aliquid addamus suppositioni nostrae. Codex iste a rege seu legislatore illius gentis primo diligenter examinatur et deinde perfecte et in omnibus approbatur ac qua codex, qui deinceps in toto regno pro lege inviolabili haberi debeat, subditis pro-

[1] Supponendum utique est, quod in se non apparet impossibile, librum, quem hic dicimus approbandum, continere res utiles eumque insuper immunem esse ab omni errore. Secus enim liber approbationis, de qua hic loquimur, haud esset capax. Deus enim nonnisi vera et utilia approbare potest. *(Cfr. Kleutgen opuscul. cit. II. n. 18. 19.)*

ponitur ac solemniter promulgatur. Dico: Per talem approbationem sine dubio omnes et singulae leges illius codicis eandem omnino auctoritatem obtinebunt, acsi leges istae ab ipso rege seu legislatore proprio ingenio fuissent inventae propriaque manu conscriptae. Vel paululum immutemus hypothesim. Ego ab amico aliquo absente per epistolam de quaestione quadam philosophica vel de facto quopiam historico consultus fui. Possem, ut huic amico respondeam, circa talem quaestionem seu tale factum mentem meam aperire per elucubrationem aliquam ad hoc ipsum a me elaboratam et ad amicum transmissam. Sed habeo ad manus librum certi cuiusdam auctoris, ubi de illa quaestione vel de illo facto omnino secundum meam sententiam agitur. Ideo responsi loco amico transmitto librum istum et paginâ, ubi de re agitur, accurate indicata literis additis ita dico: In hac re cum sententia illius libri, quem transmitto, perfectissime consentio. Si deberem ipse de hac re scribere, reapse non haberem, quod illo auctore melius, concinnius meaeque menti conformius scriberem. Profecto in tali hypothesi ille liber seu ille certi libri locus in futurum tum pro amico meo, tum pro omnibus, quibus mea epistola innotuerit, non solum auctoris primitivi sed et meam sententiam exhibebit. Inde fiet, ut, quae ibi dicuntur, in futurum meae etiam fidei et auctoritati innitantur, eadem prorsus ratione, ac si ego ipse locum illum primitus composuissem. Id porro attribuendum est approbationi, quam loco isti per epistolam superaddidisse invenior. Iam vero totum hoc ex paritate rationis transferri potest ad librum aliquem humanitus editum, si simili ratione a Deo postea approbatus fuisse ponatur. Per talem enim approbationem declaratur liber a Deo ipso ut in omnibus menti divinae conformis et pro hominibus infallibilis regula fidei divinae constituitur. Quare si hoc solum dixisset Bonfrerius et qui cum ipso sentiunt, certe nihil falsi dixissent.

58. *Concedimus insuper,* quod et ipsum ex dictis consequitur, *talem librum post acceptam divinam approbationem sensu aliquo vero licet minus pleno dici posse librum canonicum, sacrum, divinum, et proinde verbum Dei* saltem in genere vel etiam *verbum Dei scriptum.* Ratio est manifesta. Talis enim liber post approbationem, ut ostensum est, in omnibus divina pollet auctoritate. Res omnes in eo contentae fide divina sunt credendae

dicique debent res divinitus revelatae.[1] Porro hoc inter alia, imo hoc praecipue et immediate significamus, cum librum aliquem canonicum, sacrum et divinum appellamus. Hoc idem dicimus, cum asserimus, librum continere verbum Dei aut verbum Dei esse. Quare cum de scripto agitur, illud non solum in genere sed et cum addito verbum Dei scriptum appellari poterit. *(Cfr. l. I. n. 12.—14.)*[2]

59. His concessis declarandum est, quid defensoribus huius de inspiratione sententiae haud concedi possit. Igitur *negamus, librum ex eo solum, quod ei approbatio divina utcunque ampla addita supponatur, fieri aut dici posse librum divinitus inspiratum.* Hoc facillime demonstratur. Ex dictis librum esse inspiratum idem est ac librum Deum habere auctorem. Atqui per approbationem subsequentem Deus auctor libri fieri nequit. Hoc per se patet. Ut autem res clarius perspiciatur, redeamus ad exempla superius posita. *(n. 57.)* Quis igitur ferret eum, qui in casu descripto eo solum, quod rex codicem illum pro regno suo approbaverit, diceret: Hic codex regem habet auctorem,

[1] Revelare, cum de Deo dicitur, ex communissima acceptione nihil aliud significat, quam Deum loqui hominibus vel Angelis eisque mentem suam manifestare. Ita dicimus, Deum hominibus revelasse propriam existentiam, immortalitatem animae, obligationem honorandi parentes. Interdum tamen hoc vocabulum sensu strictiore sumitur, qua significat, Deum loqui hominibus de rebus occultis, et quae aliunde ipsis manerent ignotae. Et haec significatio nativae vocis potestati magis congruit. Nos hic, ut apparet, vocabulum in sensu priori seu latiori accipimus. Nihilominus aliam observationem addimus. Si res bene examinetur, non videtur adeo magnum discrimen inter utramque huius vocis acceptionem. Nam etiam secundum priorem significationem per revelationem semper novi aliquid discimus. Nimirum discimus, Deum id, de quo agitur, testificatum esse ut verum et insuper de eo praeceptum credendi hominibus dedisse.

[2] Hoc inde est, quia hae expressiones directe saltem et essentialiter originem libri, quae divina sit, non indicant sed ad res contentas maxime respiciunt. *(Cfr. n. 59. n. 2.)* Aliud est de termino complexo Scripturae divinae. Is enim praeter res seu argumentum etiam originem libri certo modo supernaturalem ac divinam significare cognoscitur. Nam quid aliud est proprie et primarie Scriptura divina, quam liber a Deo editus seu divinitus scriptus? Quare hanc expressionem hic aliis non adiunximus. Nihilominus non negamus, etiam istum terminum sensu aliquo generaliori, qui tamen minus est commodus, libro specialiter a Deo approbato applicari posse. Applicari scilicet potest eo sensu, quo librum divinum dici posse paulo antea significavimus. Hoc Bonfrerius *(l. c.)* fecisse videtur, licet satis ambigne loquatur. *(Cfr. n. seq. nota 2.)*

aut hic codex a rege barbaro fuit conscriptus? Et in altero casu nonne summa foret arrogantia, si dicerem: Illum librum seu illam libri partem, in qua meam sententiam bene expressam inveni, conscripsi ego; aut si utcumque contenderem, per epistolam, qua illum locum amico indicavi et probavi, me illius loci auctorem evasisse? Multo autem falsius adhuc et arrogantius foret, si dicerem: Ego solus sum auctor talis scripti, aut saltem ego considerandus sum ut auctor principalis et primarius; eum vero, qui tale opus primitus composuit, aut nullo modo pro auctore aut ad summum pro auctore secundario habendum esse serio contenderem. Iam vero, ut in libro primo ostendimus, Deus ita est auctor sacrorum librorum, ut ipse sit auctor principalis; homines vero, per quorum manus hi libri conscripti sunt, nonnisi auctores secundarii dicendi sunt. Concludimus ergo: Haec theoria approbationis pro defendenda Scripturae inspiratione insufficiens est. Licet enim in ea prima et secunda Scripturae praerogativa[1] *(cfr. l. I. c. 1. et 2.)* in tuto maneat; tollitur tamen omnino tertia, quae praecipua est et proprie sub nomine inspirationis venire consuevit. Ergo ista theoria est reiicienda, sicuti reapse a concilio Vaticano reiecta fuit.[2] *(Cfr. Cherub. a s. Ioseph. disp. IV. art. 1. § 3. 4.)*

Corollarium. 60. Ad has theorias plenius reiiciendas novam assertionem addimus. Igitur *neque assistentia Dei et subsequens approbatio simul sumptae inspirationem proprie dictam constituere possunt.* Ratio huius assertionis est manifesta. Ut enim hucusque demonstratum est, neque assistentia divina neque approbatio per se ad inspirationem sufficiunt. Nominatim neutra libro tribuere potest praerogativam divinae originis. Atqui per

---

[1] Sub hoc respectu ista sententia, licet nullum omnino influxum a Deo in auctorem humanum derivatum supponat, quod de priore dici non potest, invenitur priore superior, quae cum multiplici influxu divino, quam scriptori humano tribuere potest, per se sola nonnisi primam Scripturae praerogativam perfecte tueri potest.

[2] Cum nostris libris de facto conveniat origo sacra et divina, et cum aliunde per adiectiva sacer, divinus ac per terminum verbum Dei scriptum praeter alias supernaturales praerogativas satis apte etiam supernaturalis origo libri adsignificari possit, et ex communi usu revera adsignificetur; sequitur, neque hos terminos omnino eodem modo et in sensu univoco cum nostris libris tribui posse libro, qui mere a Deo approbatus esse poneretur.

utriusque theoriae coniunctionem earum natura non mutatur, et nominatim respectu originis libri, de qua praecipue agitur, nullum novum momentum inducitur. Ergo inanis esset labor illius, qui has duas theorias per se insufficientes in unam perfectiorem conflare conaretur. Item ex dictis *ad explicandum plenum inspirationis conceptum non pertinges, si assistentiae et approbationi qualemcumque praevium impulsum ad scribendum adiungas.* Solus excipiendus est casus, ubi impulsus eo sensu factus intelligitur, ut secum afferat suggestionem eorum omnium, quae scribenda sunt. Ceterum haec magis explicabuntur in capite sequenti. *(n. 75. seqq.)*[1]

Scholion primum. 61. Ut in re praesenti quasdam difficultates, quae ex Scriptura ipsa oriuntur, enodemus simulque totum modum, quo Deus in edendo libro aliquo inspirato ad auctorem humanum veluti consequenter habere se possit, plenius explicemus et tandem paulatim pro subsequentibus viam aperiamus; in hoc scholio textus quosdam Scripturae, quibus patroni approbationis subsequentis in suam sententiam adducti fuisse videntur, accuratius explicandos suscipimus. Agitur igitur maxime de *Tit. I. 12; Act. XVII. 28.* et si quae sunt similia, ubi effata profanorum auctorum sacrae Scripturae intexta inveniuntur. Ante omnia videamus, qua ratione adversarii hisce textibus utantur eosque in rem suam convertant. Apostolus, aiunt, in epistola ad Titum in describendis Cretensium moribus verba Epimenidis, poetae profani, adoptasse deprehenditur. Ergo verba auctoris profani, quae certe primitus nonnisi industria humana scripta erant, fieri possunt imo reipsa facta sunt pars formalis Scripturae sacrae. Porro haec Scripturae pars certe quoad praerogativas supernaturales ceteris Scripturae partibus inferior non est. Cum igitur tota Scriptura inspirata sit, consequenter dicendum est, illa verba poetae profani per insertionem in Pauli epistolam inspirata evasisse. Si tandem attentius inquiratur, qua ratione id effectum sit; aliud non occurrit, quam subsequens

[1] Nec ad has theorias tuendas aut nostram argumentationem infirmandam ad divinam praescientiam et ad generalem Dei concursum recurrere iuvat. Nam neque unum neque alterum operi literario aut divinam auctoritatem aut originem divinam tribuere poterit. Secus etiam impia impiorum opera inspirata dicenda essent, cum in iis tum divina praescientia praecesserit tum generalis Dei concursus pariter adfuerit.

Dei approbatio, cuius Paulus qua scriptor inspiratus et internuntius extiterit et promulgator. Haec eadem aut huic similis esse debet argumentatio, quae pro eadem re ex aliis locis similibus ab adversariis instituitur. Videamus itaque, an in hac argumentatione conclusio sit legitima. Simul generatim inquirimus, quid ex huiusmodi locis legitime inferri possit.

62. Ante omnia, si locum adductum diligenter inspicias, statim invenies, verum non esse, quod asseri solet, scilicet Paulum verba Epimenidis proprio sensu fecisse sua. Quod Paulus fecit, illud est. Primo dictum illius poetae historice refert; deinde adiungit, poetam in eo dixisse verum. Ita enim ad verbum ibi legimus: «Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Testimonium hoc verum est.» Quomodo quaeso in hac narratione Pauli ipsa verba poetae fiunt inspirata? Inspirata solum est tum verborum illorum historica relatio tum iudicium Apostoli, quod de eorum veritate subiungitur. Corruit ergo totum fundamentum illius argumentationis, quae huic loco superstruitur. *(Cfr. Kleutgen opusc. de sent. Less. III. n. 23; Cherub. a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 7. § 5. n. 73.)*

63. Sed ponamus, Paulum reapse illa verba sensu proprio adoptasse et sua fecisse. Neque in hac hypothesi adversarii, quod contendunt, assequuntur. Concedimus quidem, in hac hypothesi verba, de quibus agitur, prout penes Apostolum legerentur, sensu proprio habenda fore pro inspiratis. At negamus, ita verba illa fieri inspirata, prout leguntur apud Epimenidem. Ea potius qua talia semper manent verba profana poetae profani. Quod autem caput est, in hac hypothesi illa verba neque prout penes Apostolum legi supponuntur ideo forent inspirata, quia Deus aut Apostolus verba Epimenidis approbavit. De tali enim approbatione in ista hypothesi penes Apostolum nullum esset indicium. Potius tunc ea verba inspirata essent, quia Apostolus ea scripsit ut a Deo inspiratus i. e. sub illo Dei influxu constitutus, qui ad veram inspirationem requiritur. Quod Apostolus eadem scripserit, quae ille poeta antea scripserat, in eo casu rei plane extrinsecum foret. Scripsisset enim independenter a poeta illo, nec ullum respectum proprie dictum ad eum habuisset.

64. Rem istam ulterius explicamus. Verba quaecunque sine dubio semper considerari possunt simpliciter qua verba sunt, quae ad communem hominum usum pertinent. Cum enim certa verba vel certus verborum circuitus certum fundant sensum, a quolibet homine, qui mentis et linguae capax existit, loquendo vel scribendo usurpari semper possunt. Neque, cum loquimur, tenemur inquirere, utrum nostra verba iam ab alio aliquo homine prius aliquando usurpata fuerint. Nam quia iam aliquis illis verbis aliquando est usus, profecto nequaquam aliis hominibus licentia usurpandi ea verba ablata est. Quo posito quicumque sensum illum, quem certa verba exprimunt, independenter a verbis vel scriptis alterius conceperit et ad sensum illum exprimendum dictis verbis uti voluerit, sive scripto sive viva voce id fecerit; is eorum verborum, prout ea ab ipso nunc pronunciantur vel scribuntur, auctor et inventor dicendus est. Nec propterea quod iam alius ante ipsum ad eundem sensum exprimendum iisdem verbis usus fuerit, in rigore eorum auctor ac inventor esse desinit. Si ergo, ut ad rem nostram redeamus, supponimus, tum poetam profanum tum Apostolum, utrumque tamen plane independenter ab altero, iisdem verbis Cretensium mores descripsisse; eiusdem descriptionis uterque auctor ac inventor erit. Quare descriptio illa, prout legitur penes poetam, erit opus poetae, prout legitur penes Apostolum, erit opus Apostoli. Quia vero supponimus, poetam viribus mere humanis usum fuisse, descriptio penes ipsum minime erit inspirata. Penes Apostolum autem descriptio inspirata erit, quia supponimus Apostolum sub illo extraordinario Dei influxu, qui inspiratio dicitur, constitutum ea conscripsisse. Ita Deus relate ad Epimenidem per inspirationis charisma neque antecedenter neque subsequenter sese habuisse invenitur, cum eius verba inspirata non sint, et cum generatim Deus, dum Paulum inspiravit, in hac hypothesi nullatenus ad Epimenidem respexit. Ad Paulum autem Deus etiam quoad ista verba antecedenter se habere potuit; imo ita se habere debuit, cum penes ipsum ex suppositione facta descriptio illa revera ut per se inspirata habenda sit. *(Cherubini a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 7. § 5. n. 72. 74.)*

65. Nec multum refert, quisnam ex pluribus prius scripserit. Id ex sequentibus clarius patebit. Ponamus duos homines,

Caium degentem in Europa et Sempronium in America constitutum. Ambo invicem sibi ignoti et ab invicem plane independentes novam aliquam excogitasse supponantur machinam, quae eiusdem omnino generis et constructionis sit et eidem omnino operi inserviat. Excogitatam uterque suis manibus construxit. Profecto uterque inventor et auctor illius machinae dicendus erit, Caius nimirum illius in individuo machinae, quam ipse construxit, Sempronius vero alterius, quae ab ipso est elaborata. Nec per se et ex lege naturae Caius ideo, quod hebdomade aut dimidio anno prius opus perfecisse supponatur, Sempronio honorem inventionis ac ius et emolumentum, quod inventorem machinae sponte sequitur, praeripere aut prohibere merito poterit. Sicut Caius suum opus multiplicat, ita et Sempronio ius opus suum multiplicandi sartum tectumque esse debebit. Id unum Caius prae Sempronio gloriari poterit, sese illud opus paulo prius absolvisse. De cetero manet uterque inventor machinae isque inventor aeque principalis cum altero. Idem consequenter dicendum est, si duo scriptores ab invicem plane independentes eadem quoad sensum iisdem fere verbis scripsisse supponantur. Uterque in hoc casu erit sui scripti auctor isque aeque principalis cum altero. Quod ex sequenti consideratione manifestius apparebit. Fac duos scriptores, quos posuimus, idem factum retulisse. Claritatis gratia unum vocemus Petrum alterum Ioannem. Si nunc tertius quidam v. gr. Iacobus, cui nonnisi Petri liber in manus devenit, illud factum coram Ioanne in dubium vocaverit, eo quod a Petro narratum legerit, quem dicit hominem esse stupidum aut mendacem, cuius scriptis nulla fides habenda sit; is Ioanni Ioannisque libro per se nullam faceret iniuriam. Imo supponere possumus, Iacobum statim omne dubium depositurum, simulac audierit, Ioannem etiam independenter a Petro eadem retulisse. Ex his sole clarius elucet, nos hic tum duos habere auctores tum duos libros, vel, si vis, in casu habemus eiusdem libri duos auctores ab invicem independentes simulque aeque principales.

66. Facile est haec ad rem nostram applicare. Si quis in hypothesi, quam modo spectamus, scilicet quod Epimenides et Paulus sine ulla ab invicem dependentia eandem de moribus Cretensium descriptionem ediderint, Epimenidem vituperaret, quod nimis rigorose imo malitiose et contra rei veritatem de

Cretensium moribus scripserit; is directe et per se solum Epimenidem laederet. Apostolus vero et Deus, qui Apostolum inspiravit, per haec nonnisi indirecte tangerentur, quatenus scilicet reapse idem dixerunt, quod Epimenides dixerat. Imo cogitari posset casus, quo Deus et Apostolus tali reprehensione nullo modo tangerentur. Si enim Epimenidis obtrectator solum assereret, tempore Epimenidis illam descriptionem exaggeratam fuisse, haec reprehensio ad Apostolum nullatenus pertineret. Tunc enim tempore Apostoli et in eius ore totum verum esse potuit. Mores enim populorum saepe lapsu temporis in contrarium mutantur. Ergo in tali hypothesi, ut apparet, reapse duplex haberemus opus duosque auctores. His aliam addimus considerationem. Si quis nunc locum illum ex Epimenidis opere expungeret, nullum in eo patraret sacrilegium; expungeret enim partem profanam operis profani. Econtra qui ea verba, quomodocumque penes Paulum legi supponantur, ex Pauli epistola expungeret, sine dubio sacrilegium committeret. Ex quo iterum concludimus, duas nos habere descriptiones duoque opera, quae non solum admittunt sed necessario duos auctores postulant. Haec eadem responsio ad ceteros locos, si qui similes reperiantur, transferenda est.

Scholion secundum. 67. Ex dictis haec sequi videntur. Ergo 1. *idem liber potest esse simul inspiratus et non inspiratus.* 2. Saltem *fieri poterit, ut liber inspiratus in nullo differat a non inspirato,* ideoque 3. *ut liber aliquis praeter Deum auctorem principalem habeat pariter hominem auctorem non solum secundarium sed aeque principalem.* Quid ad haec dicendum est? Videntur enim ista primo aspectu valde absona et absurda; quare ista breviter declaranda sunt. Ante omnia monemus, nos in superioribus proprie non de integro aliquo libro, sed de una vel altera sententia aut de exigua quadam libri parte locutos esse. Deinde ad singula accedimus. Quoad primum negamus, ex doctrina nostra sequi, ut idem numero liber possit simul esse inspiratus et non inspiratus. Concedimus vero, in rigore veritatis fieri posse, ut idem specie liber in uno veluti individuo sit inspiratus in alio vero minime, sicut de textu Epimenidis exposuimus. Ad secundum item concedimus, fieri in rigore posse, ut liber inspiratus a non inspirato quoad res, quae in eo dicuntur, parum aut nihil differat. At inde nondum con-

sequitur, ut talis liber etiam quoad alias qualitates, quae libro maxime sunt intrinsecae, ut quoad originem, auctoritatem, sanctitatem nihil peculiare habeat et prae non inspirato nullo modo excellat. Porro quod hic concedimus, in rigore nihil absurdi habet.[1] Quoad tertium nihil aliud concedere cogimur, quam hoc unum: Per se et absolute loquendo fieri potest, ut homo aliquis suis viribus librum aliquem conscribat, qui quoad res contentas in omnibus similis sit libro inspirato v. gr. libro secundo Machabaeorum. Hoc tamen nullo modo est absurdum; sicut non est absurdum, terram naturaliter producere vinum vino illi per omnia simillimum, quod per miraculum produxit Christus Dominus in Cana Galilaeae, cum aquam in vinum converteret. Sed in hac hypothesi, ut apparet, homo nullo modo dici posset auctor libri inspirati neque primarius neque secundarius. Homo enim tunc solum foret auctor libri, qui quoad res contentas inspirato in omnibus sit simillimus. Haec de absoluta rei possibilitate dicta sint.

68. Aliter iudicandum est, dum de possibilitate morali agitur. Si enim res bene expendatur, haec, quae praetenduntur, *tum quoad integrum aliquem librum tum quoad considerabilem libri partem in se et a priori valde improbabilia sunt, ut non dicam, moraliter impossibilia. A posteriori vero et quoad factum omnino falsa esse,* in comperto est. Haec assertio nunc per partes demonstranda est. Quoad primam eius partem haec advertimus. Liber inspiratus ex natura sua est liber religiosus et qua talis necessario instructioni religiosae inservire debet. Quis enim alius finis, ob quem Deus hominibus tradat librum inspiratum, excogitari possit? Ergo liber inspiratus si non ubi-

[1] Hoc a simili ita declarari posset. Secundum sententiam multorum theologorum *(cfr. Ripalda de ente supernat. disp. 45. et 46.)* in diversis hominibus vel etiam in eodem homine pro diverso tempore duo actus moraliter boni inveniri possunt, qui quoad obiectum, quod alioquin a theologis dicitur speciem dare actibus, nihil differant. Differunt tamen actus isti ex eorundem sententia aliunde quam plurimum. Differunt enim primo *quoad originem.* Nam unus est speciali modo a Deo per gratiam scilicet supernaturalem, alter a sola natura i. e. per vires naturales. Differunt deinde *quoad essentiam.* Nam unus est quoad substantiam supernaturalis alter naturalis. Differunt denique *quoad efficaciam moralem.* Nam unus est meritorius vitae aeternae alter non. Ergo a simili duo libri, qui quoad argumentum conveniunt, aliunde quam maxime differre poterunt.

que saltem maximam partem veritates religiosas sive dogmaticas sive morales continere debebit. Praeterea liber inspiratus, ut saepe dictum est, ubique et in omnibus ab errore immunis sit, necesse est; neque quoad res profanas aut indifferentes, si quae in eo reperiantur immixtae, aliqua exceptio admitti potest. Iam vero licet libenter concedamus, hominem absque revelatione divina et sine extraordinario Dei adiutorio quam plurimas veritates religiosas naturalis ordinis tum speculativas tum practicas cognoscere posse, simulque libenter fateamur, etiam veritates ordinis naturalis obiectum saltem partiale revelationis divinae constituere posse, imo licet in praesenti oeconomia id reapse factum esse et pro statu nostro moraliter necessarium fuisse, pro certo habeamus; nihilominus in hypothesi, quam impugnamus, multa manent difficilia, ut non dicam, impossibilia. Quis enim facile concedet, hominem in statu naturae lapsae viribus naturalibus composuisse librum, qui, cum de rebus religiosis potissimum agat, tum in rebus religiosis nihil omnino falsi aut minus convenientis contineat tum simul in rebus profanis hinc inde sparsis omni errore careat? Quomodo facile liber humanitus compositus idoneus videri possit, qui humano generi ut instructionis religiosae instrumentum et ut infallibilis divinae revelationis fons a Deo ipso proponatur? Iam vero haec omnia in hypothesi, quam impugnamus, necessario continentur. Insuper certe non facile supponendum est, Deum, si homines in religione et praesertim in religione quoad substantiam supernaturali, qualis est fides nostra, per librum instruere placuerit, hominibus tradidisse librum, in quo nihil inveniatur, quod in seipso supernaturale sit hominique per se impervium. Imo si divinae excellentiae et maiestatis ratio habetur, difficulter intelligitur, quomodo liber Deo auctore dignus appareat, si in eo nihil legatur, quod hominum captum viresque humanas aliquo modo excedere videatur. Insuper nonne Deum ut omniscium et sapientissimum gubernatorem omnium rerum cognovimus? Quare si Deus viderit, hominem aliquem viribus mere humanis talem librum editurum, qualem ipse per hominem inspiratum qua opus divinum edere ab aeterno decreverat, nonne ad eius dignitatem spectare videbatur, ut aut tale opus in illo homine impediat, aut inspirationis charismate infuso illo prae ceteris homine pro organo ad librum inspiratum conscribendum uteretur,

aut denique alium edere librum decerneret, ne saltem quoad externam apparentiam purus homo opus Dei sibi praeripuisse et Deus opus hominis postliminio sibi appropriasse videretur? Est ergo haec hypothesis, ut parum dicamus, Deo non satis digna naturisque rerum non admodum conveniens ideoque iam a priori ad minimum maxime suspecta.[1] *(Cfr. Franzelin l. c. n. 2.)*

69. Modo rem istam paucis consideremus a posteriori seu quoad factum. Factum ergo quod attinet, non puto quemquam fuisse, qui suspicatus fuerit multoque minus qui serio affirmaverit, aliquem ex libris nostris canonicis quoad res contentas cum libro aliquo profano in omnibus perfecte convenire. Aliis verbis hucusque nemo docuit aut saltem suspicatus est, antequam certus sacrae Scripturae liber a scriptore inspirato ederetur, iam exstitisse librum ab auctore humano editum illi Scripturae libro per omnia similem. Nec ullibi talis rei vel minimum invenitur indicium.[2] Et revera talis suppositio sensui catholico omnino contradicere videtur. Non enim dubito, quin omnes tum theologi tum fideles existimarent, ab eo, qui tale aliquid suspicaretur, laedi honorem Dei, prout de facto auctor Scripturae esse dignatus est. Ex quo sequitur hoc principium: *Secundum sensum catholicum Deus omnimode,* ideoque etiam in quantum nostri libri solummodo materialiter et quoad res contentas spectantur, *habendus est non solum ut auctor primus ac principalis sed etiam ut auctor in eo ordine solus atque unicus.*

CAPUT TERTIUM.

Vera doctrina de divina Bibliorum origine proponitur.

70. Exclusis sententiis, quae peccant sive per excessum sive per defectum, directe et positive declarandum est, quomodo Deus in edendis libris sacris sese gesserit. Supponimus, quod ex dictis in primo capite huius libri consequitur et in

[1] Iisdem argumentis, ut patet, excluditur assumptum, quo Deus librum humanum per approbationem subsequentem, quam antea descripsimus, quasi postliminio adoptasse adoptatumque tamquam divinae revelationis instrumentum exhibuisse ponitur. Hoc sensu accipi et admitti possunt, quae habet Cherubinus a s. Ioseph. *(l. c. disp. IV. art. 1. § 4. n. 63. 64.)*

[2] De relatione libri II. Mach. ad librum Iasonis Cyrenaei agemus postea et huiusmodi suspicionem excludemus. *(Cfr. n. 107. seqq.)*

verbis Patrum superiori libro relatis aperte continetur et quoad plerosque nostrorum librorum ex historia sacra ipsaque Scriptura est certissimum omniumque persuasione firmatum, omnes libros Scripturae quoad factum externum et visibile a certis quibusdam viris conscriptos fuisse. Insuper — quod item partim ex antea dictis partim ex principio communiter recepto, secundum quod supernaturalia et miraculosa ultra necessitatem non sunt amplianda, aperte consequitur — in hac inquisitione ut certum sumimus, Deum in auctores sacros non maiorem exercuisse influxum, quam qui necessarius apparebat, ut ipse Deus primarius dictorum librorum auctor existeret. Quo posito iam quaeritur, *qualis influxus divinus* ad dictum finem *requiratur et sufficiat.* Huic quaestioni primo generali quadam consideratione satisfaciemus. Deinde ob rei gravitatem respicientes magis in particulari singulas auctoris hagiographi facultates primo quaeremus in specie de influxu Dei pro intellectu, dein pro voluntate simulque pro viribus externis et exsecutivis ipsius hagiographi. His respondet divisio huius capitis.

ARTICULUS PRIMUS.

Influxus divinus in auctorem hagiographum in generali describitur.

71. Ut primo influxum, de quo agimus, generali quadam ratione describamus, iterum confugimus ad exemplum nostrum, quod ex rebus humanis desumpsimus. Sit iterum Caius, qui tum ex longo tempore in mentem induxit, ut ederet opus quoddam scientificum, quod tam novitate conceptuum quam dispositione rerum hominum admiratione dignum videatur, tum ad horam opus illud mente sua iam quoad omnia perfectissime delineavit. Primo igitur quae operi suo inserenda sint quae non, et mature consideravit et quoad omnia ac singula accurate determinavit. Deinde rerum dispositionem rebus ipsis convenientissimam et invenit ingenio et animo constituit. At cum ipsi, utpote rebus aliis occupato, tempus non suppetat, quo conceptum opus aut propria manu exsequi aut de verbo ad verbum dictare possit; adsciscit Sempronium, virum ingenio et scientia haud spernendum. Cum eo protinus agit, ut suo i. e. Caii nomine designatum opus scripto exsequatur. Hunc in finem,

cum ille parere sit paratus, Sempronio non solummodo indolem libri in genere indicat, sed sensa omnia singulasque sententias conceptusque singulos, quos liber continere debet, accurate communicat. Quodsi quando Caius tam exactam immediatamque circa omnia instructionem dare necessarium non ducit; postquam iam ab initio Sempronio totius libri consilium et indolem nec non et res tractandas omnes generaliori quadam ratione in antecessum exacte indicaverat, postea eidem accuratissime fontes indigitat, unde quae scribenda sint, haurire possit ac debeat. Adiungit simul normam, iuxta quam Sempronius indicatis fontibus uti debeat. Ita demum Caio certissimum est, fore, ut hac ratione hisque mediis Sempronius ex fontibus illis aliud non hauriat nec aliud scribat, quam quod ipse scribendum esse iam ab initio penes se constituerat. Pari ratione, quantum res postulat, Caius Sempronio totius libri dispositionem, prout ipse antea animo designaverat, indicat ac praescribit. Denique Sempronio scribenti continuo invigilat, ne contra suam mentem aliquid inserat aut omittat, simul cavens, ne aliis verbis aliove verborum circuitu utatur, quam quae ad scopum libri et ad statutum ubique sensum exprimendum satis apta ipsi videantur. Iam si liber hoc modo compositus, et si necesse fuerit, post scriptionem a Caio diligenter revisus tandem Caii nomine in vulgus edatur; nemo negabit, eum inter Caii opera fore recensendum, Caiumque principalem eius libri auctorem dici posse ac debere, haud secus ac si illum aut ipse conscripsisset aut de verbo ad verbum Sempronio dictasset. Sempronius vero in hac hypothesi aut nullo modo auctor libri aut ad summum auctor secundarius haberi poterit, utpote qui in eo edendo magis amanuensis quam auctoris officium explevisse inveniatur.

72. Id totum magis confirmatur hoc modo. Iure quaerimus: Ad quem in casu aut unice aut saltem primarie spectat laus, quam auctor talis libri ab hominibus sperare merito potest, num ad Sempronium an ad Caium? Ad quem pertinet meritum et utilitas, quae cum editione talis libri connectitur? Sine dubio omnes absque haesitatione Caio haec adscribenda esse respondebunt. Quodsi econtra aliquid minus veri aut etiam aliquid nocivi in libro reperiatur, hoc item non Sempronio sed Caio aut omnino exclusive aut saltem praecipue imputandum

erit. Nam revera Sempronio in casu nostro sive de laude sive de vituperio vix plus aliquid aequo iure tribui poterit, quam quod amanuensi aut impressori operis aliisque, qui nonnisi valde secundarie ad edendum librum aliquem operam suam conferunt, tribui consuevit. Manet ergo certissimum: In hac suppositione Caius aut unicus aut saltem principalis illius libri auctor censendus est.

73. Ex his ante omnia manet demonstratum, quod supra diximus. Scilicet per se potest Deus fieri auctor librorum per media, quae a mediis extraordinariis, qualia suo loco *(l. II. c. 1.)* descripsimus, longissime absunt. Nam si fieri potest et fit, ut homo in edendo libro opera alterius hominis utatur, si homo neque propria manu scribere neque de verbo ad verbum alteri omnia dictare cogitur, quis negabit, id Deo multo magis possibile esse debere? Inde iure inferimus, quod nunc ostendendum est. Scilicet possibilitate rei concessa ex principiis supra *(n. 70.)* statutis origo sacrorum librorum concipienda est analoge ad exemplum, quod hic posuimus. Quas igitur partes in exemplo Caio attribuimus, eae in edendis libris sacris Deo attribuendae sunt; quae vero Sempronio adscripsimus, ea auctori humano, qui inspiratus dicitur et qua talis per modum administri Deo serviebat, reservanda erunt. Non tamen asserimus, inter influxum Dei in auctores inspiratos et influxum Caii in Sempronium, qualem modo descripsimus, nullam penitus intercedere differentiam. Id paulatim in decursu tractationis nostrae clarius apparebit. Modo influxus divinus, quem iuxta exemplum humanum generaliori quadam ratione complexi sumus, in sua veluti elementa resolvendus est. Ita omnia, quae in edendo libro inspirato ex parte Dei postulanda sunt, enucleatius exponere et singillatim enumerare aggredimur.

74. Igitur ad hoc, ut Deus per hominem inspiratum auctor libri constituatur, requiruntur et sufficiunt, quae sequuntur: 1. Ante omnia opus est, *ut Deus ideam libri inspirati* tum *quoad materiam* seu res scribendas tum *quoad formam essentialem,* quae libro scribendo inesse debeat, *mente sua praeconcipiat.* 2. *Decreto efficaci statuere opus est, ut suo tempore,* quod mente conceptum fuerat, *re et factis executioni mandetur.* Et quia 3. in hac re opera hominis inspirati uti placet, in hunc finem *Deus auctori sacro communicare debet sensa omnia* omnesque libri prae-

concepti assertiones *ut sensa sua* i. e. ut sensa, *quae non hominis sed Dei sensa sunt* seu ut sensa a Deo speciali modo revelata et inspirata. Simul 4. *Deus auctoris humani affectum et voluntatem ita movere debet, ut quae Deo inspirante cognoverat, Dei nomine i. e. ut Dei organum et instrumentum scriptis exsequi aggrediatur.* Aliis verbis propter specialem motionem Dei hagiographus, quae scribit, non scribat ut res proprias sed ut res divinitus communicatas, neque proprio Marte sed nutu divino agat, necesse est. 5. Deus hagiographo scribenti *continuo invigilare debet, ne quid de suo immisceat aut de rebus divinitus sibi communicatis aliquid omittat* et insuper ut in scribendo *talibus verbis talique semper dicendi genere utatur,* quod tum *sensum a Deo intentum accurate et sine errore referat,* tum etiam quoad elocutionis modum ideae Dei praeconceptae satis apte respondeat. Denique non tam ut elementum intrinsecum sive ut liber in se inspiratus sit, sed ut ab hominibus qua talis recipi possit ac debeat, 6. *Deus* sive per ipsum sacrum auctorem sive alia via tale *opus qua librum inspiratum et ex ipsa sua origine divinum hominibus proponat,* necesse est.

75. Haec omnia simul sumpta ad finem propositum vere sufficere, et per se negabit nemo et exemplo, quod ex rebus humanis supra *(n. 71.)* attulimus, abunde demonstratur. Ex altera vero parte haec omnia et singula ad dictum scopum omnino necessaria esse, consideranti per se patere debet et simul ex eodem exemplo collatis simul iis, quae capite praecedenti demonstravimus, necessario consequitur. Quia tamen res implexa et in se non adeo plana est et multo magis, quia quaedam eorum, quae modo postulavimus, olim a pluribus negabantur et hodiedum forte a nonnullis in dubium vocantur, aut certe quia haec multis ulteriore explicatione et demonstratione indigere videbuntur; ideo in sequentibus, quantum res postulat, de singulis accuratiorem inquisitionem instituimus. Igitur quod 1. et 2. loco postulavimus, per se clarum esse videtur. Haec, ut arbitror, causa est, cur ista hucusque fere a nemine expresse postulata fuerint. Neque quod nunc nobis expresse assertum est, serio a quopiam negandum esse credimus. Quare haec proposuisse sufficiat. *(Cfr. Kleutgen opusc. de sent. Lessii III. n. 24.)* Item quae 5. et 6. loco exigimus, primo intuitu necessaria apparent et generatim plus minus ab omnibus

aut expresse postulantur aut saltem tacite supponuntur. Cet
rum nobis de iis alio loco accuratior sermo instituendus eri
Unde neque de his nunc plura sunt dicenda. Manet ergo solu
declarandum et demonstrandum, quod 3. et 4. loco asseruimu
Haec reapse ulteriorem declarationem et demonstrationem p
stulare videntur, quam dabimus in articulis sequentibus. A punc
priori, quod sicut maioris est momenti, ita et maiorem difficu
tatem habet, initium ducimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qualis Dei influxus relate ad mentem auctoris hagiographi postulandus sit.

76. Assertio unica. *Ad inspirationem requiritur,*
Deus qua primarius libri auctor intellectui scriptoris hagiograp
sensa omnia, assertiones omnes, res denique omnes, quas liber co
tinet, ut sensa sua i. e. ut Dei sensa manifestet ac communic
Aliis verbis idem dicitur hoc modo: Necesse est, ut *Deus me*
tem auctoris sacri de rebus omnibus illuminet tali lumine, q
de illis iudicet certitudine divina, cui subesse falsum absolu
repugnat. In summa *cognitio auctoris hagiographi talis esse deb*
ut, qui huic cognitioni repugnat, eo ipso Dei auctoritati repu
nare dicendus sit, quia Deus ipse est, qui eidem per infallib
lumen suum talem cognitionem inseruit. Addimus: *Id valet etia*
in hypothesi, quod auctor humanus res scribendas scientia h
mana aliunde iam cognoverit. Haec assertio declaratione n
indiget; indiget vero demonstratione. Assertio nostra fac
demonstratur in hypothesi, quod auctor sacer, dum scribit, se
esse inspiratum esse clare cognoverit. Quae hypothesis, cu
certe possibilis imo rerum naturis magis conveniens esse
deatur *(cfr. August. de cons. Evang. l. III. c. 7. n. 30.),* hic n
est negligenda. Nam ex ea, ut mox apparebit, in re nost
pro hypothesi contraria illatio magni momenti deduci pote
Quare ante omnia assertionem supra positam in dicta hyp
thesi omnino indubitatam esse demonstrabimus. Deinde ide
independenter ab omni hypothesi ostendendum erit.

Punctum primum.

Praeliminaris consideratio et hypothesis.

77. Sit igitur hypothesis, quod sacer auctor, dum scribit, inspiratum se esse cognoscit. Ita simul cognoscere debet, sese scribere nomine Dei seu agere ut instrumentum divinum. Item consequenter cognoscit, librum, qui edendus est, primarie non sibi sed Deo esse adscribendum i. e. cognoscit, librum ex ipso modo scribendi debere divinam induere auctoritatem. Haec enim cum ex demonstratis necessario in conceptu inspirationis contineantur, ab eo, quem et inspiratum esse et illud ipsum cognoscere supponimus, ignorari nullatenus possunt. Iam vero ita quaerere licet: Qua ratione in his adiunctis scriptor calamum movere et vel unum verbum scribere potest, nisi ipse omnia futuri libri sensa non solum utcumque cognoscat sed vera aliqua ratione cognoscat ut sensa divina Deique nomine exprimenda. Nonne secus timere debet, ne quid calamo excidat, quod iuxta Dei mentem non sit? Certe si ego nomine alterius et ut ei a secretis epistolam scribere debeam, non potero epistolam vel incipere, nisi alter mihi prius quoad singula indicaverit, quid continere epistola debeat. Quodsi accurata instructione non accepta scribere inciperem, non alterius sed meo nomine scriberem. Quare tale scriptum non alterius epistola sed potius mea epistola seu fictio dicenda foret, cum non alterius mentem manifestaret sed meam. Neque alter, quae scribo, ullo modo ut sua agnoscere tenetur. Quodsi ponas ipsi placere reapse, quae ego scripsi; hic ante omnia est casus fortuitus. Deinde in hoc etiam casu verum manet, epistolam secundum rei veritatem et quoad originem mihi soli et non alteri esse adscribendam. Haec in hypothesi praesenti manifesto ad Deum et auctorem hagiographum transferenda sunt. Quare ut auctor sacer in hac hypothesi ad scribendum se accingere possit, prius omnia ac singula, quae scribenda sunt, ut Dei sensa cognoscere debet. Ad id autem requiritur expressa aut aequivalens revelatio ipsi a Deo facta.

78. Haec, ut facile patet, quoad rei substantiam nihil mutantur in casu, quo, qui nomine alterius scribere debet, res scribendas iam aliunde noverit. Nam ad hoc, ut quis nomine alterius agat aut scribat, semper sufficiens mandatum requiritur. Porro tale mandatum, ubi de scriptione agitur, sine praevia

instructione seu communicatione eorum, quae scribenda sunt, intelligi non potest. Quaero enim: Quid ad hunc finem iuvat, quod rem scribendam optime noverim, si ignoro, utrum mandanti placeat, ut de ea ipsa re scribam an vero de alia? Immo ex hoc, quod ego rem aliquam ut certam habeam, nondum securus esse potero, an mandans de facto idem, quod ego de ea re sentiat. Et licet de hoc certus essem, id ad dictum finem minime sufficeret; cum etiam pro mandante, ut supra ostensum est *(n. 56.)*, longe aliud sit, rem aliquam interno actu approbare, aliud illam velle loquendo aut scribendo aliis proponere. Ergo ut nomine alterius scribam, semper illius mandatum expectandum erit, quod, quae scribenda sunt, per omnia accurate contineat. Id unum concedere potes, in his circumstantiis mandatum paucis verbis absolvi posse. Sufficit enim, ut is, qui mandat, alium moneat, ut ex mandato suo scribat de rebus sibi iam cognitis; dummodo illa monitione res in se omnino determinatae indicari supponantur. Sed in eo, ut quisque videt, ex parte mandantis virtualiter vera et perfecta sensus sui manifestatio continetur. Per hoc enim illi, qui eius nomine scribere debet, clare indicat, sese illa, de quibus agitur et quae illi nota sunt, tum interna scientia pro veris habere, tum velle insuper, ut ea suo nomine publicentur. Quare id efficitur, ut quemadmodum scriptor mandato accepto eas res iam non solum per proprium ingenium aut propriam experientiam pro veris agnoscit, sed insuper et per auctoritatem mandantis pro certis habet, ita etiam de earum veritate et utilitate non sit amplius admodum sollicitus. Haec enim omnia post mandatum acceptum cum plena securitate mandantis iudicio et conscientiae committere poterit.[1]

[1] Posset utique fingi casus, quo quis alteri mandat, ut quaedam scribat, quae ipsi scriptori sint notissima, dum eadem mandanti aut nullo modo aut solum superficialiter nota esse supponuntur. Sed hic non est casus noster. Tunc enim ille, qui mandans esse videtur, potius consulentis quam mandantis nomen meretur. Nec in tali suppositione, qui mandat seu consulit, sed qui paret et ex propria scientia rem exsequitur, iure merito verus auctor operis dicendus est. Nam cum elucubrationes literariae ex natura sua ingenii foetus sint, quomodo is auctor operis dici potest, qui res, quae in opere leguntur, nonnisi in confuso et quoad superficiem novit? Numquid enim si v. gr. rex alicui ex belli ducibus mandaverit, ut belli a se gesti historiam texeret, rex auctor operis habendus

79. Dices: Quid peculiare habet mandans prae mandatario, ut ille auctor operis dicatur, iste non, si hic aeque principaliter cum mandante et independenter ab illo tum omnia, quae in opere leguntur, optime perspecta habuisse tum insuper illud scriptis exsequutus fuisse supponitur? Ad hanc quaestionem proprie loquendo iam supra (*n. 63. seqq.*) responsum est. Scilicet ex eo quod, qui nomine alterius scribit, omnia, quae scribit, per se noverit, solum consequitur, ipsum, si voluisset, per se eadem scribere sive auctorem illius operis evadere potuisse. Minime vero per hoc efficitur, ut ipse de facto illius operis auctor existat et cum altero quoad omnia perfecte aequiparari possit. Nam ex eo quod ipse non solum proprio Marte ad scribendum sese accingere noluit sed insuper in commodum alterius veluti amanuensis munere functus est; sicut consilium operis proprio nomine edendi illi concessit ipsique periculum rei commisit, ita et ius et laudem editi operis alteri concedere merito compellitur. Hoc ergo est, quod primus prae secundo peculiare habet: Ipse reapse fecit, quod alter pariter facere quidem potuit sed reipsa facere neglexit. Sed satis de ista hypothesi. Nunc, quod asseruimus, absolute et independenter ab omni hypothesi demonstrandum est.

Punctum secundum.

Ulterior et absoluta rei propositae demonstratio.

80. Primum argumentum pro hac re desumimus *ex demonstratis in puncto superiori.* Argumentamur igitur hoc modo. Demonstratum est, res scribendas omnes a Deo scriptori hagiographo communicari debere in suppositione, quod auctori hagiographo in ipsa scriptione innotescit, sese ut auctorem inspiratum agere. Atqui quod auctor inspirationem suam cognoscat aut ignoret, est quid inspirationi plane extrinsecum. Iam vero nullo modo intelligitur, quomodo circumstantia mere

erit, si ipse non solum bello non interfuit sed et de rebus gestis praeter solum exitum nonnisi obscuram notitiam habuit? Ex eo solum quod ducem ad scribendum impulerit, suasor operis non auctor literarius dicendus est. Quare per hanc hypothesim doctrina nostra magis confirmatur, quam evertitur. Cum omnimoda enim proprietate Deus auctor Bibliorum seu causa efficiens et non solum impulsiva et suasor operis dicendus est.

extrinseca pro natura inspirationis et pro iis, quae ad ipsam necessario requiruntur, tantam mutationem afferre possit. Cur ergo non, quod in illa hypothesi monstratur necessarium, generatim et pro quavis hypothesi ut necessarium habendum censebimus? Quod ita magis declaratur. Omnis cognitio ex natura sua rem cognitam iam perfecte in suo esse constitutam esse supponit. Quare cum cognitio rei in se iam existenti superveniat, essentiam seu naturam illius rei mutare nullatenus potest. Quomodo ergo sacer scriptor inspiratum se esse cognoscat, quin simul etiam sciat, res, quas scribit, sibi a Deo esse communicatas? Profecto haec ex natura sua coniuncta sunt, et illud posterius ad ipsam inspirationis naturam pertinere dicendum est. Et e contrario et vice versa si in casu, quo auctor hagiographus inspirationem suam ignorat, scriptio inspirata sine communicatione rerum scribendarum a Deo facta locum habere posset; non intelligitur, cur idem in hypothesi contraria omnino impossibile evaderet. Ut res manifestius appareat, faciamus hypothesim, quam nemo impossibilem dicere poterit. Ponatur scriptor, qui revera inspiratus sit sed inspirationem suam ignoret. Ponamus insuper secundum sententiam, quam impugnamus, eundem circa res aliquas in libro inspirato proponendas nulla gaudere revelatione nulloque lumine divino, per quod res illas certitudine divina seu ut res a Deo sibi communicatas cognoscat. Uno verbo ponamus, scriptorem istum in eo opere aut ex toto aut ex parte solo lumine humano procedere. Faciamus denique — quid enim vetat? — scriptorem istum, dum in scribendo totus occupatur, a Deo de conditione praesenti statuque suo perfecte illuminari atque edoceri. Quid fiet? Hic profecto ex concessis aut demonstratis in puncto praecedenti opus suum prosequi non poterit. Sed quod plus est, etiam in aestimandis et diiudicandis iis, quae iam scripsit, maximas patietur angustias. Nam ex una parte videt, quae scripsit, sine ullo lumine superiore solaque scientia humana scripta fuisse. Ideo consequenter iudicare cogitur, eas res ex modo, quo scriptae sunt, maiori quam humana auctoritate ac certitudine pollere non posse. Ex altera vero parte, cum auctor ex suppositione facta reapse inspiratus fuerit et illuminatio, quae ipsi postea data esse supponitur, hanc circumstantiam ei manifestaverit, cogeretur credere, ea, quae hucusque scripsit, ex ipso modo, quo

scripta sunt, divina pollere auctoritate. Id enim ex saepe dictis inspirationis natura omnino postulat. Concludendum est igitur, ideo sequi haec inconvenientia, quia in hypothesi facta aliquid absurdi includitur. Si quaeris ulterius, quodnam illud sit, aliud non reperies, quam quod auctor hic ponitur inspiratus simul et destitutus omni lumine divino, quod et suggestioni rerum a Deo factae aequivaleat et rebus, quae ab eo sciuntur et conscribuntur, divinam tribuat auctoritatem. Talis ergo suggestio seu tale lumen pro inspiratione in omni hypothesi postulandum est.

81. Secundum argumentum, quod intrinsecum et principale est, desumitur *ex eo, quod Deus vere auctor est sacrorum librorum.* Argumentum procedit ita. Liber, ut iterato diximus *(n. 8. 48.—51.),* in ultima analysi aliud non est, quam series quaedam veritatum seu assertionum scripto expressarum. Quare qui scribit, per librum sermonem dirigere intendit ad lectorem idque eum in finem, ut lector auctoris sensa cognoscat. Quare scribere librum seu fieri auctorem alicuius libri in ultima analysi aliud non dicit, quam per scripta ad lectores loqui, seu ea, quae quis mente cogitat, scriptis proponere, ut qui legunt, quid ipse sentiat, ex literis eius cognoscere possint. Id manifestissime cernitur, quando auctor ipse propria manu scribit, aut quando quis alteri veluti amanuensi de verbo ad verbum dictat, quae scribenda sunt. At paulo difficilius id intelligitur, quando auctor aliquis librum per alterum edere intendit et hic in edendo libro non pure amanuensis munere fungitur sed tum res, quae scribuntur, ipse cognoscit tum per ingenium suum ad scriptionem libri non parum cooperatur. Tunc enim prima fronte fieri posse videtur, ut hic posterior et non prior ille per librum loquatur ad lectorem. Nihilominus quousque retinendum est, non hunc posteriorem sed priorem illum esse ac manere libri editi auctorem, necessario verum esse et manere debet, hunc et non illum loqui ad lectores seu sensa sua per librum manifestare. Atqui id in hac hypothesi alio modo fieri non potest, quam si veritates, quae in libro asseruntur, primo vera aliqua ratione a primario auctore in secundarium et per hunc tamquam per instrumentum intermedium in scripta deriventur. Iam vero id nonnisi tunc fieri cognoscitur, quando iste, quod ab alio acceperat, huius no-

mine scriptis consignat. In hunc vero finem requiritur, ut hic posterior res scribendas aut nonnisi per influxum prioris cognoverit aut saltem eas nonnisi qua ab eo prius cognitas et acceptas simulque periculo et nomine ipsius scriptis mandare aggrediatur. Porro in his id, quod nunc contendimus, manifesto continetur. Uno verbo si quis scribit et ea, quae scribit, ab alio non accepit, certe ipse, qui scribit, ipseque solus et nullus alius est, qui per tale scriptum ad lectores loquitur. Quare in hoc casu ipse et non alius illius scripti auctor censendus est.[1] In hoc argumento, ut apparet, illum maxime spectavimus casum, quo ei, qui amanuensis aut auctoris secundarii munere fungitur, quae scribenda sunt, per se et ante scriptionem haud ignota fuerant. Quare ex hoc argumento assertionem nostram neque pro hoc casu neque generatim pro quolibet alio ullam exceptionem admittere, demonstratum est.[2]

82. Tertium argumentum seu potius aliquam huius rei confirmationem *ex ipsa sacra Scriptura desumimus.* Ita enim ratiocinamur. Maximum dubium, an Deus in edendis libris canonicis sacris auctoribus res omnes suggesserit seu an Deus hagiographorum menti lumen divinum, quod tali suggestioni aequivaleat, constanter infuderit, circa nonnullos Psalmos et generatim circa partes historicas Bibliorum v. gr. circa libros Regum, deinde circa libros seu partes librorum, quae sententias morales continent, ut sunt Proverbia, denique circa res omnes, quas scriptor sacer mediis naturalibus, ut experientia, auctoritate humana, lumine rationis facile attingere poterat, versari in aperto est. Quare si ostendimus, Scripturam ipsam testari, etiam in talibus rebus scribendis lumen, quod vere divinum dicendum est, sacris auctoribus haud defuisse; id pro-

---

[1] Revera ubi suggestio seu illustratio divina, de qua agimus, excluditur, ad tuendam fidem, qua tenemus, omnia, quae in Scriptura dicuntur, esse verbum Dei, nulla alia via remanet, quam subsequens Dei approbatio, quam supra invictis rationibus exclusimus et Vaticanum expresse improbavit ac reiecit.

[2] Unum adhuc monemus, quod tamen per se clarum est. In hac ultima hypothesi res scribendae hagiographo a Deo non ideo communicari supponendae sunt, ut eas utcumque cognoscat; ideo potius ei manifestantur, ut eas cognoscat certitudine supernaturali et divina seu ut ab eo tamquam res a Deo ipsi communicatae cognoscantur inserendae operi, cuius non ipse sed Deus sit auctor principalis.

fecto pro confirmatione rei praesentis abunde sufficit. Quod enim de aliquibus Scripturae partibus demonstratur, id de omnibus sine exceptione tenendum erit, quando pro ceteris aut eadem aut fortior militat ratio.[1] Atqui sacris auctoribus, etiam cum de huiusmodi rebus scriberent, lumen quoddam divinum prophetico lumine simillimum revera adfuisse, ex Scriptura satis ostendere possumus. Ergo si Scripturae credimus, nulla est in ea pars, nulla res in ea invenitur, in qua scribenda auctori sacro lumen divinum et supernaturale penitus defuerit. Nunc, quod assumsimus, demonstrare aggredimur.

83. Primo loco provocamus ad Prov. XXX. 1.—6., XXXI. 1.[2] Ibi legimus: *„Visio,* quam locutus est *vir, cum quo est Deus*

[1] Concedimus, argumenta, quae afferemus, expresse et directe non extendi ad omnes locos historicos, in quibus narrantur res auctori humano per se cognitae aut cognoscibiles. Neque argumentum nostrum directe omnes sententias morales rationi humanae pervias, quae in Scriptura insunt, complectitur. Ex paritate tamen rationis, quod de aliquibus huius generis locis ex Scriptura evincitur, haud immerito, ut apparet, ad omnes locos similes transferimus. Quia si in uno loco Deus scriptori hagiographo illud lumen divinum concessisse demonstratur, cur non et pro alio simili idem retinendum erit, praesertim cum ubique eadem sit ratio? Ratio nimirum alia esse non potest quam haec, ut, quod dicitur, ex ipso modo, quo refertur, divina gaudeat auctoritate. Quae profecto pro omnibus militat aequaliter. Neque per hoc contradicimus iis, quae supra *(n. 43.)* diximus, scilicet, non statim, quae de uno loco valent, ad omnes esse extendendum. Ibi enim locuti sumus de mediis inspirationis omnino extraordinariis, quae si alicubi ex speciali ratione forent admittenda, praecise quia tamquam extraordinaria cognoscuntur, exclusa eadem ratione immerito utique ad alios locos transferrentur. Hic vero agitur de modo inspirationis ordinario et insuper eadem ubique ratio adesse monstratur.

[2] Omittimus Apocalypsim, ubi sacer scriptor saepius testatur, audivisse se, quae scribit, ex ore Dei aut Angelorum, qui Dei sunt nuntii, imo ubi initio libri *(I. 2. 3.)* dicuntur generatim verba prophetiae et testimonium Iesu Christi, quaecunque Ioannes vidit et scripsit. Ratio omittendi est, quia Apocalypsis est liber eminenter propheticus. Quare cum eo libro plerique alii libri Scripturae quoad rem nostram comparari non possunt; et ita non bene ex illo ad alios fieret conclusio. Neque insistimus in Matth. XXII. 43, ubi affertur versus ex Psalmo CIX. tamquam verbum, quod a David in spiritu h. e. sub lumine prophetico prolatum fuerit. Est enim hic Psalmus propheticus et plurimis aliis Psalmis multo sublimior. Quare ex iis, quae de eo dicuntur, non omnino tuto ad alios libros vel ad alios Psalmos conclusio fieri posse videtur. Idem dic de Act. I. 16. 20. IV. 25., ubi ponuntur testimonia prophetica ex aliis Psalmis. Nihilominus

et *qui Deo secum morante confortatus* ait.“ Et iterum: „*Visio, qua erudivit eum* mater sua.“ Haec manifesto sunt prooemium eorum, quae in contextu mox sequuntur. Vides, quomodo sacer auctor, quae scripturus est, visionem appellaverit. Imo adhuc expressius sententias, quas profert, dixit visionem viri, quocum est Deus et qui Deo secum morante confortatus est. Nonne his verbis lumen propheticum aut lumini prophetico simillimum indicatur? Quid enim aliud visio in Scriptura significat quam lumen propheticum? Nihilominus in iis, quae ibi subduntur, inveniuntur plura, quae captum humanum absolute superare non videntur. Talia enim etiam penes scriptores profanos occurrere posse nemo negabit, cum huiusmodi non raro in ore vulgi versare videamus.[1] Ergo etiam haec et his similia, quae ibi dicuntur, auctor per lumen divinum sese accepisse asserit. Quod ideo factum intelligitur, ut inde concludas, omnia, quae dicit, plus quam humana imo divina pollere auctoritate. Quare simul intelligitur, quo sensu idem auctor paulo superius *(l. c. XXX. 2.—4.)* in decursu exordii dixerit, sese sapientiam, quam statim prolaturus est, mediis humanis discere minime potuisse, et cur ea, quae subdit, de iis esse rebus asseruerit, quae nonnisi Deo afflante ab homine attingi possunt; intelligitur, quo sensu dixerit, sese sapientiam istam non naturalibus mediis didicisse, neque novisse se scientiam Sanctorum. Per haec nimirum non de scientia qualicumque loquitur sed de scientia infallibili et divina, quae religiosae hominum instructioni

---

saltem cum quadam probabilitate ex his ita argumentum institui potest. Vix apparet ratio, cur, quod ibi de his Psalmis dicitur, non ad totum saltem Psalterium extendi possit. Christus enim in loco citato non de solo Psalmo, quem citavit, sed generatim de auctore Psalmorum locutus fuisse videtur. Quare auctorem Psalterii simpliciter, quae dixit, in spiritu h. e. sub lumine prophetico dixisse affirmat. Ad haec Psalmus LXVIII., qui ut prophetia Spiritus sancti refertur in Actibus, unus ex humilioribus per se esse videtur. Hac ratione igitur argumentum hoc cum sufficienti probabilitate generatim concludit. Nam revera in Psalmis leguntur multa, sive historica sive moralia, quae per se auctor scientia humana cognoscere poterat.

[1] Exemplum habes XXX. 21. seqq. «Per tria, ait, movetur terra, et quartum non potest sustinere. Per servum, cum regnaverit, per stultum, cum saturatus fuerit cibo; per odiosam mulierem, cum in matrimonio assumpta fuerit, et per ancillam, cum fuerit haeres dominae suae.» Num talia per experientiam ediscere impossibile dixeris?

tuto inservire possit et quae digna sit, ut consignetur libro inspirato. Uno verbo loquitur de scientia, cui ob divinam rerum certitudinem sine piaculo nihil addi nihil demi possit. Quid igitur clarius, quam auctorem Proverbiorum aut partis illius, cuius haec sunt prooemium, nominatim circa veritates, quae per se et absolute supernaturales non sunt nec eius naturalem captum adeo superabant, fidem humana multo maiorem lumenque divinum sibi vindicasse? Quaerimus: An non iure haec ad omnes locos similes imo ad omnes Scripturae partes transferuntur?

84. Nunc ad libros historicos accedamus. Pro his provocamus ad Eccli XLIV. 3. 5, XLVI. 1. 16, XLVII. 1, XLVIII. 1. 25. 26, XLIX. 8.—15. Quicumque omnia, quae ibi dicuntur, attente consideraverit, negare vix poterit, quod inde in rem nostram desumimus. Ibi nimirum *historia Veteris Testamenti,* prout in historicis Scripturae libris legitur, vel *tota vel saltem magnam partem a Prophetis qua Prophetis scripta dicitur aut supponitur.* Ideo historiam istam *sub lumine prophetico* editam fuisse concludimus. Hoc enim lumen, quod Prophetis infunditur, si non unicum certe praecipuum est Prophetae constitutivum, et qui sine eo lumine agit, ut Propheta agere non censetur *(cfr. Ierem. XXXIII. 21; III. Reg. XXII. 7.—28; I. Petr, I. 21.)*[1] Hoc supposito assertio nostra clara est. Si enim lumen propheticum et character munusque Prophetae ad scriptionem historiae nullo modo cooperata sunt; cur quaeso Scriptura adeo solerter annotaverit, qui istos libros ediderunt, non simplices homines sed Prophetas extitisse? *(Cfr. Neteler,*

[1] Penes Petrum *(II. Petr. I. 21.)* legimus: «Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati (φερόμενοι) locuti sunt sancti Dei homines.» Hic Apostolus, ut apparet, expresse solum de influxu voluntatis loquitur. At de facto influxus ille iuxta eundem Apostolum non ad solam voluntatem restringendus, sed ad intellectum etiam extendendus imo in intellectu praecipue collocandus est. Nam prophetica locutio, de qua ibi Apostolo est sermo, certe primarie fundatur in intellectu. Insuper antea *(v. 20.)* dictum est, Scripturam propriae interpretationis non esse. Cur quaeso, nisi ideo, quia sensus Scripturae supernaturalis et a Deo derivatus est, per lumen scilicet propheticum? Haec omnia, ut apparet, non permittunt, influxum, de qua Petrus loquitur, ad solam voluntatem coarctare. Idem in textu graeco expressius indicatur. Tischendorfius enim legit, Prophetas ex Deo locutos esse (ἐλάλησαν ἀπὸ Θεοῦ.)

die proph. Verfasser der alttestam. Bücher in Katholik 1876. October; Kaulen, Einleitung n. 187. 188. 206.) Certe Flavio Iosepho teste *(contr. Apion. l. I. n. 8.)* secundum communem persuasionem Hebraeorum illius aetatis, qua Ecclesiasticus scriptus esse creditur, historia biblica, saltem ab Adam usque ad exilium, a Prophetis proprie dictis et sub lumine prophetico conscripta fuisse credebatur.[1] Iam vero si hanc Iudaeorum persuasionem cum eo contuleris, quod dicit auctor Ecclesiastici *(ll. cc.)*, magnam profecto inter utrumque invenies consensionem. Quare Ecclesiasticum merito unum ex praecipuis fontibus fuisse dixeris, unde in Iudaeos ea persuasio manavit aut inter eos confirmata est. Iuvat etiam hic notare, quod in re simili iam notavimus. Quae de partibus historicis Veteris Testamenti demonstrata sunt, ex paritate rationis ad reliqua eiusdem generis tum in Veteri tum in Novo Testamento imo ad omnes generatim Scripturae partes merito extenduntur, quia loci historici omnium infimi quoad inspirationem esse non immerito censentur.

85. Quartum argumentum nobis suppeditat *constans et communis Patrum et theologorum catholicorum sententia.* Patrum testimonia iam supra relata habes. *(n. 21.)* Veniamus ergo ad theologos.[2] Primo pro hac nostra sententia afferri possunt auctores omnes, *quotquot defenderunt inspirationem verbalem.* Hos theologos id, quod hic defendimus, pro certo habuisse, negare non poteris, nisi contendere volueris, ab iisdem auctores canonicos ut mortua et coeca Dei instrumenta consideratos fuisse, qui penitus nescierunt, quid scriberent.[3] Porro

[1] Sine dubio contra sensum Iosephi foret, si ita diceres: Libri historici, de quibus loquitur, utique a viris scripti sunt, qui generatim Prophetae erant et alias sub lumine prophetico loqui aut scribere solebant. Ceterum hi iidem in scribendis libris historicis hoc prophetiae dono nullo modo usi sunt. Non certe ista Iosepho dicere in animo erat. Idem dic de fide Hebraeorum, cuius Iosephus nonnisi testis et interpres extitit. Idem dictum tandem valeat etiam de auctore Ecclesiastici. Quare nemo nostrum argumentum simili interpretandi arte attenuare aggrediatur.

[2] Quantum ponderis hoc argumentum habeat, nostrum non est exponere. Conferatur de hac re Franzelin de div. Traditione thes. XVII. et Canus de locis theol. l. VIII.

[3] Pro hac hypothesi superius iam reiecta notamus, quae sequuntur. In ea hypothesi, ut per se patet, id, quod hic principaliter intendimus, a fortiori verum manet, scilicet veritates omnes, quae in Scriptura leguntur, directe a Deo descendere seu res omnes modo specialissimo a Deo in

horum auctorum numerus fere infinitus dici potest. Nam eorum sententia certo sensu pro tempore aliquo haud exiguo in scholis catholicis fere universalis fuisse videtur. *(Cfr. Calmet dissert. de insp. c. II.)* Nec ab istis quoad rem nostram illi dissident, qui antiquiori tempore inspirationem verbalem ex professo impugnarunt. Nam si rationes perpenderis, quas contra adversariorum sententiam afferunt *(cfr. Du-Pin dissertation preliminaire sur la Bible l. I. c. 2. § 6.; Patrit. l. c. § 6; Franzelin de Script. div. thes. III. n. 2.)*; statim invenies, ab eis utique inspirationem singulorum verborum vel sententiarum, in quantum de verbis et sententiis materialibus agitur, negari aut in dubium vocari. At nullo modo impugnant aliorum sententiam aut negant, in quantum isti defendunt, res sensaque omnia, quae materialibus Scripturae verbis ac sententiis continentur, directe a Deo derivanda esse ab eoque scriptoribus sacris ubique certa ratione suggesta fuisse. Imo id potius ab eis una cum adversariis semper ut certum supponi, ex toto modo agendi haud ambigue deprehenditur.

86. Nunc huic considerationi generali, ut sensus theologorum magis pateat, unius aut alterius expressam doctrinam adiungimus. Eorum praesertim testimoniis utimur, qui maximae per se auctoritatis sunt et ex quibus ad reliquos concludere licet.[1] Igitur *Melchior Canus (l. c. l. II. c. 18. ab initio)* notissimam promissionem Christi *(Ioann. XIV. 26.)* auctoribus canonicis applicans: «Ille, *(Spiritus sanctus scilicet)* inquit, docebit vos omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis; alias etiam oblita suggeret, alias etiam vestris auribus audita suggeret, *quae alias natura sponteque in mentem venire poterant, ea quoque suggeret; non supernaturalia modo sed et naturalia suggeret et quae alias humano modo scriberentur.*» Item *Cornelius a Lapide* data occasione ita scribit *(in II. Tim. III. 16.)*:

Scripturam derivatas esse. Ubi enim instrumentum per modum rei inanimatae operatur, manifesto sensa omnia immediate ad auctorem principalem referenda sunt.

[1] Pondus horum testimoniorum ex eo crescit, quod nullus eorum defendit inspirationem verbalem. Imo ex his aliqui liberioris circa inspirationem sententiae fuerunt accusati. Nihilominus simul concedimus, eorum momentum inde aliquantum attenuari, quod aliqui ex his auctoribus in aliis locis de hac re minus accurate locuti fuisse inveniantur. Haec est ratio, cur nos rem istam tanta diligentia examinare aggressi sumus.

«Dicitur Spiritus s. ea quoque *(i. e. historias et morales cohortationes, quas antea vel visu vel auditu vel lectione vel meditatione didicerant)* illis *(scriptoribus hagiographis)* dictasse; 1. quia scribentibus astitit, ne vel in puncto a veritate aberrarent; 2. quia eos excitavit et suggessit, ut haec potius scriberent quam illa. Conceptum ergo et memoriam eorum, quae sciebant, non eis ingessit Spiritus s. sed inspiravit, ut hunc potius conceptum quam illum scriberent; 3. quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus s. Hoc enim proprie est librum concinnare et conscribere et hac ratione proprie sacrorum librorum auctor dicitur Spiritus s. *(Cfr. Kleutgen opusc. de sent. Lessii III. n. 21.)* Clarissime *Patritius (l. c. § IV. p. 7.): „Ut liber,* ait, *vere et proprie alicuius opus dici queat, huius duntaxat sensis constet,* necesse est, *iis inquam rebus et sententiis (utrasque enim nomine sensa comprehendimus) omnibus ac solis, quas idem hic ipse vult literis esse consignatas. Proinde si Scripturae vel non omnia, quae Deus scribi voluit, vel alia praeter haec amplecterentur, iam Dei liber non esset.“* Paulo antea vero idem dixerat *(§ III. p. 4.)*: «Scripturae non sic liber Dei sunt, quasi Deus ipse eas conscripserit; non ergo alio pacto esse possunt, nisi quia *propria, ut ita dicam, sensa propriasque sententias, id demum, quod scribi vult, Deus scriptori suggerat ac veluti dictet.*» Vides, hunc auctorem etiam nostram argumentationem supra positam satis apte insinuasse. Et infra *(§ IV. p. 19.)* de eo casu loquens, quo sacer scriptor, quae in libro inspirato scribenda erant, iam ante scriptionem viribus naturalibus cognoverit, clare indicat, ex sua sententia pro hac etiam hypothesi inconcussum manere, quod supra generaliter docuerat. Dum enim declarare nititur, cur in libris Scripturae historicis non omnia ex ordine chronologico referantur, ita scribit: *„Quae igitur in scriptorum mentem* — etsi non ordine — *iam venerant (intellige mediis naturalibus), ea Deus scribenda his suggerebat“ (novo scilicet ac divino lumine.)* «Proinde — ita statim subdit ad solvendam difficultatem, quam ex hac ordinis inversione contra omnimodam Scripturae veracitatem nomine adversariorum proposuerat — proinde ordinem non ipse *(Deus)* inspirando immutabat, sed minime corrigebat, quod corrigere nihil referret.» *(Cfr. ibid. p. 16.) Franzelin (l. c. n. I. 1.)* in rem praesentem ita habet: «Ut quis libri auctor sit

(per alium scilicet), necesse est, ut alter ipsomet suggerente concipiat, quae pertinentia *ad formalem rationem talis libri* ipse tamquam auctor principalis *scribenda praeconceperat.*» Et paulo post *(n. 2.): „Praecedens cognitio hominis non potest esse ratio, cur Deus ... supernaturali sua operatione efficere nequeat, ut homo veritates ipsas aliunde cognitas mente concipiat (iterato scilicet et sub novo lumine)* ad eas scripto consignandas.» Ex comparatione utriusque loci insuper perspicitur, auctorem hunc, quod ultimo loco dicit, non solum ut rem possibilem asserere sed et ut rem necessariam postulare, pro casu scilicet, quo id, quod scribitur, ex intentione Dei inspiratum esse debet. *Denzinger (l. c. n. 119. in fine):* «Nos, ait, econtra tenendum esse credimus, in omni re, quae inspiratio dici debeat, quoad omnes partes iis non exceptis, ubi continentur res scriptoribus sacris ex viribus naturalibus iam cognitae, admitti debere influxum positivum *(Dei videlicet),* qui utique potest habere solum rationem impulsus ad res exterius *(per verba scilicet aut per literas)* manifestandas, sed nihilominus extendi debet ad omnia et singula, ad res et sententias dico quod attinet.»[1] Subdit deinde idem auctor: «Hic videtur esse sensus *s. Thomae (II. 2. q. 174. art. 2. ad 3.),* cum docet, scriptores hagiographos ea, quae humana ratione cognosci possunt, scripsisse cum adiutorio divini luminis.» Ex quibus simul perspicis, stare pro hac re etiam s. Thomam.[2]

---

[1] «Wir glauben dagegen annehmen zu müssen, dass bei inspirierten Mittheilungen alle Theile auch solche *(sic!)*, welche Dinge enthalten, welche den hl. Schriftstellern mit natürlichen Kräften bekannt geworden waren oder bekannt wurden, ein positiver Einfluss, wenn auch nur in der Form eines Antriebes zur Mittheilung angenommen werden müsse und zwar im Einzelnen (was den Gedanken angeht.)» Ergo impulsus iste iuxta hunc auctorem virtualiter etiam ad intellectum extenditur. *(Cfr. supra n. 77. 78.)*

[2] Integer textus s. Thomae *(l. c.)* sic habet: «Si lumen intellectuale alicui infundatur non ad cognoscendum aliqua supernaturalia sed ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae, ea, quae humana ratione cognosci possunt; sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem, cuiusmodi prophetiam habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine Prophetarum.... Unde ex persona Dei loquebantur dicentes ad populum: Haec dicit Dominus. Quod non faciebant illi, *qui hagiographa conscripserunt (Psalmi, Proverbia etc. hic intelliguntur),* quorum plures loquebantur frequentius *de his, quae humana ratione cognosci possunt,* non quasi ex persona Dei sed ex persona propria, *cum adiutorio tamen divini luminis,*

Idem sensisse cum Augustino *Bellarminum et Calmet.* colliges ex his, quae nunc subdo. Augustinus *(de con. evang. l. III. c. 7. n. 30.)* solvens dubium, cur penes Matthaeum *(XXVII. 9.)* in citanda prophetia vice Zachariae positus videatur nomen Ieremiae, respondet, id secretiore divinae providentiae consilio factum fuisse, qua sine dubio tunc specialiter mens Evangelistae regebatur. Ad ista haec advertimus in rem nostram. Profecto scire, penes quem Prophetam certa Scripturae verba legantur, res est cuilibet naturaliter obvia. Nihilominus, ut ex dictis apparet, Augustinus censet, hagiographos, etiam dum talia referrent, quoad mentem ac manum speciali Dei consilio gubernatos fuisse. Porro hanc solutionem ex integro adoptat Bellarminus *(controv. de verbo Dei l. I. c. 6. in fine)* et Calmet *(in Matth. l. c.),* qui ita de proprio subdit: «Vides, putare Augustinum, *Evangelistam in hac re* (i. e. in citando aliquo textu sub nomine certi auctoris) *confisum non esse sua ipsius memoria* sacrosque Scriptores Spiritui sancto nonnisi instrumenta esse scribendi.» *(Cfr. Antoine Theologia dogmatica tract. I. de fide c. 1. sect. 4. art. 4. obi. 1; Du-Pin l. c. n. 5. in fine; Serarius proleg. bibliac. c. 4. 9. 15. et 20; Kleutgen Theol. d. Vorzeit l. c. n. 34. 35; Heinrich Dogm. Theol. 2. Buch 3. Kap. § 68. 69.)*[1] Denique ad sensum et consensum scholae plene cognoscendum aliud perpendendum lectori subjicimus. Extra censum eorum, qui tenent sententias, quas capite superiore reiecimus, quique comparatione aliorum pauci admodum sunt, non facile invenies auctorem bonae notae, qui, quod hic asserimus, aut ullibi determinate

---

S. Thomam sequitur Zschokke *(Historia sacr. § 103)* ita scribens: «Quando eae *(res)* naturali via cognitae erant, requirebatur tantum aliqua Dei cooperatio ad conceptus formandos, non vero revelatio; quia Spiritus sanctus, sicut in necessariis non deest, ita in sufficientibus non redundat. Fecit hoc Deus, hagiographi intellectum dirigendo et illustrando, ut non fallibili persuasione sed infallibili certitudine in scribendis iudicet.» In fine subiungit textum s. Thomae.

[1] Ex his collige, quid censendum sit, si penes hos ipsos aut alios auctores hinc inde et quasi per transennam dicta quaedam inveneris, quae pro locis Scripturae, ubi auctor agit de rebus sibi notis, speciale lumen divinum aut non expresse postulare aut etiam superfluum habere videntur. Ne scilicet hi auctores sibi ipsis aut doctrinae communiter receptae contradicere dicantur, in his locis aut benignius sunt interpretandi aut minus accurate locuti fuisse dicendi sunt.

negaverit, aut expresse in dubium vocaverit.[1] Ex his omnibus demonstratum manet, quod initio asseruimus. Ceterum quod contendimus, forte adhuc clarius per modum conclusionis ita enuntiari potest: *Suggestio rerum scribendarum aut lumen divinum eidem aequivalens quoad res tantum extenditur, quantum extenditur ipsa Scripturae inspiratio eiusque immunitas ab errore;* haec suggestio enim ex vera doctrina aliud non est quam veluti elementum partiale aut consequentia inspirationis ipsius. *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. crit. sacr. l. c. disp. III. art. 1. 2, disp. IV. art. 6. § 3. n. 40; Serarius prolegomena bibliaca c. 4. q. 20, c. 6. q. 1, c. 7. q. 3. et 12. et 13, c. 28. q. 10.)*

Punctum tertium.

Accuratior huius rei declaratio.

87. Ad ulteriorem huius rei declarationem plura hic quaeri possunt. Prima quaestio est, *quo gradu certitudinis* gaudeat haec nostra assertio, prae illa praesertim hypothesi, quod humanus auctor, quae scribenda erant, iam aliunde cognoverit, aut prae iis rebus, quae profanae aut indifferentes esse videntur. Respondemus: Nostra assertio pro illa praesertim hypothesi *gradum certitudinis fidei certe non attingit.* Nam haec res neque

[1] Concedendum quidem simul est, vix aliquem inveniri, qui id, quod nos postulamus, expressis et claris verbis postulaverit praecise pro hypothesi, quod auctor hagiographus scribat de rebus aliunde notis, ut videre est penes ipsum Kleutgen *(opusc. de sent. Less. II. n. 16).* Aliis verbis observare licet, istas sententias, quas attulimus, fere inveniri a suis auctoribus extra eam hypothesim dictas. Negari tamen non potest, eas sententias in se vere et absolute dicere, quod nos postulamus atque dicimus. Unum novimus Schwetz. qui *(l. c. § 76.)* tradens inspirationis notionem aperte de hac re et quidem etiam extra illam hypothesim dubium movere videtur. Ita enim auctor iste inspirationem definiens loquitur: «Sub inspiratione *relate ad s. scriptores* intelligimus illum singularem Dei in hagiographum internum influxum, quo hic ad scribendum impellitur atque in scribendo illustratur ac dirigitur, ita ut quaecumque scribat, sint ex suggestione divina conscripta aut saltem ab omni omnino errore immunia ac consiliis divinis non adversa.» «*Et ad s. Scripturam* — ita prosequitur — *(scilicet si inspiratio referatur, ea significat):* Eam eius conditionem, pro qua originem suam excitationi atque argumentum suum suggestioni supernaturali divinae debet, aut saltem hoc ab omni errore liberum et consiliis divinis haud contrarium est.» Sed haec, in quantum ista limitatio additur, minus accurate dicta esse, ex iis, quae hucusque diximus, indubitatum esse videtur.

alicubi invenitur expressis verbis definita neque in sensu atque ordinario ecclesiae magisterio adeo expresse continetur instanterque asseritur, ut fide certa haberi debeat.[1] Praeterea ista res, ut vidimus, hodiedum ab uno vel altero theologo sine gravi nota in dubium vocatur. Ergo de fide esse non potest. Ceterum certitudo nostrae assertionis minuitur ex duplici capite. Minuitur 1. ex eo, quod, ut supra ostendimus *(n. 34. 35.)*, neque illa doctrina summa gaudet certitudine, quae huius rei fundamentum constituit ac docet, in Scriptura omnia, etiam quae minima et profana sunt, et inspirata esse et ab omni errore immunia. Minuitur 2. ex eo, quod definitum non est sed solum deductione theologica infertur, influxum divinum, quo inspiratio activa continetur, nunquam ad solam voluntatem coarctari posse, sed semper ad intellectum etiam pertinere, sive lumen, quod intellectui conceditur, semper tam late patere, quantum extenditur libri sacri infallibilitas et inspiratio. Nihilominus ob argumenta allata *nostra assertio,* si in genere sumitur, *nobis videtur theologice certa.* Quoad specialem illam hypothesim vero et quoad res profanas aut indifferentes saltem apparet probabilissima. Nam certa et ineluctabili consequentia ex certis principiis deducitur.

88. Secundo quaeri potest, *qualis conditionis ille influxus Dei pro intellectu sacri auctoris cogitandus sit?* Respondemus: Si res scribendae sacro scriptori nondum cognitae fuerunt, tenendum est, influxum illum generatim et extra hypothesim visionis externae aut internae et imaginariae consistere in lumine interno, quod teste s. Thoma *(l. c.)* simillimum est lumini prophetico et veram revelationem internam constituit. In hypothesi vero, quod res scribendae sacro auctori iam aliunde cognitae

[1] Legimus quidem in Vaticana definitione *(l. c.)*, ecclesiam nostros libros non ideo pro sacris et canonicis habere, quod humana industria *(sint)* concinnati, sed propterea quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem. At ibi ante omnia solum de libris in genere sermo est, non vero de singulis librorum partibus. Multo minus ibi expresse de iis partibus in specie agitur, ubi referuntur res, quae humano scriptori aliunde notae erant. Item neque expresse declaratur, inspirationem Spiritus sancti non solam voluntatem sed etiam intellectum scriptoris hagiographi semper et ubique attigisse. Quodsi dicis, haec omnia ex verbis Vaticani facile astrui posse: reponimus: Quidquid sit, haec est deductio theologica non expressa definitio, quae certitudinem fidei pariat.

erant, ille influxus certe non est revelatio in sensu illo strictiori, quo revelatio significat manifestationem rei incognitae.[1] Potius in tali casu ille influxus prima fronte sese offert ut *lumen quoddam divinum,* quod et ipsum teste s. Thoma *a lumine prophetico haud absimile est,* et sub quo hagiographus res aliunde sibi compertas *nova manifestatione cognoscit novaque de illis ac divina certitudine iudicat.* Quare hoc lumen verissime a s. Thoma lumen divinum dicitur, quippe cui aeque ac cognitioni divinae falsum subesse absolute repugnet. Est enim lumen a Deo praecise in hunc finem immissum, ut cognitioni humanae tribuat certitudinem divinam. Aliis verbis lumen illud eius conditionis esse debet, ut per illud veritates, quae sub illo attinguntur, veluti digito Dei scriptoris menti videantur insculptae. Unde fit, ut qui talis luminis naturam perfecte perspectam habeat, veritates sub tali lumine cognitas non possit non habere ut divinitus certas ac vero sensu a Deo hominibus communicatas.[2] Ita hoc lumen minime otiosum est, sed per

[1] Cfr. n. 58 in nota.

[2] Si supponimus, scriptorem inspirationis haud esse conscium, consequenter simul supponendum est, ipsi neque naturam luminis sibi concessi cognitionisque inde derivatae undequaque perspectam esse. Ex hoc ulterius aliud consequitur. In tali casu scriptor sacer per se et nulla nova revelatione superveniente, quae interne cognoscit et deinde exterius scriptis exprimit, neque ipse ut verbum Dei fide divina credere neque aliis ut tali fide credendum proponere poterit; non quod res sub tali lumine ab eo cognitae atque scriptis consignatae ex ipso modo cognitionis et scriptionis talem fidem non mereantur, sed quia intimus cognitionis scriptionisque modus tum ipsum tum alios latere supponitur. Neque hoc mirum cuiquam videatur. Simili omnino ratione contingere posset, ut Propheta aliquis revera sub lumine prophetico loquatur, cui falsum subesse nequit, quodque per sese locutioni divinam tribuit auctoritatem, et nihilominus idem Propheta naturam luminis influxusque divini, quo gaudet, non satis perspectam habeat. *(Cfr. Suarez de fide disp. VIII. sect. 4. n. 3.—5.)* Ut in casu isto, quod a Propheta dicitur, tum ab ipso tum ab aliis pro verbo Dei habeatur et divina fide credatur, manifesto ex parte Dei novus actus seu nova revelatio exigitur. Sed ea revelatio, ut quisque per se videt, non eo spectat, ut prophetia sive inspiratio, quippe quae per se incompleta sit, intrinsece compleatur. Quidquid Deus de novo agat, id unice eo pertinere debet, ut natura illius inspirationis, prout in se est, sive a Propheta ipso sive ab aliis cognoscatur. Simile quid etiam modo contingit, quoties quisquam legit librum inspiratum simulque ignorat, librum istum revera esse inspiratum. Tunc enim nemo rebus, quas legit, divinam fidem praestare poterit, nisi prius de inspiratione libri, quem legit, moneatur.

illud semper in mente scriptoris certus et determinatus producitur effectus. Imo si res bene intelligatur, dici potest: *Per tale lumen semper novi aliquid hagiographo manifestatur.* Ex illo enim lumine semper cognitio illius hominis, quae aliunde fallibilis est, evadit infallibilis. Simul per hoc lumen, si perfecte cognoscitur, saltem in actu exercito *in tali cognitione includitur notitia, qua de novo discimus, certam veritatem a Deo inspiratam et hominibus manifestatam ac proinde fide divina ab omnibus credendam esse.*

89. Non tamen necessarium est, ut hoc lumen semper a Deo omnino *immediate* infundatur i. e. Deus in eo lumine infundendo non prohibetur uti tum generatim *ministerio creaturarum* tum nominatim etiam *multiplici ipsius sacri scriptoris cooperatione.* Dei enim sapientia attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Quare sicut ad gratiam communicandam sacramentis, ad infundendam fidem externo ecclesiae magisterio et ad convertendum peccatorem aut voce praedicatoris aut rerum naturalium terroribus externis utitur; ita etiam ad hanc gratiam inspirationis extraordinariam conferendam variis mediis viisque variis iisque interdum satis occultis uti poterit. *(Cfr. n. 103 seqq. 114 seqq.)* Ita non est idem asserere, inspirationem esse veram, supernaturalem et omnino specialem Dei gratiam et asserere, eam esse gratiam mere internam et stricto sensu immediatam, quod Cherubinus a s. Ioseph. *(disp. III. art. 2. n. 4.)* parum accurate insinuare videtur. Ratio est manifesta. Nam non est idem, esse verum et principalem alicuius libri auctorem, et esse auctorem libri immediatum, dummodo hic terminus in sensu obvio accipiatur.[1]

Et nihilominus per hanc monitionem non fit, ut liber inspiratus evadat, neque per eam liber novam in se acquirit auctoritatem. Solum natura interna libri, quae semper eadem fuit, externe innotescit. Tale aliquid et non aliud in casu proposito circa rem nostram contingeret.

[1] Quae ab hoc auctore dicuntur, vera erunt, si sub inspiratione immediata intelligas influxum, qui vero mandato comparatur, sub inspiratione vero mediata influxum accipias, qui nonnisi consilio aequivalet. *(Cfr. supra n. 78.)* Sed quaeritur, an hic modus loquendi omnibus satis aptus aut clarus videri possit. Facillime enim per medium internuntium mandatum dari posse intelligitur, quod ex omni parte determinatum sit. Imo mandans nunquam immediate agere concipitur, ideoque non adeo bene immediatus auctor operis dicitur.

Licet enim neque propria manu omnia scripseris neque amanuensi omnia immediate dictaveris sed alio modo magis mediato, quae scribenda sunt, alteri quoad omnia et singula indigitaveris; verissime auctor alicuius libri fieri poteris. *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. l. c. art. VI. § 3. n. 41, et disp. IV. art. 1. § 3. n. 16.—36; et hic n. 91. in nota.)*

90. Ad maiorem declarationem hoc lumen comparamus cum *lumine ordinario fidei aut gratiae.* Lumen igitur inspirationis cum lumine fidei id commune habet, quod utrique subesse falsum absolute repugnat. Sed in hoc ab eo differt, quod lumen ordinarium fidei per se externam rei credendae manifestationem seu propositionem postulat. Quare lumen fidei solum mentem ad credendum iuvat et confortat assensumque, qui sine tali lumine naturalis esset et fallibilis, reddit supernaturalem et infallibilem. Econtra inspirationis lumen ex natura sua[1] rem ipsam cognoscendam per se primo manifestat, cui deinde utique homo per fidem assentire potest et debet, sicut theologi communiter docent de lumine prophetico. Cum lumine vero gratiae ordinariae seu cum illustratione supernaturali, quae ad omnem actum salutarem necessaria est, hoc lumen non solum non est ullo modo confundendum, sed vix in ullo potest comparari. Iuvat nihilominus, istam comparationem paucis prosequi.

91. Dicimus igitur: Lumen nostrum habendum est *ut gratia sui generis sive ut gratia gratis data et omnino extraordinaria. (Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. crit. sacr. tom. IV. disp. IV. art. 4. n. 19; Heinrich Dogm. Theol. 1. Buch 3. Kap. p. 385—387.)* Id paulo uberius evolvamus. Igitur quod gratia illustrationis ordinaria per se et directe efficit, illud unum est, ut homo sub lumine illius gratiae veritates salutares cognoscat actu, qui salutaris est i. e. actu supernaturali et proportionato fini supernaturali. Porro quia cogitatio salutaris sub speciali Dei influxu elicitur, talis actus seu cognitio utique vero aliquo sensu a Deo donata vel etiam a Deo infusa dici debet. At dum ita dicitur, id fit sensu longe diverso ab illo, quo hic loquimur, ubi de inspiratione sermo est. Cognitio enim, quae per gratiam ordinariam oritur, non ita a Deo infusa est, ut omnia, quae homo

[1] Casus, quo hagiographus scribenda iam novit, potius extraordinarius est et magis per accidens occurrere intelligitur.

per eam cognoscit, sensu proprio dici possint per Deum intus loquentem communicata homini et tamquam sensa divina nunc primum eidem manifestata aut menti humanae a Deo intus mirabiliter operante veluti insculpta. Iam vero hoc est, quod ex supra dictis *(n. 12. 88.)* de inspiratione prophetica et de lumine, quod ad inspirationem librorum sacrorum postulatur, in omni rigore affirmandum apparet. Haec sequenti consideratione magis illustrantur. Docent quidem generatim theologi, cognitionem, quae sub ordinario gratiae auxilio elicitur, falsam esse non posse. Nihilominus id non est ex omni parte certum. Est enim quaestio, quae inter theologos in utramque partem disputatur, utrum omnino impossibile sit naturaeque illustrationis supernaturalis absolute repugnet, ut, quod sub ea cognoscitur, sit falsum. Quidam enim id solum actuali et ordinariae Dei providentiae contrarium esse autumant. *(Cfr. Ripalda de Ente supernaturali disp. 59.)* At de lumine prophetico itemque de lumine scriptoribus canonicis infuso id omnino certissimum est et a nemine in dubium vocatur. *(S. Thom. 2. 2. q. 171. art. 6.)* Et ratio huius differentiae est manifesta. Dum enim cognitioni, quae in gratia ordinaria fundatur, falsum subesse negatur, id ex eo solum fit, quia dona Dei supernaturalia nonnisi ad id, quod bonum ac verum est, concurrere posse cognoscuntur. Quia ergo id, quod falsum est, simul et malum esse deprehenditur, ideo illustratio supernaturalis nonnisi ad cognitionem veram concurrere posse dicitur. Nihilominus et hoc aliud certissimum est: Ex eo, quod Deus alicui talem concedit gratiam, ipse nullatenus directe qua testis illius veritatis citari potest, quae ab aliquo sub tali illustratione cognoscitur. Quare si per possibile aut impossibile talis cognitio falsa esse supponatur; ideo Deus per hoc nullatenus tamquam deceptor aut mendax traducitur aut traduci merito poterit. At haec omnia in cognitione hagiographi aut in cognitione, quae sub lumine prophetico nascitur, econtra accidunt.[1] *(Cfr. Suarez de fide disp. III.*

[1] Hoc sensu utique dici potest, inspirationem debere fieri per immediatum Dei influxum i. e. inspiratio includit cognitionem, quae ab hagiographo non tantum per se et aliunde hausta sed eidem proprie a Deo communicata est. Econtra illustratio gratiae ordinariae utcumque a Deo immediate infundatur, sensu isto immediata h. e. cognitio, quae proprie et immediate a Deo derivata sit, dici nequit. *(Cfr. n. 89.)*

sect. 5. n. 13, de gratia l. V. c. 20. n. 22. seqq., l. VI. c. 6. n. 4.) Rem per exemplum ante oculos ponamus. Supponamus ut factum certum vel etiam ut rem a Deo revelatam, librum de imitatione Christi totum quantum per actum meritorium ideoque sub illustratione gratiae ordinariae editum fuisse. Posita hac hypothesi quaero: Si quis quaedam ex iis, quae in hoc libro leguntur nec aliunde ex Scriptura vel traditione ac revelatione divina desumpta esse inveniuntur, ut est e. gr. narratio illa, quae habetur l. I. c. 25. n. 2, vera esse negaret aut vocaret in dubium; num is propterea ut haereticus, aut blasphemus aut utcumque in Deum iniurius traduci poterit? Nequaquam. Et nihilominus sine ullo dubio id omnino dicendum esset, si quis narrationem aliquam vel minimam, quae in Scriptura legitur, in dubium vocaret. Apparet ergo, quomodo lumen intellectus, de quo hic agimus, ab ordinaria mentis illustratione, quae fit per gratiam actualem, toto fere coelo differat.[1]

92. Pressius loquendo hoc lumen extraordinarium non gratiis gratum facientibus, sed *gratiis gratis datis* accensendum est. Id facillime intelligitur. Nam lumen istud directe et ex primaria intentione Dei non ad utilitatem illius, cui conceditur, h. e. ad utilitatem scriptoris sacri, sed in utilitatem aliorum seu melius ad utilitatem totius ecclesiae conceditur. Imo etiam *inter gratias gratis datas* haec est *una ex magis extraordinariis.* Nam ea gratia ante omnia iam tempore Apostolorum, ubi hoc charisma in ecclesia vigebat, paucis admodum viris neque omnibus Apostolis concessa fuit. *(n. 341.)* Praeterea charisma hoc post tempora apostolica in ecclesia cessavit omnino, dum aliae gratiae gratis datae suo modo in ecclesia perpetuo perseverant. *(Cfr. Kleutgen opusc. de sent. Less. III. n. 24.)*

[1] Ex his perspicies, quid censendum sit de iis, qui duplicem gradum inspirationis distinguunt, superiorem scilicet et inferiorem. *(Cfr. Kihn Theodor v. Mopsvest. u. Iunil. Afric. n. 67.—69.)* Si enim etiam in inferiori inspirationis gradu talem Dei influxum adstruunt aut admittunt, ut, quae scribuntur, ex ipso modo, quo scribuntur, infallibilia fiant et divinae innitantur auctoritati; tunc ea vera est inspiratio et, quae ita inspirata sunt, ab aliis, quae altiorem gradum tenere dicuntur, aut nulla ratione aut solum accidentaliter differunt. Si vero quae inferiorem gradum inspirationis habere dicuntur, solummodo sub ordinaria gratia conscripta esse supponuntur aut utcumque ex ipso modo scriptionis divinam auctoritatem vindicare sibi nequeunt, tunc de vera inspiratione circa ea sermo esse non potest.

93. Tandem ad perfectam huius rei notitiam quaeri potest, *quibus modis Deus res scribendas auctoribus hagiographis communicare potuerit aut de facto communicaverit.* Ita simul accuratius determinari poterit, *quanta reapse fuerit vel esse debuerit circa res, quas scripsit, sacri auctoris cognitio.* Quaestionem istam resolvimus hoc modo. Potuit 1. Deus, si ita placuit, communicare hagiographis res scribendas *per lumen, quod mere intellectuale est.* Ita omnis influxus in sensum aut phantasiam auctoris hagiographi et generatim omnis cooperatio partis inferioris excluditur ea solummodo excepta, quae ab intellectu sponte fluit et a cogitatione humana inseparabilis est. *(S. Thom. 2. 2. q. 174. art. 2.)* Ad factum quod spectat, sicut certum est, illud lumen hagiographis non semper adfuisse, ita Deum hoc lumen sacris auctoribus identidem concessisse saltem admodum probabile videtur. 2. Deus *immediate agere potuit in phantasiam vel in sensum.* Hac ratione res ac veritates scripto exprimendae mediate solum in intellectum hagiographi inducuntur. Quod iterum tum in phantasia tum in sensibus externis duplici ratione fieri poterat. Nam potuit a) *Deus phantasiae vel etiam sensibus externis exhibere ipsa verba et sententias* aut velut ad aurem sono expressas aut velut ad oculos literis consignatas. Exemplum huius rei esse potest in notissimo illo Danielis *(V.)* Mane, Thekel, Phares, aut in arcanis verbis, quae Paulus raptus in tertium coelum audisse, aut in vocibus ac canticis, quae Ioannes in Apocalypsi ex ore Angelorum auscultasse testatur et in aliis huiusmodi. Factum quod attinet, praeter similes casus extraordinarios Deum circa sacros auctores reapse hoc medio usum fuisse, valde dubium imo satis improbabile videtur, ut ex supra *(cfr. n. 39.—44.)* dictis concluditur.[1] Potuit b) Deus phantasiae vel etiam sensibus externis certas repraesentare imagines, quae rerum significativae erant. Exempla huius rei ap-

[1] Respicientes ad theoriam de sic dicta inspiratione verbali sequentem observationem facimus. In rigore veritatis neque in locis huiusmodi seu ubi Deus tali medio usus esse supponitur, necessario omnia et singula verba, quae in Scriptura leguntur, qua talia ad Deum ut auctorem necessario referenda sunt. Potuisset enim Deus etiam in hoc casu quadamtenus hagiographi arbitrio permittere, ut, quae certis verbis ab ipso audierat, non iisdem ipsis verbis in Scriptura referret sed aliis aequipollentibus. Naturalius tamen videtur in hoc casu praesumere contrarium. *(Cfr. n. 313.)*

tissima habes in somniis Ioseph aut Pharaonis, in visionibus Danielis aut Ioannis in Apocalypsi et huiusmodi. Ad quae haec notamus. Ubi in Scriptura huiusmodi visiones referuntur, haud raro tota generatim Prophetiae aut Scripturae sententia his imaginibus inclusa est. Sufficiebat igitur pro illustratione intellectus, si Deus auctori hagiographo has imagines suo tempore proponebat. Quoad factum certum fere est, Deum saltem in iis locis hoc medio usum fuisse, ubi de facto tales imagines in sacro textu reperiuntur.[1]

94. Ceterum etiam in hoc casu in rigore iterum duplicem licet fingere hypothesim, quae, cum pro diiudicanda sacri auctoris cognitione magni sit momenti, hic praetereunda non est. Potuit enim 1. Deus sacro auctori imagines ostendere eo animo, ut pariter in libro inspirato sententia nonnisi iis imaginibus velata exprimeretur. 2. Deus scriptorem hagiographum ea mente atque ea intentione per imagines instruere potuit, ut, quae per imagines a Deo cognoverat, non per has easdem imagines exprimeret sed aut per imagines diversas legentibus ob oculos poneret aut etiam planis verbis et sententiis omnia diceret. Ita v. gr. quidam censent, quod certe non est impossibile fingere, Deum, quae de creatione mundi et de opere sex dierum in Genesi legimus, non alia via, quae planior sit, sed nonnisi per visiones ac rerum imagines sive Moysi ipsi sive Adamo primitus immissas, quantum placuit, manifestasse. Dico: In hac etiam suppositione fieri potuit, ut aut Moyses in scribenda Genesi aut Adam in traditione primaeva ad posteros derivanda, quae prius per visiones acceperat, narratione plana et historica exponere voluerit, sicut haec reapse in Genesi exposita inveniuntur. Ex his pro re nostra sequentia animadvertimus. Ubi scriptor hagiographus sive interna sive externa auditione ea ipsa verba audivisse supponitur, quae postea ipsius

[1] Per se impossibile aut absurdum non est, si cogitas, sacrum auctorem, quae alio modo et sine imaginum velamine a Deo acceperat, per huiusmodi imagines expressisse. Est tamen ista hypothesis in se minus probabilis. Insuper in hypothesi, quod auctor sensum imaginis propositae perfecte cognoverit, prout certe ordinarie locum habuit et naturae rei convenientius est, pro certo praesumendum est, Deum simul cum visione auctori canonico lumen internum concessisse, quo sensum visionis iuxta superius dicta *(n. 88.)* supernaturali ac divina certitudine cognosceret.

opera in librum canonicum transierunt et secundum Dei propositum transire debuerunt, aut si hagiographus aliud non fecit, quam ut imagines a Deo sibi propositas fideli calamo describeret; *pro inspiratione libri per se omnino est indifferens, utrum scriptor, dum scriberet, sensum illorum verborum aut significationem illarum imaginum perfecte intellexerit,* necne. Dummodo enim verba, prouti audita erant, fideliter relata fuerint aut imagines, prout visui oblatae erant, accurate descriptae; certe in libro sensus, quem Deus eidem indere volebat, perfectissime reperitur ac propriissime a Deo in librum est derivatus; ad eum modum, quo ille, qui alteri scribenda de verbo ad verbum dictando proponit, propriissime sua sensa in opus literarium derivat, licet alter ille, qui scribit, nonnisi sonum verborum exceperit et de interno verborum sensu nihil aut fere nihil intellexerit. Quare inspiratio terminative, ut aiunt, accepta sive *inspiratio libri etiam in hac hypothesi perfecta et omnibus numeris absoluta dicenda est. Imperfecta in hoc casu solum est inspiratio subiectiva.* Aliis verbis in hoc casu *solum imperfecta est inspiratio hagiographi* seu *lumen hagiographo concessum;* minime vero liber nonnisi imperfecte inspiratur dici poterit. *(Cfr. Dan. VII. 15. 16. XII. 4; I. Petr. I. 10. 11. et s. Thom. 2. 2. q. 173. art. 4. et hic n. 313 et 41.)* Ita, ut rem exemplis illustremus, Caiphas utique non fuit perfectus Propheta, quia sensus propheticus verborum, quae proferebat, ipsum penitus latebat. *(Ioann. XI. 50. seqq.)* Nec secundum historiam biblicam Pharao aut Balthassar pro veris Prophetis habendi fuissent, licet hic verba mysteriosa in pariete descripta legere, ille somnia sua narrare potuisset, quoadusque neuter sensum propheticum sive verborum in pariete legendorum sive somniorum sibi immissorum perspectum habuisse supponitur. Sed verba et somnia quod attinet, illa in se non minus prophetica fuissent, licet in uno casu nullus Ioseph aut in alio nullus Daniel adfuisset, qui occulta legeret et interpretaretur. Nam revera illis verbis aut somniis sine Ioseph aut Daniel de mystico eorum sensu nihil defuit, et cum illis sola interpretatio defecisset.[1] Aliter vero

[1] Ex hoc perspicies, illum inspirationi prophetiae Ezechielis aut Apocalypseos nequaquam adversari, qui diceret, Ezechielem significationem illius templi, quod in fine libri sui describit, et auctorem Apocalypseos sensum eorum, quae Deo manifestante viderat, aut nullo modo aut saltem

iudicandum est in hypothesi, quod scriptor hagiographus, quae ipsi a Deo per imagines ostensa fuerunt, aut ex Dei intentione aut per propriam electionem non sub iisdem imaginibus repraesentare sed planis verbis et sententiis exponere aggreditur. Tunc enim significationem imaginum, quas Deus ipsi ostenderat, plene cognoscere debuit. Secus enim quomodo, dum sensum eorum, quae ipsi perspecta non sunt, verbis exponere aggreditur, nihilominus opus eius in omnibus Dei sensa referet et infallibili gaudebit veritate? Quare ut ad superius relatum exemplum redeamus, si revera Moysi aut Adamo mundi creatio opusque sex dierum per visionem a Deo monstratum fuit, ille, qui primitus dictam visionem habuit, significationem visorum perfecte cognoscere debuit. Secus ex ea visione cum fide infallibili creationem mundi et opus sex dierum eo modo narrando exponere non potuit, prout in Genesi expositum habemus.

ARTICULUS TERTIUS.

Qualis Dei influxus requiratur circa voluntatem viresque exsecutivas hagiographi.

Hic pariter primo doctrinam, quae tenenda est, accurate proponemus et demonstrabimus. Deinde totam rem exactius declarabimus.

Punctum primum.

Doctrinae tenendae assertio et demonstratio.

95. Assertio prima. *Ad inspirationem praeterea talis Dei influxus in voluntatem sacri scriptoris requiritur, per quem*

non perfecte intellexisse. Nam sicut ex eo, quod lector librum non intelligit, liber non desinit in suo sensu esse completus, ita pariter ex eo liber de sua inspiratione nihil amittit, quod auctor secundarius non omnia intelligit. Dummodo enim auctor primarius et intellexerit omnia et, si velit, sensum eorum in omnibus aperire possit, liber sensusque libri in se perfectus est. Nihilominus cum teste Moyse *(Deuter. XXXII. 4.)* Dei perfecta sint opera, sine urgenti causa supponendum non est, auctorem hagiographum, quae scripsit, saltem quantum pro tempore, quo scribebantur, ex Dei consilio intelligenda erant, non satis intellexisse. Alia adhuc et maior quaestio est, num talis ignorantia conciliari possit cum dignitate Apostoli, qualis nunc ab omnibus fuisse creditur auctor Apocalypseos. At haec non ad nos sed ad alios spectant. *(Cfr. Selbst, Kirche Christi nach den Propheten I. Theil § 2. III. p. 115; Kihn Theodor v. Mopsvestia n. 143. 152.—156. seqq. et hic n. 101. in nota.)*

fiat, ut hic scriptor vere tamquam Dei instrumentum agat. Aliis verbis influxus, de quo quaeritur, debet esse eiusmodi, *ut scriptor humanus, quae Deo suggerente mente concepit, qua talia i. e. non suo Marte sed Dei nomine scribat.* Hanc assertionem ante omnia *ex ipso conceptu libri inspirati deducimus.* In hunc finem iterum redimus ad *exemplum ex rebus humanis* ductum et saepius iam adhibitum. Praesupponimus igitur, Caium libri alicuius, qui scribi posset, consilium rationemque mente sua accuratissime disposuisse. Quamdiu Caius, quod mente concepit, neque ipse propria manu exsequitur neque conceptum opus opera alterius v. gr. Sempronii, qui suo semper nomine et secundum conceptus sui rationem agat, exsequendum procurat; tamdiu ipse libri, qui non in mente tantum sive idealiter sed in rerum natura existat, auctor fieri nullo modo poterit. Quod ut manifestius appareat, in fictione progrediamur. Caius v. gr. in confidentia ideam suam communicat Sempronio. Quo facto iste postea absque Caii mandato, quod ex eius ore audivit, scriptis consignat. In hac hypothesi erit quidem verissimum, sensa, quae tali libro comprehensa sunt, certa quadam ratione et praesertim quoad primam rerum inventionem, ad Caium spectare. Propterea, si qua laus et admiratio rerum inventioni tribuitur, sine dubio haec et similia suo modo ad Caium pertinebunt. At liber ipse i. e. rerum, veritatum ac sensorum illorum complexio, praecise quatenus ea scriptis expressa sunt et publicae lucis publicique usus facta, potiori iure Sempronio vindicatur. Quare liber potius Sempronii quam Caii opus dicendum erit. A quo enim, ita quaerimus, ultimatim pendet et effectum est, ut liber ille in lucem ederetur; a quo opus exsecutioni est mandatum? Certe a Sempronio. Unde etiam Sempronio soli aut saltem Sempronio potissimum imputandum est, quidquid utilitatis aut damni ex publicatione operis et ex opere ipso utcumque exoriturum est. Erit forte, qui dicat, in tali casu opus utrique simul esse adscribendum tum Sempronio tum Caio, imo Caio potiores partes tribuendas esse. At hoc nos negamus, cum rebus accurate perpensis manifesto falsum esse reperiatur. Dicis: In casu nostro Caius simul cum Sempronio auctor libri censendus est. Quaero: An Caius dicendus est auctor principalis an aeque principalis an solum minus principalis? Unum vel alterum ex his dicendum tibi

erit. At nullum horum dici potest. Nam utcunque Caius auctor libri esse supponatur, si vero aliquo sensu auctor est, ipsi etiam simul cum Sempronio ratio publicationis ipsius libri eorumque omnium, quae ex ea publicatione per se nascuntur, subeunda erit. Hoc autem in suppositione, quod Sempronius sine Caii consensu aut mandato egerit, apertissime iniustum est et falsum. Ante omnia enim in hypothesi fieri per se potuit, ut Caius omnino nihil de libri publicatione sciverit aut suspicatus fuerit. Insuper praesumendum est, ideo Caium eas res, quae in libro a Sempronio edito leguntur et quas ipse iam ex longo tempore cognoverat, scriptis edere noluisse, quia rationem talis publicationis in se suscipere noluit. Iam vero quomodo ab eo ratio publicationis exigitur; quomodo is auctor libri dici potest, qui de eius publicatione ne cogitabat quidem vel ab ea ideo praecise abstinuit, quia eius rationem in se suscipere noluit?[1] Ceterum ut in hac re omnis difficultas tollatur, haec perpende. In casu descripto Sempronius primo sensa a Caio accepta perfecte sibi appropriavit; deinde, dum librum propria sponte conscripsit proprioque nomine edidit, omnia non ut aliena sed vulgavit ut sua. Caius vero eo ipso, quod sensa sua communicavit Sempronio, non quidem expresse sed virtualiter concessit, ut Sempronius iis per fas aut nefas ut propriis uteretur. Manet ergo verum, quod diximus: In hypothesi exposita Sempronius librum potest et debet dicere suum; Caio vero nullum ius est, quo librum suum dicere possit. Quod Caius postulare potest, illud est, ut Sempronius lectores moneat aut saltem data occasione non diffiteatur, quantum in conscribendo libro illo Caii ingenio adiutus fuerit. Ex his in rem nostram ita concludimus. Si Deus, dum auctor alicuius libri existere

[1] Non negamus, utilitatem aut damnum, quod ex tali libro forte exoriatur, certo modo ad Caium etiam spectare. Ideo non contendimus, eum reddendae rationis omnino immunem esse. Cum enim ad Sempronium loquebatur, suspicari potuit, fore, ut Sempronius ea, quae ab ipso acciperet, per scriptum publicaret. Sed haec obligatio, qua de consequentiis illius publicationis Caius aliquatenus tenetur, ab obligatione auctoris longissime distat. Quod si ponas, Caium, postquam Sempronius dictum librum proprio Marte et sine Caii mandato composuerat, in eius publicationem consensisse, ante omnia hypothesis substantialiter mutatur. Deinde neque ita Caius libri auctor dici posset, ut ex supra *(n. 57. seqq.)* dictis patet.

velit, nolit uti supra *(n. 39. 40.)* descriptis mediis omnino extraordinariis, tunc homini, cuius opera uti placet, aut expresse mandare debet aut hominem illum alio aequipollenti influxu[1] impellat necesse est, ut ea, quae ratione supra *(n. 76. seqq.)* descripta Deo suggerente cognoverat, etiam Dei nomine scriptis consignet. Quare Deum sensa omnia hagiographis in sensu superius descripto primitus communicasse per se solum ad inspirationem non sufficit. *(Cfr. Apoc. I. 11.)*

96. Hoc *a simili* confirmare possumus ex iis, quae aliquando *in Prophetis acciderunt* vel accidere potuerunt. Prophetae scilicet, quando ut Prophetae i. e. stricte Dei nomine loquebantur, non solum a Deo interne illuminabantur, ut, quae Dei nomine loquenda essent, divino lumine cognoscerent, sed simul interno Dei nutu ferebantur et interdum pene cogebantur, ut, quae Deo suggerente intus cognoverant, viva voce exterius manifestarent. *(Num. XXII.—XXIV.)* Unde Petrus *(II. ep. I. 21.)*, ubi de prophetia simul et de inspiratione librorum loquitur atque significat, qualis Dei influxus in his locum habeat, maxime iuxta textum originalem directe et primarie motionem divinam adstruit, qua voluntas Prophetae aliaeque potentiae exsecutivae ad loquendum incitantur et veluti irresistibili vi aguntur ac feruntur. Ita enim scribit Apostolus: *Οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη προφητεία ποτέ, ἀλλὰ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἀπὸ θεοῦ ἄνθρωποι.*[2] Et re quidem vera pone Prophetam, qui cum in mente sua per lumen propheticum de re quapiam divinitus edoctus fuerit nullum tamen ad loquendum mandatum nullamque pro voluntate motionem divinitus acceperit. Si vir huiusmodi manentibus hisce rerum adiunctis ad loquendum sponte prosiliat, quid de eius locutione iudicandum erit? Utique res, quas profert, res divinitus revelatas dicere poterimus. Item concedimus, locutionem istam aliquatenus dici posse verbum Dei, sensu scilicet obiectivo. At negamus, ita dici posse in sensu causali. *(Cfr.*

[1] Facile intelligitur, influxum Dei in hominem licet in se efficacissimum simul esse posse occultissimum. Quare Deo omnipotenti certe modus non deerit, quo absque expresso mandato ita in hominis agat voluntatem, ut homo proprio sensu tamquam instrumentum seu minister Dei se habeat i. e. non suo sed Dei nomine agat.

[2] In hoc textu aut supponi aut subindicari etiam illustrationem intellectus supra *(n. 84.)* iam monuimus.

n. 58. 59.) Aliis verbis in dicta hypothesi, dum vir ille coram loquitur, dici nullatenus potest: Hic et nunc per os hominis istius Deus ad nos loquitur. Hoc tamen est, quod significare intendimus, dum locutionem alicuius simpliciter verbum Dei seu prophetiam dicimus. Pari igitur ratione, si quis sine ullo nutu divino, qui vero mandato aequivaleat, in libro edito scripsisse supponatur, quae suo tempore Deo revelante acceperat, talis liber non poterit dici simpliciter liber inspiratus seu verbum Dei scriptum in sensu causali. Iam vero hic sensus isti locutioni naturalis est. *(Cfr. n. 14.)* Id inde fit manifestius, quia in casu cum veritate dici non potest: Hic liber Deum habet auctorem seu, quod idem est, liber iste a Deo opera viri illius est editus.[1]

97. Assertio secunda. *Divinus hic impulsus non solum ad voluntatem sed mediate saltem etiam ad vires exsecutivas et, ubi agitur de inspiratione ad scribendum, ad ipsam etiam scriptionem aliquo modo extendi debet.* Assertio ista in hac sua generalitate non videtur habere difficultatem. Ea iam in superioribus demonstrata haberi potest vel saltem ex dictis facile colligitur. Nam, ut paulo antea *(n. 95.)* demonstratum est, ad inspirationem talis influxus Dei circa voluntatem hagiographi postulatur, quo Dei nomine agat seu Dei nomine scriptis exprimere aggrediatur, quae Deo suggerente cognoverat. Quo posito sufficit mente recolere, quid experientia et sana philosophia de viribus exsecutivis doceat. Scilicet vires istae in homine immediate et necessario voluntatis imperio subiiciuntur. Quae cum ita sint, qui voluntatem ad opus aliquod externum exsequendum movet efficaciter, eo ipso mediate saltem sed pari omnino efficacia etiam vires exsecutivas movere censendus est. Solum hic remanet notanda differentia, quae inter inspiratio-

[1] Per haec tamen, ut apparet, nullatenus concluditur, sacrum scriptorem sub inspirationis charismate non manere liberum. Si enim homo alium hominem facile inducere potest, ut non quod ille sed quod ipse vult, faciat aut scribat aut loquatur, quin ei libertatem auferat; multo magis Deus id efficere poterit, qui teste Augustino *(de corrept. et grat. c. XIV. n. 45.)* habet convertendorum cordium omnipotentissimam potestatem. Unde, ut patet, nihil huc spectat doctrina seu quaestio, quam aliqui huc transferre volebant, an scilicet Deus mediante praedeterminatione physica in sensu Thomistarum, an vero alia via in inspirandis Prophetis et hagiographis finem suum assequatur. *(Cfr. Cherub. a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 6. et hic n. 101.)*

nem ad loquendum et inspirationem ad scribendum obtinet. Igitur tum ex veritate rei tum ex optimorum auctorum sententia *ad scriptionem libri inspirati inspiratio prophetica ad loquendum non sufficeret.* Nam pro scriptione libri inspirati influxus divinus manifesto proprie ac directe ad ipsam scriptionem terminari debet et non ad solam locutionem aut ad aliam quamcunque actionem externam. Etiam hoc iam in antecedentibus includitur. Nihilominus ita potest uberius declarari. Si ponimus, influxum divinum per se nonnisi ad loquendum incitare, non vero directe ad scribendum impellere; profecto in virtute influxus illius Propheta, in quantum Propheta est Deoque perfecte subordinatus Dei organum constituitur, non ad scribendum sed solum ad loquendum se accingere poterit. Quodsi ponis, Prophetam cum hoc influxu seu mandato ad loquendum non loqui velle sed scribere vel, quod prius ore protulerat, postea etiam scriptis consignasse; tunc Propheta iste manifesto mandatum divinum excessisse deprehenditur. Quare ex rationibus saepius iam expositis utique locutio, et si vis, etiam res et sententiae earumque manifestatio Deo attribuenda Deique opus dicenda erunt. At liber qua talis seu manifestatio, praecise qua scripta manifestatio est, opus Dei dici minime poterit. Consequenter quia hoc est, quod proprie nomine libri inspirati significare intendimus, talis liber proprio sensu liber inspiratus dici non poterit; licet aliquo sensu liber sacer dici debeat, cum sit scripta expressio locutionis propheticae et nonnisi res divinitus revelatas seu inspiratas contineat. Ratio est manifesta. Aliud enim ago mandando, ut alter meo nomine loquatur, et aliud, ut meo nomine scribat. Quae enim scribuntur, ut hoc unum discrimen indicem, diutius permanent et latius divulgantur, quam quae semel ore proferuntur. Unde ut ad saepe adhibitum argumentum et exemplum revertamur, si Caius Sempronio mandat, ut quae ex suo ore audivit, coram determinatis hominibus suo nomine loquatur, Sempronius vero, quae a Caio audivit, insuper non solum scriptis consignet sed et scripta Caii nomine ubique divulget; Caius de hoc facto iure cum Sempronio conqueritur iureque negat, se scriptorum, quae suo nomine circumferuntur, auctorem esse. Quare merito pro iis, quae ex illo libro qua tali seu ex suis sensis praecise qua scriptis expressa sunt et in vulgus edita, forte enascuntur, ra-

tionem subire detrectat, quam totam in Sempronium reiicere potest. Et haec quoad rem praesentem per se sufficerent. Nihilominus integritatis atque claritatis gratia aliam assertionem subiungimus.

98. Assertio tertia. *Pro viribus exsecutivis influxus Dei non necessario est influxus extraordinarius et immediatus, sed mediatus ille per se sufficit, qui ex voluntate sponte in inferiores vires manat adiuncta simul ad praecavendos errores continua et immediata Dei assistentia.* Haec assertio non est nisi repetitio eorum, quae supra *(n. 74. 5.)* diximus. Quare ea per se clara videtur nec demonstratione aut ulteriore explicatione indiget. *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. disp. III. art. 6. § 3. n. 32.)*[1]

Punctum secundum.

Ulterior huius rei explicatio.

99. Primo hic similiter notandum est, Dei influxum in voluntatem auctoris hagiographi *toto genere differre ab influxu gratiae ordinariae,* quae, in quantum pro voluntate datur, a dogmaticis gratia inspirationis dicitur. Differunt enim hae gratiae sicut supra de illustratione intellectus diximus, ante omnia fine idque quam longissime. Inspiratio enim voluntatis, de qua nos hic loquimur, connaturale et homogeneum illuminationis supra *(n. 76. 88.—91.)* descriptae complementum est et cum ea unum completum inspirationis charisma constituit. Est ergo haec gratia ante omnia sicut illa gratiis gratis datis accensenda. Hoc, ut per se patet, de gratia inspirationis ordinariae dici nequit. Differunt item plurimum *essentia atque efficacia.* Id hoc modo declarari potest. Quaerunt et in utramque partem disputant theologi scholastici, utrum homo, dum sub influxu gratiae ordinariae constitutus est, considerandus sit tamquam instrumentum Dei et per hoc rationem causae principalis penitus amittat, an vero etiam sub illa gratia, servata utique semper dependentia debita a Deo tamquam a causa prima, suo modo tamquam causa principalis haberi possit ac debeat. *(Cfr. Suarez de grat. l. V. c. 20, VI. c. 6; Less. de grat. effic. c. 14. n. 7.)*

[1] An et quantum Dei influxus ad electionem singulorum verborum et ad totum elocutionis genus extendendum sit, opportuniori loco *(n. 288. seqq.)* disputabitur.

Nos hic istam quaestionem haud ingredimur.[1] Nobis sufficit notasse, hanc rem inter theologos valde controversam esse et sententiam, quae hominem sub gratia ordinaria nonnisi causam instrumentalem esse asserit, nisi aliquo modo temperetur, sensui communi haud parum repugnare. Econtra sub influxu Dei, qualem pro hagiographo postulamus, in omni rigore veritatis et sine ullo dubio hagiographus tamquam instrumentum Dei proprie dictum considerandus est, animatum quidem, ut res ipsa clamat, non inanime. Est ergo influxus iste influxus sui generis, qui ab ordinaria motione gratiae longissime differt.

100. Haec differentia sequenti consideratione magis illustratur. In inspiratione sive ad loquendum, quae proprie prophetia dicitur, sive ad scribendum, quae commune nomen retinet, terminus seu effectus actionis i. e. sermo vel scriptum primarie ac proprie Deo tribuitur non homini. In prophetia enim non homo sed Deus loquitur utique per hominem. Idem dic de libro auctoris hagiographi. Per libros enim inspiratos Deus ad homines quasi per missam ad eos epistolam loquitur. Unde quicumque effectus ex huiusmodi locutione vel scripto per se nascuntur, proprie ac primarie Deo tribuuntur atque imputantur. Quae omnia e contrario accidunt in homine, qui sub gratia ordinaria vel scribit vel loquitur. Nam licet etiam in hac suppositione hominis opera suo modo ultimatim Deo adscribenda sunt;[2] nihilominus in sensu consueto et secundum imputationem, quae moralis dicitur, talia opera homini non Deo in meritum tribuuntur. Aliis verbis non Deus sed homo proprie est, qui sub gratia ordinaria agit et loquitur idque suo non Dei nomine. Quis enim v. gr. quando homo sub influxu gratiae ordinariae nos corripit vel ad bonum hortatur vel scribit quaedam ad aedificationem aliorum, ferret eum, qui non solum diceret, ultimatim et certo quodam sensu Deum ipsum per illum hominem nos corripere, hortari atque instruere, sed potius stricte contenderet, ita omnino et non aliter dicendum esse, si proprie et stricte loqui voluerimus?[3]

[1] Ea quaestio, ut nobis videtur, aut unice aut praecipue ab accurata definitione causae instrumentalis dependet.

[2] Huc refer Psalm. CXIII. 9; I. Corinth. IV. 7. et alia huiusmodi et confer I. Cor. IV. 5.

[3] Si theologi et ascetae docent, omnia bona et mala ad Deum esse referenda, id alio sensu minus stricto intelligendum est. Hoc patet ex

101. Ex altera parte *ad inspirationem nullo modo requiritur in auctore hagiographo raptus aut alienatio sensuum aut suspensio libertatis aut usus rationis. (Cfr. Franzelin l. c. thes. III. coroll. 2.)* Ratio horum omnium manifesta est. Haec nimirum aut sunt charismata omnino extraordinaria, quae nullo necessario vinculo cum inspiratione connectuntur, ut est raptus indeque consequens alienatio sensuum; aut pro homine statum important, qui non solum extraordinarius sed insuper naturali eius conditioni contrarius est, qualis est suspensio libertatis aut usus rationis. Licet enim hanc libertatis suspensionem Deus absoluta sua potentia in homine inducere posset, ea tamen libertatis privatio per se et hominem, qui eam patitur, et Deum, qui eam induceret, parum decere cognoscitur. Dicimus igitur, raptum, et idem est de reliquis, quae hic tetigimus, cum inspiratione nullo vinculo necessario necti. Ratio est, quia etiam sine raptu et cum pleno usu rationis ac libertatis fieri potest, ut quis Dei mandata exsequatur et tamquam Dei instrumentum agat. Porro quae necessario nexu cum inspiratione haud cohaerent, eidem absolute loquendo supervenire quidem poterunt. At ea per se pro inspiratione nullatenus postulanda sunt, nec generatim in homine aut praesumenda aut sine speciali ac plena demonstratione admittenda. Insuper Patres et scriptores catholici, prout notum est, contra nonnullos sectarios maximeque contra Montanistas negaverunt, Prophetas sive in loquendo sive in scribendo exstasin passos fuisse. *(Cfr. comm. in Isa. inter opp. Basil. n. 5; Euseb. Hist. eccl. l. V. c. 17. cum nota Valesii; Cherubin. a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 6. § 1. et 2;*

malis moralibus. Haec enim ex omnium doctrina Deus non facit sed tantummodo permittit. Nihilominus et ipsa pariter ad Deum referenda esse ascetae communi consensu monere solent. Si deinde ex doctrina theologorum *(cfr. Ripalda l. c. disp. 50.)* opus hominis, ad quod qualitercumque interna gratia supernaturalis concurrere supponitur, malum esse non potest, id non inde praecise consequitur, quia opera per gratiam edita in sensu morali Deo imputanda sunt et ita, si qua esset in eis culpa, ea in Deum recideret. Ratio, cur gratia ad mala opera non concurrit, aliunde petenda est. Alii nimirum docent, omnem gratiam supernaturalem ex natura sua nonnisi ad bonum morale concurrere posse, alii hoc in dubium vocare haud verentur et solum contendunt, Deum saltem in praesenti ordine auxilia supernaturalia nonnisi ad bonum concedere decrevisse. *(Cfr. n. 92.)*

Denzinger l. c. n. 120.)[1] Imo videmus, a quibusdam auctoribus aliquando vel eos vituperari interpretes, qui docent aut supponunt, sacros auctores aut generalius Prophetas non semper totum sensum eorum, quae scribebant aut proferebant, undequaque perspectum habuisse. *(Cfr. Kihn Theodor v. Mopsvestia n. 143. 152. 156. 157. 159. et hic supra n. 92.)*[2] Summo ergo iure sine competenti demonstratione alia, quae graviora sunt, a scriptoribus hagiographis excludimus.

Corollarium. 102. Inspirationis conceptu satis declarato possumus per omnia perfecte indicare *discrimen, quod intercedit inter librum inspiratum et inter infallibiles ecclesiae definitiones.* Hoc igitur discrimen, quod maximum in se est, ad sequentia capita reducitur. 1. *In libro inspirato omnia sunt revelata et infallibiliter vera, quod de ecclesiae definitionibus eodem modo dici non potest.* Nam in definitionibus ecclesiae ea solum iuxta

---

[1] Ibi praeter citationem Eusebii hic adductam corrigenda est citatio Athanasii et loco 3. ponendum 4.

[2] Non recte nihilominus sentiret, qui non solum contenderet, haec inspirationi non esse necessaria aut convenientia, sed insuper assereret, cum iis inspirationem nullatenus stare posse. Haec enim et similia, quibus fit, ut, qui talia patitur, quae scribit aut loquitur non intelligat, nullatenus laedunt inspirationem libri, seu inspirationem, quam dicunt terminativam. Aliis verbis haec per se non prohibent, quin verba, quae scribuntur aut ore proferuntur, sensu divino plena sint Deique nomine proferantur aut scribantur. Nam v. gr. verba Balaam non minus prophetica fuissent, si ea Balaam non solum, ut Scriptura indicare videtur, fere invitus sed insuper alienatus a sensibus et sine ulla intelligentia subiectiva protulisset, dummodo supponatur, ea instinctu divino prolata fuisse et ab adstantibus vel ab aliis intelligi potuisse. Idem dic de scriptore hagiographo, qui in scribendo similia pateretur. Quod in tali casu imperfectum dicendum erit, est inspiratio hagiographi seu inspiratio activa aut melius subiectiva. Nam si hagiographus ipse, quae dicit aut scribit, non intelligit, ipse nonnisi imperfecte inspiratus apparet. *(Cfr. n. 94.)* Denique si, quod fieri potest, cogitatur raptus aut alienatio sensuum, cum quibus stat perfectus usus intellectus et voluntatis, talis raptus aut alienatio sensuum etiam subiectivae inspirationi nullatenus adversaretur. Nec Patres, cum raptum excludunt, talem raptum prae oculis habuisse videntur. *(Cfr. n. 96.)* Ceterum aliud est ponere, hagiographum nihil intellexisse, aliud non intellexisse omnia. Quare factum quod spectat, praesertim cum de sensu mystico agitur, nil prohibet supponere, Prophetas aut hagiographos aliquando, quae proferebant aut scribebant, non undequaque perspecta habuisse. Nullo enim certo argumento ostenditur contrarium. *(Cfr. Cherubin. a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 3. p. 1. n. 12. seqq. § 3. n. 86. seqq. et hic. n. 94.)*

communem theologorum doctrinam infallibiliter vera sunt, quae stricte definitionem constituunt. Ea vero, quae insuper talibus definitionibus adiungi vel etiam immisceri solent, qualia sunt utplurimum declarationes, argumenta et huiusmodi, tanta auctoritate non gaudent. *(Cfr. Kleutgen l. c. 1. B. 1. Abth. n. 53. ŝeqq.; Heinrich. Dogm. Theol. 2. B. 3. Buch. 5. Kap. § 89.)* Insuper, ut omnibus notum est, definitio ecclesiae interdum circa sic dicta facta dogmatica versatur, quae, licet per definitionem ecclesiae infallibilem nanciscantur veritatem, non tamen in se revelata sunt vel per definitionem ecclesiae revelata fiunt. *(Cfr. Franzelin. de Trad. div. thes. XII. in scholio.)* 2. Quae in libro inspirato leguntur, eo ipso quod ibi leguntur, habenda sunt et intelliguntur revelata, sive simul in aliis revelationis fontibus contineantur sive non. Aliis verbis *liber inspiratus est fons revelationis primitivus.* Econtra quae in definitionibus ecclesiasticis continentur, si, quod communiter contingit, revera sunt revelata, non tamen ideo praecise et primarie revelata sunt, quia ibi leguntur, sed quia ex aliis fontibus revelationis eo translata fuerunt i. e. *definitiones ecclesiasticae nonnisi fontem revelationis derivatum et secundarium constituunt. (Cfr. Kleutgen de sent. Lessii I. n. 5.)* Unde 3. ad tales definitiones, suppositis fontibus revelationis primitivis, non requiritur necessario influxus Dei positivus neque extraordinaria Dei actio, sed sufficit assistentia Dei passiva seu providentia Dei in oeconomia praesenti ordinaria. Econtra ad librum inspiratum praeter similem Dei assistentiam ex dictis semper requiritur influxus Dei non tantum utcumque positivus sed omnino extraordinarius tum in mentem tum voluntatem auctoris hagiographi. 4. *Libri inspirati Deus ab initio et independenter ab homine ideam concepit* tamquam operis sibi proprii i. e. tamquam operis a se suoque nomine edendi; *quod de ecclesiae definitionibus pariter dici nequit.* Eae enim definitiones aliud reapse non sunt quam opus magisterii ecclesiastici. Tandem 5. pro libris inspiratis, ut suo loco *(l. IV. cap. 2. art. 3.)* videbimus, Deus saltem *aliquatenus etiam genus scriptionis et elocutionis seu formam exteriorem* tum ab initio mente sua concepisse ac *determinavisse* tum suo tempore mediante auctore hagiographo, qui eo opere speciali eius providentia regebatur, in librum ipsum induxisse censendus est; *quod item de ecclesiae definitionibus nullatenus praesumendum est.*

Scholion. 103. Hic quaeri potest, 1. num *auctores hagiographi inspirationis suae semper sibi conscii fuerint,* aut si hoc factum in universum asseritur, num 2. *hypothesis contraria saltem possibilis censenda sit.* Has quaestiones modo solvemus; sed, ut via evadat planior, incipimus a posteriore. Dicimus igitur: *Non apparet omnino impossibile, auctorem inspiratum inspirationis suae aliquando non sibi satis conscium fuisse.* In hac assertione demonstranda ante omnia prae oculis habendum est generale theologorum principium, quo nihil Dei potentiae denegandum est, nisi quod evidenter impossibile et contradictorium appareat. Iam vero non video, quomodo in nostra assertione aliquid, quod aperte impossibile aut contradictorium videatur, inveniri possit. Huc accedit, quod sacri scriptores nonnunquam ita loquuntur, ut inde saltem prima fronte colligendum videatur, eos de inspirationis gratia a Deo accepta nihil omnino cogitasse. A nobis saltem difficulter intelligitur, quomodo hagiographi ita loqui potuerint, sicut hinc inde reapse loquuntur, si ipsis clare perspectum fuisset, se inspirationis charismate gaudere.[1] Et nihilominus ex dictis firmiter tenendum est, eos auctores tum in genere tum in specie, dum illa scriberent, inspirationis charismate instructos fuisse. Et revera interpretes ac theologi communiter concedunt, in exponendis huiusmodi locis sine inspirationis praeiudicio concedi posse, sacros auctores, dum haec scriberent, inspirationem suam aut omnino ignorasse aut saltem non clare cognovisse. Cur ergo contra tantam verborum vim et contra tot auctores sine evidenti ratione possibilitatem huius rei negabimus?

104. Ceterum haec res ita positive suaderi posse videtur. Experientia teste nonnunquam fit, ut homo maximum in intellectum et voluntatem alterius exerceat influxum ac veluti imperium; et simul influxus ille aliquando manet adeo occultus, ut vir ille parum aut nihil sibi conscius evadat, quantum influxum et imperium ab extrinseco seu ab alio patiatur. Addimus, fieri posse, ut occultus hic influxus interdum adeo sit efficax, ut unus vere minister et veluti instrumentum alterius effici videatur. Ita v. gr. ludi magister veritatibus quibusdam ex ordine propositis aut per quaestiones apte et artificiose inter

[1] Huc pertinet ante omnia, quod dicit auctor secundi libri Machabaeorum tum in prooemio tum in conclusione libri, de quibus inferius plura.

se connexas discipulum sensim sine sensu ad amplectendas et cognoscendas certas quasdam veritates deducere potest, quas discipulus sibi relictus nec unquam invenisset nec inventas ut veras amplexus fuisset. Et nihilominus simul omnia adeo occulte fiunt, ut discipulus ista omnia ex sese invenisse ac cognovisse se credat. Item vir astutus interdum variis artibus alterius voluntatem ita movere potest, ut hic nonnisi quae ipse intendit, velit ac faciat. Et in his item aliquando quispiam adeo recte procedit, ut alter credat, sese omnia, quae vult ac facit, cum omnimoda independentia ab influxu alterius velle ac facere. Simul influxus iste aliquando eius efficaciae esse potest, ut non qui rem exsequitur, sed qui alterum ad rem exsequendam occulta arte impellit, tamquam principalis operis auctor habendus sit, eique tum opus ipsum tum omnes eius operis consequentiae primo loco imputanda sint. Iam haec ad rem nostram applicemus. Quis neget, Deum in hominis intellectum ac voluntatem influxum multo efficaciorem simul et occultiorem exercere posse quam hominem quemcumque? Nonne de Deo legimus: «Sicut divisiones aquarum, ita et cor regis in manu Domini; quocumque voluerit inclinabit illud.» *(Prov. XXI. 1.)* Et ab Augustino *(de corrept. et grat. c. 14. n. 45.)* Deus habere dicitur «humanorum cordium convertendorum, quo placet, omnipotentissimam potestatem.» *(Cfr. Enchir. c. 98.)* Quod de voluntate asseritur, certe multo magis de intellectu valet. At Dei influxus non solummodo summe efficax sed simul etiam maxime suavis et occultus esse potest. De Deo enim manifesto intelligenda sunt, quae in Scriptura de omnium artifice sapientia *(Sap. VII. 21. seqq.)* legimus: «Est enim in illa spiritus intelligentiae ... subtilis, ... mobilis ... suavis ... acutus, quem nihil vetat, omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam?» Quis igitur illud Deo in gradu altiori concedere gravabitur, quod in certo aliquo gradu vel ipsi homini competit, scilicet ut occulte et inadvertenter agat in intellectum et voluntatem hominis? Porro ex dictis pro Deo in re praesenti non multo efficacior et occultior influxus in interiores hominis facultates requiritur, quam ille est, quem aliquando unus homo in alterum hominem exercet. Negandum ergo non est, Deum homini, quin is advertat, charisma inspirationis concedere posse.

105. Unum tamen remanet, quod prima fronte creat difficultatem et ulteriorem explicationem postulat. Nimirum agitur hic de influxu in facultates maxime vitales; de operatione scilicet, quae fit in intellectu ac voluntate, aut unice aut praecipue sermo est. Iam vero quae in talibus facultatibus accidunt, eorum homo sibi naturaliter est conscius. Quapropter quod hic asseritur, contra naturam rerum esse videtur. Hanc difficultatem ita solvimus. Naturalis hominis conscientia non ad omnia semper extenditur, quae in eius mente et voluntate accidunt. Id inter alia apparet ex errore et malitia, quae saepe in actu intellectus et voluntatis nostrae reperiuntur et nihilominus nostram conscientiam haud semel omnino latent. Conscientia ergo in tantum solum ad actus internos extenditur, in quantum hi factum aliquod internum constituunt. Nullatenus vero ad eorum causas ac principia praesertim in particulari porrigitur; multo vero minus attingere solet internam ipsorum actuum ac principiorum naturam supernaturalesque eorundem qualitates. Ita v. gr. homo certo distinguere nequit, utrum actus, quem elicit, sit actus naturalis an supernaturalis, meritorius an non et huiusmodi. Cur ergo saltem absolute loquendo accidere non poterit, ut homo revera nonnisi tamquam instrumentum Dei agat et sub influxu, qualem pro inspiratione postulavimus, constitutus operetur, et nihilominus influxum illum divinum non advertat, aut saltem eius naturam cum sufficienti claritate non perspiciat?

106. *De facto* altera est quaestio, quam priorem supra *(n. 103.)* posuimus. Eam hac assertione solvimus: *Certis argumentis demonstrari non potest, aliquem ex scriptoribus hagiographis inspirationis suae conscium sibi non fuisse. Potest tamen huiusmodi ignorantia quoad unum vel alterum auctorem hagiographum satis probabilis videri.* Hanc assertionem, quae adeo magni ponderis non est, hac ratione suadere possumus. Hypothesis, quam paulo antea possibilem ostendimus, tum ex dictis naturae rei non apparet adeo conveniens, tum scriptori sacro parum honorifica. Quare certe sine ratione convenienti ut realis ac vera admittenda non est. Atqui ratio, quae omnino convincat, pro veritate illius positionis afferri nequit.[1] Insuper hic

[1] Rationem, quae ex secundo libro Machabaeorum desumitur quaeque pro contraria sententia aut unica aut saltem praecipua est, cum probabilitate solvemus capite sequenti. *(n. 116.)*

considerandum est, finem inspirationis omnino postulare, ut homines, ad quos spectat, inspirationem libri edoceantur. Porro id licet alio modo fieri possit, convenientissime tamen per ipsum auctorem sacrum fieri cognoscitur. Iam vero ut auctor hagiographus homines de inspiratione sui operis edocere possit, ante omnia ipse eam cognoscere debet. Quodsi ita est, cur non dicemus, id eum in ipso actu scribendi certo cognovisse? Sunt tamen in hac re praesertim quoad unum vel alium librum rationes haud spernendae in contrarium, ut apparebit ex dicendis de libro II. Mach. Quare quoad libros istos hypothesin contrariam probabilem esse concessimus.

CAPUT QUARTUM.

Solvuntur praecipuae difficultates, quae contra doctrinam traditam afferri possunt.

107. Rationes, quae ostendere nitantur, influxum seu inspirationem positivam et nominatim illustrationem divinam quoad eas res, quas auctor iam aliunde plene cognoscit, superfluam esse, in superioribus *(cfr. n. 67. 81.)* solutae censendae sunt. Singulares deinde locos, qui non solum contra nostram theoriam de inspiratione sed contra ipsam Scripturae infallibilitatem difficultatem creare videntur, interpretibus relinquimus. Quare nobis hic solum duo Scripturae loci, qui magis sunt ad rem et nostram theoriam directe destruere videntur, explicandi manent, scilicet exordium et conclusio secundi libri Machabaeorum et exordium Evangelii Lucae. De his igitur singillatim agemus in sequentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De exordio et conclusione secundi libri Machabaeorum.

108. Dubium non est, quin ea, quae II. Mach. II. 19.—33; XV. 39. leguntur, praecipua causa exstiterint, cur plures theologi *(cfr. n. 46. 47.)* de inspiratione quaestiones moverint, quae alias nemini in mentem venissent. In his simul reperitur ratio praecipua, cur nonnulli in determinando inspirationis conceptu theorias amplexi fuerint, quae, ut vidimus, funditus in-

spirationem ipsam destruunt. Porro difficultates, quae contra genuinam inspirationis notionem ex textu secundi libri Machabaeorum oriri videntur, sunt sequentes. 1. Liber secundus Machabaeorum, ut auctor ipse asserere videtur, *non est nisi epitome operis profani profani auctoris,* qui est Iason Cyrenaeus. Ita enim ibi ad verbum legimus *(II. Mach. II. 24.):* «Ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare.» Ubi hic, ita merito ab adversariis nostris quaeri posse videtur, manet locus pro influxu Dei positivo, praecipue si postulatur influxus adeo amplus, qualem nos nominatim pro intellectu hagiographi postulavimus? Is certe auctori huius libri omnino defuisse videtur. Nam haec res eo magis difficultatem patitur, quod 2. *auctor sacer fidem verum,* quas narraturus est, *in auctorem profanum reiicit.* Neque enim auctor iste ullo modo vel in se vel libro suo auctoritatem humana superiorem cognoscere videtur, sed potius eam admodum labilem esse existimat. «Veritatem, inquit ab initio operis *(l. c. v. 29.),* de singulis auctoribus concedentes», et iterum in fine *(XV. 29.):* «Si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.» Haec certe theoriae superius expositae e diametro opposita esse deprehenduntur. Insuper 3. auctor iste testatur, se *opus suscepisse laboris et vigiliarum plenum (l. c. II. v. 27.),* quod iterum non cohaeret cum Dei adiutorio tam amplo atque extraordinario, quale nos generatim pro inspiratione exigimus. Quare, ita enim concludere cogimur, ad defendendam nostri libri inspirationem aliud remanere non videtur, quam ut confugiamus ad subsequentem approbationem, nisi per hypothesin parum probabilem ipsum Iasonis librum, unde haec transsumpta sunt, inspiratum dicere maluerimus. Saltem 4. id omnino concedendum videtur, nostrum auctorem de inspiratione libri, quem edebat, atque de divino, quo in scribendo gaudebat, adiutorio ne suspicatum quidem quidpiam fuisse; secus enim non ita loqui potuisset. Ita adversarii. Quibus ad singula in sequentibus respondemus.

Punctum primum.

Liber secundus Machabaeorum non est simplex epitome quinque librorum Iasonis Cyrenaei.

109. Ante omnia concedimus libenter, locum in difficultatem adductum, qui prooemium totius libri secundi Macha-

baeorum constituit, illi, qui in superficie verborum haeret et non satis attendit, quasdam expressiones versionis latinae textui originali non solum non ad amussim respondere sed et merito minus accuratas videri posse, reapse aliud non sonare, quam quod in difficultate ab adversariis obiicitur. At si res penitius consideretur, et si omnia verba, prout in originali habentur, accurate perpendantur, tota difficultas evanescit. Ita enim auctor libri Machabaeorum in versiculo *(24.)*, qui huc refertur, non invenitur dixisse aliud, quam velle se brevi volumine ea comprehendere, quae antea Iason Cyrenaeus prolixo quinque librorum opere exsecutus fuerat. Cuius rei atque operis deinde in sequentibus expressius rationem reddere conatur. Per hoc, ut apparet, noster auctor nondum affirmat, opus suum aliud non esse, quam simplicem alterius operis epitomen. Multo vero minus per hoc dicitur aut data etiam ultro illa adversariorum hypothesi ex verbis libri nostri convincitur, auctorem nostrum ad cognoscendas et amplectandas res a Iasone prius relatas et in suam epitomen inserendas praeter auctorem istum profanum nullis aliis fontibus, nulla propria scientia usum fuisse. Quare cum de bono auctore certe agitur, per se contrarium supponere licebit. Quod si ita est, quid vetat inter huiusmodi fontes recensere etiam inspirationem divinam seu specialem Dei illustrationem, qualem supra ut inspirationi propriam descripsimus? Imo in rigore hic auctor neque asserit, se Iasonis libro revera tamquam fonte historico usum fuisse. Quod si non dicit, non facile est asserendum in auctore, qui hagiographis accenseri meruit. Ante omnia enim fieri potuit, ut auctor noster res, quas narrat, ipse propriis oculis viderit. Quid ergo in his Iasone egebat auctore? Insuper certe potuit, imo ut opus in compendium contraheret, debuit omittere plura, quae Iason in sua historia narraverat. Porro quo pacto quove iudicio, quod tali auctore dignum sit, id factum esse putabis, si contendere volueris, hunc auctorem in concinnando libro suo praeter Iasonis auctoritatem nullis propriis fontibus neque iudicio proprio usum fuisse? Nam pro apta rerum selectione auctor noster certe indiguit subsidiis historicis sibi propriis.[1]

[1] Huius prooemii scopus praecipuus in eo est, ut auctor rationem reddat, cur de iisdem rebus, de quibus iam Iason sat prolixe scripserat, denuo scribere velit. Quare per hoc exordium non vetamur credere, auc-

110. Imo, ut nobis quidem videtur, auctor noster ipse satis aperte indicavit, opus suum non esse simplicem epitomen quinque librorum Iasonis Cyrenaei. Id dum ostendimus, simul ea, quae numero praecedenti asserendo magis quam demonstrando diximus, indubitanter demonstrabimus. Ante omnia igitur auctor secundi libri Machabaeorum non dicit, se velle quinque Iasonis libros in unum volumen contrahere. Potius dixisse deprehenditur, velle se ea, quae immediate ante *(v. 19.—23.)* per summa capita enumeraverat, compendio perstringere. Hoc praesupposito utique addit seu quasi incidenter et per transennam notat, eadem, quae ipse narraturus est, iam antea a Iasone Cyrenaeo prolixo opere reperiri narrata. Ita enim de verbo ad verbum habet textus graecus: *Τὰ δὲ κατὰ Ἰούδαν τὸν Μακκαβαῖον κ. τ. λ... τὰ ὑπὸ Ἰάσωνος τοῦ Κυρηναίου δεδηλωμένα διὰ πέντε βιβλίων πειρασόμεθα δι' ἑνὸς συντάγματος ἐπιτεμεῖν.* h. e. res circa Iudam Machabaeum etc., quae alias iam a Iasone Cyrenaeo quinque librorum accurata et minuta narratione exposita sunt, nos concisa unius voluminis narratione complecti aggredimur. Quibus satis perspicue indicatur, auctorem nostrum, licet in rebus, quae narraturus est, cum auctore citato ut plurimum convenire se noverit, nihilominus proprio Marte ac propria scientia et sine interna ac necessaria a Iasone dependentia in edendo opere suo agere voluisse. Hoc clarissime dicitur in vulgata latina. Ibi enim versiculum, de quo praecipue agitur, ita legimus: *„Itemque ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa* tentavimus nos uno volumine breviare.“ Calmet *(in h. l.)* dicit, particulam *itemque* abundare. Aliquae versiones, ut germanica a Loch et Reischl adornata, eam particulam penitus omittunt.[1] Sed quaerimus: Quo iure ea particula aut

torem nostrum aliqua, quae Iason praetermiserat, de novo historiae suae inseruisse. Nam si supponis, auctoris nostri opus saltem in plurimis cum opere Iasonis convenire, plus quam sufficiens causa remanebat, cur auctor iste, eo, quo fecit, modo elaborandi operis rationem redderet.

[1] Cum ea particula contextui prima fronte parum congruere videatur, non facile credenda est per solam incuriam amanuensium in textum introducta. Insuper per eam particulam, ut apparet, canonicitas nostri libri facilius defenditur. Ita fit, ut per eam aliquo modo iuvetur doctrina fidei. Iam vero per hoc ea particula ad eas res pertinere deprehenditur, quae ad fidem pertinent et in quibus vulgata a Tridentino saltem quoad sensum declarata est authentica. Quodsi ita est, per hanc vulgatae nostrae par-

simpliciter omittitur aut redundare asseritur? Certe ea particula vulgatae latinae editionis a nobis assertam auctoris nostri a Iasone independentiam, quae in re nostra magni momenti esse deprehenditur, non solum ut textus graecus aliquo modo subindicat sed determinate postulat.[1] Quo ergo iure lectionem vulgatae latinae, quam a Tridentino pro authentica recipere iubemur, in re tanti momenti nihili facimus? Sed si in his nolumus nimis insistere, alia adhuc verba eaque clariora sunt, quibus auctor noster suam a Iasone Cyrenaeo independentiam indicavit. Sed ea leguntur in versiculis, quos examinabimus in puncto sequenti.

Punctum secundum.

Auctor secundi libri Machabaeorum fidem rerum nequaquam remittit in Iasonem Cyrenaeum.

111. Concedimus iterum, textibus, quae afferuntur, leviter inspectis id videri indicatum, quod ab adversariis contenditur.

---

ticulam textus originalis loci nostri authentice in eum sensum exponitur, quem nos supra pro solvenda praesenti difficultate proposuimus. Ergo fas non est, nostram expositionem leviter spernere.

[1] Concedimus quidem, si sola spectentur verba, hanc particulam alio adhuc sensu explicari posse. Nimirum recolendum est, versiculo nostro praecedere summarium totius libri subsequentis. Quo posito, ut apparet, versiculus iste per se sequentem admittit interpretationem. Itemque, h. e. insuper *(scilicet praeter ea, quae in antecedentibus summarie enumerata sunt)* breviter hic narrabuntur ea, quae alias a Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa sunt. Ita libri summarium, quod versiculis antecedentibus datum est, hoc versiculo addita generali sententia augeretur et absolveretur. Aliis verbis per haec auctor diceret, agi in libro suo praeter ea, quae prius enumeraverat, de iis etiam, quae in Iasonis libris leguntur. Hunc sensum postulat versio germanica, quae ab Allioli adornata et a Sede Apostolica probata est. Ita enim habet: «Necnon et id, quod Iason Cyrenaeus quinque libris narraverat, sowie das, was Iason von Cyrene in fünf Büchern erzählt hat.» Iuxta hanc interpretationem auctor secundi libri Machabaeorum non solum a Iasone in opere suo monstraretur omnino independens, sed insuper supponendum esset, ab ipso narrari quam plurima, quae in Iasonis libris non inveniebantur. Nimirum ita ea omnia, quae in dicto summario ab ipso auctore nostro expresse memorantur, ab eodem rebus a Iasone relatis addita dicerentur. Sed licet cum Calmet *(in introduct. in libr. Mach.)* censeamus, illud summarium, de quo agitur, pro libro Machabaeorum secundo non esse omnino completum, certe negari non potest, illud saltem maximam partem eorum complecti, quae deinceps in toto libro narrantur. Quare hac Allioli inter-

At re intimius considerata etiam hic evanescit tota difficultas. Argumentum, quod pro praesenti difficultate ex versiculo 24. instrui posset, in superioribus solutum censeri potest. Manent ergo explicandi versiculi, qui sequuntur, necnon et conclusio in fine libri *(XV. 39.)*. Responsioni directae hanc observationem praemittimus. Si versiculi, de quibus agitur, in sensu ab adversariis intento explicantur, contendere possumus ac debemus, auctorem secundi libri Machabaeorum non solum Iasone Cyrenaeo sed aliis praeterea auctoribus in componenda hac historia usum fuisse. Loquitur enim auctor noster *(v. 29.)* iuxta textum graecum indefinite, iuxta vulgatam latinam vero verbis apertis non de uno sed de pluribus auctoribus.[1] Sed his omissis contendimus, verum sensum versiculorum, de quibus agitur, longe alium esse ab eo, qui communiter receptus esse videtur et prima fronte se offert. Id nunc est ostendendum. Igitur evidens est, auctorem toto hoc loco *(v. 24.—32.)* in eo esse, ut sui operis det rationem. In hunc finem comparationem instituit inter opus suum, quod breve erit, et inter opera aliorum, quae apparent prolixiora; nominatimque opus suum confert cum libris quinque Iasonis Cyrenaei. Quare multiplici sui operis utilitate, quae laborem in eo componendo subeundum abunde compensatura est, praevia oratione *(v. 25.—28.)* indicata continuo subiungit, comparationem inter opus suum, et inter opera aliorum, quae prolixiora sunt, eam esse, quae est inter delineationem aedificii, quae paucis lineamentis absolvitur, et inter accuratam ipsius operis exsecutionem, seu inter delineationem, quae fit per summa capita, et inter delineationem accuratissimam et omnibus numeris absolutam. Hic sensus secundum vulgatam nostram perspicue indicatur in secunda parte v. 29. totoque versiculo sequenti; secundum textum graecum vero huc spectat etiam in prima pars versiculi 29. Legimus enim in vulgata *(l. c.)*. «Ipsi autem secundum datam formam brevi-

---

pretatione supposita merito quaeritur, quaenam fuerint res illae, de quibus Iason opere tam prolixo quinque librorum egerat. Insuper haec interpretatio textui graeco, ut consideranti patet, non satis congruit. Ita ea manet omnium optima huius loci expositio, quae a nobis in textu tradita est.

[1] Legimus ibi: «Veritatem de singulis auctoribus concedentes.» Idem sensus est in textu graeco, cum locutio indefinita generali locutioni aequivaleat. *(Cfr. hic nota 3.)*

ati studentes. Sicut enim novae domus architecto de universa structura curandum est, ei vero, qui pingere curat, quae apta sunt ad ornatum exquirenda sunt, ita aestimandum est et in nobis.» In graeco vero ita est: *Τὸ μέν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς διαπονοῦντες· καθάπερ γὰρ τῆς καινῆς οἰκίας ἀρχιτέκτονι τῆς ὅλης καταβολῆς φροντιστέον, τῷ δὲ ἐγκαίειν καὶ ζωγραφεῖν ἐπιχειροῦντι τὰ ἐπιτήδεια πρὸς διακόσμησιν ἐξεταστέον· οὕτω δοκῶ καὶ ἐπὶ ἡμῖν.* Idem duobus versiculis sequentibus relicta metaphora propriis verbis et, si fieri potest, adhuc clarius dicitur. Sufficit versiculos istos sine praeiudicio legere.[1] Ergo *veritas,* de qua iuxta vulgatam in prima parte v. 29. sermo est *(„veritatem de singulis auctoribus concedentes"),* non est veritas, quae falsitati, sed quae brevitati opponitur. Aliis verbis hic veritas auctori nostro est *narratio, quae accurate singula persequitur.*[2] Id in graeco magis adhuc perspicuum est; nam illud *διακριβοῦν περὶ ἑκάστων,* quod latino *„veritatem"* respondet, sicut adversariorum sensui aegre accommodatur, ita in nostrum sensum accommodatissime quadrat.[3]

112. Multo facilius solvitur difficultas, quae ex conclusione libri *(XV. 39.)* petitur. Eo loco auctor, ut inspicienti statim liquet, cum modestia excusat, si quid forte in opere suo reperiatur, quod minus perfectum appareat. Hoc posito, quod a nemine negandum censemus, ulterius contendimus, nullam esse rationem, cur excusationem istam auctoris hagiographi ultra stilum extendamus ad res fidemque rerum, quae in libro referuntur; acsi auctor noster rebus a se relatis certam fidem tribuere non sit ausus. Qui enim verba auctoris sine praeiudicio legerit, facile concedet, eam excusationem satis commode

---

[1] Ibi inter alia legimus phrases sequentes ἐμβατεύειν καὶ περὶ πάντων ποιεῖσθαι λόγον καὶ πολυπραγμονεῖν ἐν τοῖς καταμέρος. Haec quid aliud significant, quam minutim omnia narrare? Item sub τῆς ἱστορίας ἀρχηγέτη quis alius intelligitur nisi historicus, qui per modum chronistae omnia diligentissime et minutissime narrat? Econtra μετάφρασιν in tali contextu intelligimus narrationem, quae res praecipuas breviter in summam colligit.

[2] Ita vulgatam intellexit Allioli in versione supra citata.

[3] Sub συγγραφεῖ, cuius eodem versu occurrit mentio, cum locutio infinita sit, non solus Iason Cyrenaeus, sed scriptores historici in genere maximeque illi, qui res accurate persequuntur, intelligendi sunt. Ergo non male vulgata nomen istud vertit per numerum pluralem.

imo multo commodius de solo dicendi genere seu de stilo accipi. Scilicet auctor se excusat, quod oratio minus accurata sit ac minus ornata. Imo contendimus, quamdiu verba in nativa sua significatione sumuntur, ea nullo modo de veritate ac certitudine eorum, quae in libro narrantur, dicta censeri posse. Quaero enim: Quo iure illud „εὐτελῶς καὶ μετρίως," quod in textu graeco legitur, et illud «minus digne», quod ei respondet in latino, refertur ad rerum veritatem et dictorum certitudinem? Idem dic de illa phrasi vulgatae nostrae «ut historiae competit», cui respondet in graeco „εὐθίκτως τῇ συντάξει."[1] Ex altera parte ad genus dicendi haec omnia aptissime quadrant, et ita auctoris consilio ad amussim omnia respondent.

113. In fine pro confirmatione nostrae interpretationis aliam animadversionem subiungere libet. Si loci, de quibus agimus, ita explicandi forent, ut in difficultate innuitur, tunc non solum conceptus inspirationis, qualem nos exhibuimus, temperandus esset, sed ipsa canonicitas libri in periculum adduceretur. Iuxta eam enim acceptionem auctor libri diceret, non omnia quae scribit, sibi videri certa i. e. ex sua sententia aliqua non habere nisi humanam auctoritatem. Quo posito adversarios ita urgere possumus. Haec auctoris assertio aut vera est aut falsa. Si est vera, ergo liber non potest esse inspiratus, cum aut falsa continere possit aut saltem talia in eo reperiantur, quae nonnisi humana gaudent auctoritate. Quodsi hanc auctoris assertionem falsam dicis, ergo liber noster saltem unam continet assertionem, quae falsa est, quod iuxta superius dicta sufficit ad subruendam totius libri canonicitatem.[2] Quare cum

[1] Neque quod elocutionem attinet, ista nostri auctoris excusatio nimis extendenda est. Iuxta Gutberlet *(Buch der Weisheit erklärt S. 18.)* noster auctor hoc loco excusaret rusticitatem (Ungeschicklichkeit). Sed de tanto defectu nihil reperitur in textu. Nam hic auctor in rigore aliud non dicit quam in opere suo quoad stilum non omnia videri perfectissima, et licet hoc ipsum non lateat, tamen plus praestare se non valuisse. *(Franzelin thes. III. n. II. sub c.)*

[2] Sunt, qui ad ultimum refugium se recipiunt dicentes, ipsum Iasonis librum fuisse inspiratum. *(Cfr. Bonfrer. l. c. c. VI. sect. 1.—3.)* Sed licet ex hoc effugio inferri possit, omnia, quae ex Iasonis libro in nostrum librum translata sunt, divinae inniti auctoritati; tamen, ut ex supra dictis patet, ex hoc nondum sequitur, nostrum librum proprio sensu inspiratum esse. Dein in libro nostro non omnia sine exceptione ex Iasone videntur transsumpta, ut supra docuimus. *(n. 109.)* Semper ergo difficultas manet

viro catholico canonicitas huius libri indubitata esse debeat, illa libri interpretatio ipsi amplectenda est, in qua tota libri auctoritas facillime defenditur. Denique, ut nobis videtur, auctor noster non solum sciebat, res, quas scripsit, esse certissimas ac gaudere fide, quae omni fide humana longe maior est, sed id insuper in libro aliquatenus expressit. Nam *ψυχαγωγία*, de qua v. 26 capitis II. legimus, non de sola animi oblectatione, sed de nobiliori quadam legentium utilitate intelligenda videtur. Ita per hanc vocem quandam, ut ita dicam, animi manuductionem ab auctore nostro sibi assertam intelligere possumus, qua fiat, ut animus illius, qui legit, et ab errore praeservetur immunis et in certam rerum veritatem introducatur. Quod si ita est, prooemium nostrum non solum nullam contra canonicitatem nostri libri creat difficultatem, sed, dum libro auctoritatem humana tribuit superiorem, potius canonicitatem totius libri inspirationemque eius aut testatur manifeste aut saltem leviter subindicat.

Punctum tertium.

Labor et vigiliae auctoris veram libri inspirationem non impediunt.

114. Hic iterum non solum concedimus, auctorem nostrum labores et vigilias, de quibus *(v. 27.)* loquitur, in edendo libro reapse subiisse; sed insuper improbamus eos, qui ad difficultatem, quae inde enascitur, tollendam omnem laboris et vigiliarum causam in solo labore corporali materialis scriptionis invenire vellent. Ratio huius nostrae improbationis haec est. Si supponis, prout hi auctores supponere videntur, Deum nostro auctori res et sententias omnes eo modo eoque ordine, quo in libro referuntur, immediate inspirasse ac veluti de verbo ad verbum dictasse, aut si contendis, auctori nostro sive dependenter sive independenter a Iasonis opere, lumen divinum, quod omni ex parte clarum et immediatum fuerit suggestionique singulorum verborum aequipollens ac simillimum, fuisse coelitus

---

videtur in adversariorum interpretatione. Denique in eadem nullo modo intelligitur, quomodo auctor libri, qui divinam habere debet auctoritatem, et ut inspiratus habendus est, non solum ipse de veritate rerum, quae ex libro inspirato in alium librum inspiratum transsumptae sunt, subiective dubitaverit, sed quod plus est, quomodo in ipso libro suo de rebus, quas scripsit, dubitationem movere potuerit.

infusum; tunc aegre profecto intelligitur, quomodo auctor dicere potuerit, se in edendo illo opere negotium plenum vigiliarum et sudoris suscepisse. Hac igitur responsione, quae nobis sufficere non videtur, aliis concessa nos aliam, quae magis placet, dare aggredimur. In hunc finem sic procedimus. Primo supponere possumus aut concedere, auctorem nostrum, sive ut res, quae scribendae erant, per se et independenter a quocumque alio fonte scripto primitus cognosceret, sive ut easdem ex Iasonis opere aliisque fontibus scriptis pro opere suo apte colligeret, fuisse divinitus perfusum lumine immediato ac perfectissimo, quale supra a nobis descriptum est et pro inspiratione Prophetae aut hagiographi abunde sufficit. At simul supponere licebit, eundem auctorem quoad res inter se ordinandas aptisque verbis describendas, excepto mandato et speciali Dei assistentia et protectione Spiritus sancti, perfecte sibi ipsi relictum fuisse. In hac suppositione ex una parte vera libri inspiratio ex supra dictis in tuto manet. Ex altera parte pro auctore hagiographo per haec satis magna laboris causa relinquitur, qualis ad explicanda auctoris verba abunde sufficere videtur.

115. Quodsi cui haec nondum sufficiunt, aliud addere possumus. Sicut supra innuimus *(n. 104.)*, fieri potest, ut unus homo in alterius hominis mentem diversissimi generis mediis conceptus suos ingerat. Et licet media ista nonnunquam valde remota et extrinseca esse videantur, nihilominus influxus ille aliquando adeo est efficax, ut unus alteri per eum influxum suos conceptus suasque cogitationes in toto rigore infudisse dicendus sit. Simul significavimus ibidem, si Deus simili efficacia similique modo in mentem hagiographi influat, id ad inspirationem perfecte sufficere. Iam vero ubi divinus influxus, de quo agitur, non exercetur nisi per media, quae maximam partem externa sunt et mediata; ibi profecto facile intelligitur, quomodo mens hominis aliaeque eius facultates, quae menti inserviunt, non solum ad hunc effectum multipliciter concurrere sed interdum etiam magno conatu cooperari possint ac debeant. Igitur nihil obest, quominus cogitemus, Deum erga auctorem nostrum simili oeconomia usum fuisse. Aliis verbis Deus inspirationis gratiam, quam auctori nostro in edendo libro suo concedebat, ita attemperare potuit, ut ipse utique semper sub

lumine speciali specialique Dei directione, quae quoad efficaciam ultimumque rei effectum lumine prophetico aequipollens fuit, res omnes, quas relaturus erat, primo in fontibus humanis investigare, deinde perpensis hinc inde rationibus probare, diiudicare ac seligere deberet. Ita ex una parte inspiratio nostri auctoris, qualem nos postulamus, sarta tecta manet et ex altera parte facillime intelligitur, quomodo hic auctor nihilominus in opus suum haud parum laboris multasque vigilias conferre debuerit. Brevi sicut mater parvulum primos gressus ponentem regit ducitque, non quo ipse, sed quo vult ipsa, et nihilominus infans et ipse conatur atque fatigatur; ita Deus hominem cum magno eius conatu ducere potest, non quo ipse sed quo Deus voluerit; in quo vera inspiratio consistere cognoscitur.

Corollaria. 116. Ex hactenus dictis 1. apparet, hoc prooemio nullatenus iuvari sententiam eorum, qui docent, librum secundum Machabaeorum nonnisi per subsequentem Dei approbationem divinam auctoritatem aut nactum fuisse aut nancisci potuisse.[1] 2. Neque ex prooemio et conclusione huius libri — quae ultima erat adversariorum animadversio — invicte ostendi potest, auctorem nostrum inspirationem suam librique sui penitus ignorasse. Nam nostra, quam dedimus, interpretatione semel admissa nonnisi duo remanere videntur, quae, quod in hac re ab aliquibus contenditur sed a nobis aut ut gratuitum reiicitur aut habetur ut minus certum, aliquo modo suadere videntur. Huc primo referendus est labor, quem auctor in scribendo opere suo se subiisse testatur. Deinde huc spectare potest minus ornatum accuratumque dicendi genus, quod idem auctor in fine excusare conatur. Sed sicut haec, ut demonstravimus et concedendum omnino est, inspirationem ipsam non laedunt; ita neque necessario postulant, auctorem inspirationem suam sui-

[1] Potiore iure, ut videtur, ex hoc prooemio quis contendere posset, Iasonis librum, qui amplius non extat, habendum fuisse ut librum inspiratum aut saltem ut librum a Deo speciali modo approbatum. Sed ad haec notamus, quae sequuntur. Primo haec quaestio ad nos non spectat. Quare de ea, si placet consulantur alii. *(Bonfrerius l. c. c. VI. sect. 3. 5. 6. et Tirinus comment. in II. Mach. II. 24.)* Deinde si nostra explicatio ut vera admittitur, de Iasonis opere in libro nostro nihil legitur, quod invicte demonstret, illum librum habendum esse ut librum inspiratum aut saltem eo sensu a Deo approbatum, ut omnia, quae in eo continebantur, divina auctoritate praefulgerent.

que operis penitus ignorasse. Si enim ista, ut suo loco ostensum est, cum inspiratione absolute loquendo stare possunt; item absolute loquendo concedendum erit, auctorem ea omnia tum in se cognoscere tum de iis in libro suo inspirato testimonium ferre potuisse, quin per hoc aut inspirationem ipsam aut suam de inspiratione conscientiam necessario negare voluerit aut debuerit. Quae enim semel et per se cum inspiratione stare posse conceduntur, non est, cur conscientiam sui imo et expressam testificationem excludant, seu cur cum iis inspirationis conscientia imo et expressa inspirationis testificatio stare omnino non possit.[1] Scientia enim, ut supra *(n. 80.)* dictum est et per se intelligitur, cum rebus in se plene constitutis superveniat, de earum naturis nihil mutat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De prooemio Evangelii Lucae.

117. Similes licet apparenter minores difficultates contra doctrinam nostram oriuntur ex prooemio Evangelii Lucae *(I. 1.—4.)* Duo enim Lucas ibi affirmare videtur. 1. Dum scribit: «Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem... visum est et mihi... ex ordine scribere»... affirmare vel insinuare videtur, scripsisse se Evangelium proprio omnino motu atque sine quolibet speciali Dei impulsu. Atqui hoc est, quod ex nostra theoria cum inspiratione libri componi non potest. 2. Dum asserit, se assecutum esse omnia a principio diligenter i. e. omnia, quae scribebat, prius diligentissime a se examinata fuisse, ac dum insuper pro fide rerum scribendarum simul provocat ad testes de visu, quos ipse consuluisse se admonet, a libro suo auctoritatem divinam excludere videtur nullamque nisi humanam fidem narrationi suae vindicat; quod item ex dictis cum inspiratione consistere nequit.

118. Difficile non est, ad haec sufficienter respondere. Igitur priorem difficultatem quod attinet, sufficeret recolere,

[1] Non negamus nihilominus, si res psychologice consideretur, ex modo loquendi huius auctoris cum satis magna probabilitate concludi, eundem suae inspirationis fuisse ignarum. Nam si res psychologice spectetur, haud facile intelligitur, quomodo quispiam ita de se suoque opere locutus fuisset, qui se sub inspirationis charismate scribere clare cognovisset.

quod legimus penes Maldonatum interpretem Evangeliorum satis celebrem. Is in locum nostrum ita scribit: «Cum dicit *(Evangelista): Visum est mihi, non humanum tantum ac suum, sed divinum etiam consilium declarat.* Nec enim significat, pro libitu suo Deo minime consulto ad scribendum accessisse, sed perinde est, ac si dicat: Visum mihi est in Domino; sicut Apostoli dicunt: Visum est Spiritui sancto et nobis.» Similia de hoc Lucae prooemio habet Ambrosius *(in Luc. prooem. h. e. l. I. n. 10.)* Sed hac omissa aliam damus responsionem. Concedimus nimirum, verbis Lucae extraordinarium Dei impulsum ad scribendum nullatenus indicari. At simul contendimus, eundem ab Evangelista nullatenus negari. Iam vero hoc nobis hic sufficit. Nam hunc impulsum Lucae, dum Evangelium scriberet, reapse divinitus fuisse immissum, non est necesse, ut ex Luca ipso ostendamus. Sufficit, si id habemus ex traditione catholica, quae nobis Evangelium Lucae exhibet et semper exhibuit ut librum divinitus inspiratum. Quod vero talis impulsus verbis Lucae non negetur, ita ostenditur. Etiamsi homo sive hagiographus, dum scribit aut loquitur, sub specialissima Dei illustratione specialissimoque Dei impulsu versari supponatur, nihilominus semper aliquo sensu verum manet, ipsum esse, qui scribit aut loquitur. Quod si ita est, simul verum erit, ipsi visum esse scribere aut loqui, quaecumque scribit aut loquitur; utcumque aliunde Deo inspirante atque movente ad scribendum aut loquendum se accinxisse supponatur. Ita prima difficultas sublata est.

119. Ad secundam similis esto responsio. Nimirum Lucas in suo prooemio utique testatur, se omnia ab initio assecutum esse diligenter ab iis, qui ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis. Sed per hoc nullatenus negat, se easdem res etiam ex alio fonte, v. gr. ex interno lumine Spiritus sancti aut ex immediata Dei revelatione cognovisse, vel saltem sese, dum scriberet, sub speciali et infallibili lumine divinitus concesso de rerum, quas ex aliis fontibus hauserat, veritate ac certitudine sibi ultimum iudicium informasse. Cum enim de hac re in Evangelii prooemio Lucas expresse non loquatur; sicut de ea nihil affirmat, ita etiam nihil negasse dicendus est. Quare ex prooemio isto sequens propositio deducitur: Deo non placuit, ut hoc Evangelium seipsum tamquam inspiratum exhiberet:

placuit vero, ut, quae in eodem Evangelio narrantur, per ipsum Evangelistam tamquam res fideli hominum testimonio confirmatae exhiberentur.[1] Per haec autem nondum asseritur, res istas non simul etiam testimonio divino firmatas reperiri seu librum istum nonnisi humana gaudere auctoritate.[2]

LIBER TERTIUS.

Quo sensu singula, quae in Scriptura leguntur, inspirata sint ac divina?

120. Licet duobus superioribus libris, quantum fieri potuit, primo accurate determinaverimus, quid de sacra Scriptura ex doctrina fidei tenendum sit, deinde quid sit inspiratio et quid ad eam requiratur; remanent tamen in hac re non pauca adhuc dubia atque obscura. Inveniuntur enim in Scriptura loci quam plurimi, ubi non ipse scriptor hagiographus loquitur, sed

[1] Quaeres: Cur Deo ita placuit, i. e. cur Lucae Evangelio non eodem modo ut de humana testimonium de divina libri auctoritate insertum est? Respondemus: Omnibus pensatis supponendum videtur, Deum voluisse, ut auctor Evangelii pro narratione sua ad humanam fidem appellaret, quia placuit, ut Evangelium humana etiam fide gauderet maxime pro paganis ac pro omnibus generatim, qui eius inspirationem aut nondum cognoverunt aut consulto negant. Testimonium autem de divina Evangelii auctoritate ideo forte Deus noluit nostro Evangelio insertum, quia tale testimonium, sicut modestiae humani auctoris parum congruit, ita in se parum utile esse videtur. Nam etiam in hac hypothesi, prout postea declarabitur *(n. 331.)*, ut liber cum omnimoda certitudine ut inspiratus recipiatur, requiritur semper testimonium libro extrinsecum, quo aut totus liber generatim ut inspiratus nobis exhibeatur, aut saltem, quod parum inde abest, infallibili et divina fide reddamur certi, illam sententiam, qua liber ab auctore exhibetur ut liber inspiratus, esse sententiam infallibiliter veram divinaque auctoritate suffultam. Ceterum non desunt, qui divinam rerum omnium, quae in Evangelio Lucae leguntur, veritatem ex illis verbis prooemii deducere conantur, quae iuxta textum originalem ita sonant: "Ινα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Nobis in sensum horum verborum accuratius inquirere nec tempus vacat neque necessarium videtur.

[2] De difficultatibus, quae contra nostram doctrinam ex s. Patribus promoveri possent, conferri poterunt, quae supra *(n. 26.)* dicta sunt.

loquuntur aliae diversissimi generis personae. Iam vero non semper primo aspectu est liquidum, quid de huiusmodi sermonibus iudicandum sit. Insuper ipse etiam auctor sacer in decursu sui operis hinc inde ut merus homo et non ut Dei nuntius loqui aut agere videtur. Id maxime in iis locis cernitur, ubi auctor humanos animi sui affectus exprimit. Non enim apparet, quomodo haec ac similia in Deum referantur, qui ex demonstratis quoad omnes ac singulas Scripturae partes ut auctor principalis habendus est. Merito igitur hic a nobis postulatur accuratior rerum istarum declaratio. Declarandum enim, quantum fieri potest, relinquitur, quomodo de huiusmodi locis iudicandum sit et qua ratione res ac sensa, quae ibidem sunt expressa, divina dici possint aut debeant. De hac igitur re in praesenti libro pro viribus agemus. Eum in duo capita dividimus. In primo capite de locis agimus, ubi ab auctore hagiographo aliae personae ut loquentes introducuntur; in secundo vero tractabimus de iis, in quibus, licet auctor sacer ipse loqui inveniatur, tamen, ut videtur, sensu omnino humano loquitur. Denique aliud praemonendum censemus. Quaestiones agitandas in sequentibus tum generatim, tum praecipue quatenus ad primum caput spectant, utique hinc inde penes auctores indicatas invenimus *(Cfr. Suarez de fide disp. V. sect. 3. n. 14; Patritius l. c. § IV; Hofmann hermeneutica biblica § 80. 81; Mariana dissert. pro vulgata c. VI. in append. ad Menochii commentarios totius Scripturae Venetiis 1722 post praeloq. Bonfr.);* sed nullibi istas quaestiones ex professo aut magis enucleate tractatas reperire potuimus. Quare si in hac nostra tractatione non omnia cum omnimoda perspicuitate dilucidata esse inveniantur, novitati rei venia concedenda erit.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo iudicandum sit de locis, ubi aliae personae loquentes inducuntur.

121. Gravitate rei breviter indicata primo hic ponenda sunt generalia principia in se certissima, iuxta quae ex nostra sententia de omnibus huius generis locis iudicandum est. Id praestabimus in primo articulo. Deinde in sequentibus articulis haec generalia principia variis locorum generibus, de quibus

quaestio esse potest, in particulari applicemus et certas huius rei normas statuemus. Quae quidem normae, cum, ut videbimus, ad triplicem classem reduci commode possint, i. e. 1. ad personam loquentis per se spectatam, 2. ad accidentales locutionis circumstantias et 3. ad approbationem adiectam ab hagiographo, de his singillatim agemus totidem articulis. Ita articulo primo, qui hanc rem magis in genere considerat, accedent tres alii, qui magis ad particularia descendunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Praenotiones et generalia principia.

122. Antequam ad ipsam tractationem accedamus, gravitatem rei paucis adumbrabimus simulque methodum indicabimus, quam in tractatione hac tenebimus. Igitur loci, ubi non ipse auctor libri sed aliae personae loquuntur, in Scriptura sunt quam plurimi et haud raro admodum prolixi, quique aliquando pro rebus fidei ac morum magni momenti esse videntur. Huc non solum, ut prima fronte apparet, referenda sunt verba caeci nati *(Ioann. IX. 31.)* aut verba Apostolorum, quae passim relata inveniuntur in Evangeliis ante adventum Spiritus sancti prolata. *(Luc. XXII. 38. etc.)* Huc spectant etiam verba Iacob Patriarchae ad Isaac morientem dicta *(Gen. XXVII. 19.)*, responsio principum Israel de iuramento, quod a Iosue Gabaonitae per fraudem extorserant *(Ios. IX. 19.)*, verba Heli principis sacerdotum *(I. Reg. II. 25.)*, insuper oratio Achior in Iudith historia *(Iudith V.)*, imo et sermones omnes ipsius Iudith *(X. XI.)*, necnon verba Thomae Apostoli, quibus Christum Dominum suum ac Deum suum nominat *(Ios. XX. 28.)*, oratio Stephani protomartyris relata in Actibus Apostolorum *(Act. VII.)*, varia documenta sacris libris hinc inde inserta, ut Baruch I. 11.—III. 18, I. Mach. XIV. 20, XV. 2. seqq., II. Mach. I. 1.—II. 19; denique in rigore etiam varia variarum personarum cantica, ut Annae, matris Samuelis *(I. Reg. II. 1. seqq.)*, Mariae Virginis *(Luc. I. 46. seqq.)*, Zachariae, patris Ioannis Baptistae *(ibid. 68. seqq.)*, atque sermones Iob amicorumque eius huc pertinent, quibus totus fere constat liber, qui eius nomine inscribitur. *(Cfr. Patrit. l. c. § IV.)* Quaeritur igitur hoc loco, quid de his et similibus Scripturae partibus censendum sit. Pres-

sius quaeritur, an huiusmodi locis eadem an vero minor reverentia et auctoritas deferenda sit ac locis, ubi Deus aut auctor sacer ipse loquitur; quaeritur, an censuram mereatur et in ipsam sacram Scripturam Deumque ut primarium Scripturae auctorem iniuriosus sit, qui v. gr. cum Melchiore Cano *(de locis theol. l. II. c. 18.)* in dicta Stephani oratione leves errores inveniri aut assereret aut permitteret; an vero talis per se solum protomartyrem laedat? Et si, qui ita agit, censura aliqua dignus videatur, quaeri ulterius potest, quamnam ob causam eam censuram mereatur, num propter iniuriam irrogatam ipsi Scripturae an Stephano solummodo. Haec et similia, ut puto gravitatem rei ostendunt, de qua acturi sumus. *(Cfr. Melch. Cani vindiciae, quae editioni operum ab Hyac. Serry adornatae praemittuntur c. IX.)*

123. Methodum tractationis quod attinet, ad diiudicandam horum locorum auctoritatem duplex per se via patere videtur. Una dici potest veluti a posteriori, quae scilicet ex auctoritate Patrum et praxi ecclesiae ac theologorum sensu rem determinare conaretur; alia a priori procedit, cum ex natura rei quaestionem solvere aggrediatur. Aliis verbis ad praesentem quaestionem solvendam primo inquirere quis posset, qualis auctoritas et reverentia huiusmodi locis sive ex decretis et usu ecclesiae, sive ex doctrina et usu ss. Patrum, sive ex sententia communi theologorum debeatur ac reipsa deferatur. Haec via certe tutissima foret. At ea simul si non omnino impossibilis certe difficillima est et ingentem laborem vastamque eruditionem requireret. Nam ante omnia non credo, posse inveniri generalia de hac re principia sive in decretis ecclesiae sive in scriptis Patrum.[1] Reduceremur ergo ad usum et praxin ecclesiae. Iam vero non adeo facile videtur, ex usu ecclesiae vel Patrum generalia huiusmodi principia deducere. Nam si quaeras, qualis usus circa hanc rem in ecclesia obtineat, haud difficulter invenies, usum istum tum penes Patres tum penes theologos satis incertum ac varium reperiri.[2] Nos igitur aliam viam tenebimus, quae brevior est et simul satis tuta, cum ex natura rei con-

[1] Quod infra *(n. 125.)* ex Augustino afferimus, ad decidendam hanc quaestionem per se solum certe non sufficit.

[2] Nos in hac re notavimus sequentia: Cypr. ep. 65. n. 2, ep. 67. n. 1; Aug. c. Priscill. n. 12; de virgin. n. 20; Suarez de fide disp. III. sect. 5. n. 2, de Angel. l. VI. c. 17. n. 8. c. 20. n. 18; Hurter comp. theol. dogm.

ceptuque inspirationis procedat. Quare 1. generalia quaedam pro hac re statuemus principia. Deinde tum ex natura personae loquentis, tum ex modo, quo sermo alicuius in Scriptura refertur, tum ex aliis insuper veritatibus aliunde compertis et cum re nostra intime connexis per modum theologicarum conclusionum certas deducemus regulas, iuxta quas de valore singulorum locorum tuto iudicari possit. Sit igitur

124. Primum principium generale. *Licet quotiescunque aut sensus animi aut externa alicuius personae locutio in Scriptura refertur, sine laesione auctoritatis ipsius Scripturae de facto, quod illa persona ea occasione reapse ita senserit vel dixerit, dubitari haud possit; tamen simul tenendum est, ex eo praecise, quod haec in Scriptura referuntur, pro interna eorum veritate nihil omnino sequi.* Principium hoc, ut apparet, habet duas partes. Prima pars ex conceptu inspirationis immediate et necessario consequitur. Nam quod sacer textus in talibus locis immediate et propriissime asserit ac continet, certe illud est, talem personam tali occasione ita sensisse aut locutam fuisse. Quare qui hoc negaret aut utcumque in dubium vocaret, sine dubio directe Scripturae auctoritatem laederet. Ergo, ut rem exemplis illustremus, qui negaret, serpentem in Paradiso ad Evam saltem quoad sensum et rei substantiam ea locutum fuisse, quae in Genesi *(III. 1. segq.)* de eo legimus, aut qui negaret, fuisse aliquando insipientes, qui aut ore aut in corde suo dixerint: «Non est Deus», sicut refert Psalmista *(Ps. XIII. 1.)*, aut coecum natum, postquam a Christo sanatus fuerat, ad Iudaeos dixisse: «Scimus, quia Deus peccatores non audit», ut testatur Evangelista *(Ioann. IX. 31.)*, aut qui sese dubium ostenderet, an Stephanus in oratione sua reapse asseruerit, Abraham emisse sepulcrum a filiis Sichem, aut Israelitas teste Deo male tractandos ac tractatos fuisse in Aegypto annis quadringentis, sicut narratur in Actibus Apostolorum *(VII. 6, 16.)*; is certe inspirationem laederet, licet de cetero in omnibus recte et cum Scriptura sentiret.[1]

n. 172. 485; Petav. de theol. dogm. de Deo l. IV. c. 6. n. 3; Bened. XIV. de serv. Dei beatif. l. IV. c. 7. n. 19; Editor. op. Melch. Cani l. c.; Heinrich Dogm. Theol. I. Bd. p. 758. Vel ex paucis istis apparet, usum Patrum in hac re varium esse et theologos item satis dubitanter loqui.

[1] Dixi quoad substantiam. Nam alia quaestio est, num sermones

125. *Secunda pars principii nostri* et ipsa non minus evidenter deducitur ex natura rei. Nam qui aliud non facit, quam ut nude referat, quid alter dixerit aut cogitaverit; per se aliud non asserit, quam illum de facto talia dixisse aut cogitasse. De veritate vero aut falsitate eorum, quae alter dixit aut cogitavit, talis nihil affirmat aut negat. Quod si id ex natura rei ita esse cognoscitur, consequenter de Scriptura idem tenendum erit, si quando in ea aliorum dicta aut cogitata relata inveniuntur eiusque verba nonnisi simplicem rei narrationem exhibere cognoscuntur. Ut hoc facilius intelligatur et libentius admittatur, rem exemplis illustrare libet. Certe cum auctor Actuum Apostolorum refert *(V. 35. seqq.),* quid Gamaliel in seniorum concilio dixerit, de veritate eorum, quae dicuntur, ipse nihil asserit. Idem dic de auctore secundi libri Regum, dum *(I, 3. seqq.)* historice refert, quid Amalecites Davidi de morte Saul eiusque circumstantiis nuntiaverit. *(Cfr. Allioli in h. l.; Dereser ibid.; Menoch. in I. Reg. XXXI, v. 4.)* Neque notissima illa, quae in Evangelio refertur, caeci nati assertio, quod Deus peccatores non audiat, ex eo, quod in Evangelio relata legitur, necessario in se vera credenda est. Ita inter alios sensit s. Augustinus, qui insuper circa rem nostram hoc fere generale statuit principium: «In Evangelio, quamvis verum sit, quod dicta sint *(sc. quae dicta referuntur),* non tamen omnia, quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse, verax Evangelii scriptura testatur.» *(Aug. c. Priscill. ad Oros. et Origen. c. 9. n. 12.)*[1]

in Scriptura semper de verbo ad verbum referantur. Insuper per se intelligitur, secundum regulas hermeneuticas diligenter inquirendum esse, quid sacer textus reapse asserat, num locutionem internam an externam, seriam an iocosam etc. referre voluerit etc.

[1] Alia exempla ibi refert Augustinus, sc. Iob XXV, 4; Ioann. VIII. 48; Luc. XVIII. 13. His adde Sap. II. 1.—20; Iob II. 9. et cfr. exempla hic indicata n. 124. Si causam quaeris, cur Deo placuerit, ut referantur in Scriptura haud raro aut sermones falsi aut tales, de quorum veritate aut falsitate ex sacro textu constare non potest; brevis sit ad hanc quaestionem responsio. Ob diversas, quas persequi non licet, rationes Deo placuit, ut scriptores sacri interdum historicos agerent. Porro historicis mos est, ut saepe dicta et facta aliorum referant, quae partim bona partim mala sunt, quin de eorum bonitate aut malitia semper iudicium ferre cogantur.

126. Secundum principium. *Unde ut de eorum, quae in huiusmodi sermonibus continentur, veritate aut falsitate iudicium feramus, ad alia media recurrendum est.* Haec est conclusio, quae ex antecedenti principio per modum corollarii sponte consequitur. Unde nova demonstratione non indiget. Posset, quod per duo principia ista diximus, in unum colligi et aliis verbis enuntiari in hunc modum: Licet ex eo, quod aliquis sermo in Scriptura refertur, de facto sermonis habiti infallibili et divina auctoritate constet; tamen per istam relationem praecisione facta ab aliis indiciis *internus relati sermonis valor non mutatur, sed idem omnino manet, acsi a Scriptura relatus non fuisset.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Normae iudicandi desumptae ex persona loquentis.

127. Primum generale principium. *Auctoritas verborum, quae ex persona alterius in Scriptura referuntur, sepositis aliis indiciis tanta est, quanta est auctoritas ipsius personae loquentis.* Haec propositio post dicta in sectione antecedenti per se evidens est. Nihilominus eam expressis verbis enuntiare utile videbatur. Item si non necessarium certe utile erit, si in sequentibus applicatione facta ad magis particularia descendere tentabimus. In hunc finem statuimus

128. Secundum generale principium. *Si persona loquentis talis est, ut auctoritas eius auctoritatem canonicam adaequet et divina dici possit: eius verba in Scriptura relata quoad auctoritatem a ceteris Scripturae verbis nihil differunt ac proinde canonica gaudent auctoritate; si vero persona inferioris auctoritatis est, eius verba relata in Scriptura per se ad canonicam auctoritatem non pertingunt ac proinde non cum eadem efficacia qua cetera Scripturae verba ad alicuius rei demonstrationem proferuntur.* Etiam hoc principium, cum sit immediata sequela praecedentis,[1] ulterius demonstrandum non putamus. Per haec patet ad particularia descensus.

[1] Non inutilis erit sequens observatio. In casu, quo Deus ipse aut alia persona divinae auctoritatis ut loquens in Scriptura inducitur, auctoritas dictorum immediate referenda est in personam loquentis; in Scripturam vero in isto casu auctoritas eorum solummodo mediate resolvitur, quatenus scilicet eadem talem sermonem authentice refert.

Punctum primum.

De sermonibus in Scriptura relatis, qui ex parte personae loquentis canonica gaudent auctoritate.

129. Tertium generale principium. *Si in Scriptura Deus loquitur aut Christus Deus homo, aut Angeli ceterive coelicolae, aut Apostoli qua Apostoli, aut Prophetae qua Prophetae, aut consessus totam Christi ecclesiam repraesentans; ea verba canonica auctoritate pollent.* Haec assertio aut in se evidens est aut ex veritatibus theologicis in se certissimis ac notissimis immediate consequitur. Unde demonstratione proprie loquendo non indiget. Placet nihilominus singulas ejus partes exemplis illustrare et, sicubi utile videbitur, aliquam rei declarationem aut demonstrationem adiungere. De Deo et de Christo Deo homine nonnullos locos, qui huc pertinent, innuisse sufficiat. Tales igitur quoad Deum habentur Genes. I. II. III. VI. IX. XII. etc.; Exod. XX.; Matth. III. 17, XVII. 5. cum parall.; Ioann. XII. 28; Apocal. XVI. 1, XXI. etc.; quoad Christum vero inter alia Matth. V. VI. et alibi passim in Evangeliis; Act. IX. 5, 7; Apocal. I. 17. seqq.[1]

130. *Angeli* in Scriptura saepissime loquuntur. *(Cfr. Iob V. 6. seqq. VI. XII; Dan. IX. 22. seqq. X. 11. seqq.; Luc. I. 26. seqq., II. 14; Act. XII. 7, 8; Apocal. V. 2, X. 6, 7, XIX. 10.)* Rarius alii coelicolae, sed non omnino numquam. *(Cfr. Apoc. VI. 9, 10, VII. 10, VIII. 13.)* De utrisque idem manifesto est iudicium. Quare directe de solis Angelis loquemur. Igitur *Angelorum verba, si nomine et mandato Dei loquuntur, divina pollere auctoritate,* ut puto, nemo erit, qui in dubium vocabit. Sed, quod cum Suarez *(de fide disp. VIII. sect. 3. n. 4.)* monemus, *auctoritas canonica proprie dicta Angelorum verbis non praecise ex eorum persona nec ex eorum scientia beata aut impeccabilitate, sed ex auctoritate Dei accedere dicenda est, cuius nomine ac mandato loqui cognoscuntur.*[2] Quare hic quaestio moveri ulterius

---

[1] Per se patet, huiusmodi locos certo sensu tum in se tum etiam quoad elocutionis formam ceteris Scripturis magis divinos videri posse, cum in iis Deus immediate et ex propria persona ad nos loquatur. *(Cfr. n. 312.)*

[2] «Advertendum est, inquit Suarez *(l. c.)*, omnes revelationes, quae a sanctis Angelis fiunt, propterea ad veram prophetiam pertinere, quia non loquuntur in persona propria, et quae pronuntiant, non sua sola auc-

potest, utrum reapse Angeli, quoties in Scriptura loquentes introducuntur, semper nomine ac mandato Dei loquantur. Nam ex hac quaestione, ut patet, pendet quaestio, an et cum qua certitudine tenendum sit, omnia ac singula, quae in Scriptura ab Angelis dicta referuntur, canonica auctoritate pollere. Hanc quaestionem nos, primam partem quod spectat, affirmandam esse censemus. Movemur rationibus, quae sequuntur. Ante omnia teste Apostolo *(Hebr. I. 14.)* Angeli omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis. Ergo si in Scriptura Angeli ut hominibus loquentes repraesentantur, repraesentari credendi sunt loquentes qua ministri Dei. Adde, Scripturam saepius indicare expresse, Angelos agere et loqui ex mandato Dei. *(Dan. IX; Luc. I. 26.)* Postremo haud raro, ut ex modo loquendi aliisque circumstantiis apparet, Angeli, dum in Scriptura loquentes inducuntur, ex abundantia divinae inspirationis et sub influxu extraordinarii et quasi prophetici luminis atque impulsus in verba prorumpere inveniuntur. *(Apoc. IV. 11, V. 13, 14. VII. 12, XV. 3, 4.)* Porro hoc manifestum signum est, eos nonnisi ut Dei nuntios vel ex mandato divino illa verba protulisse.

131. Tamen Angelos in nostra oeconomia sive in Scriptura sacra semper ex speciali Dei mandato loqui, non ea certitudine constat, qua credendum est, Scripturam in omnibus, quae ipsa loquitur, infallibilem esse divinaque pollere auctoritate. Per haec etiam ad posteriorem propositae quaestionis partem responsum est. Simul patet, cur nos hic quaestionem istam moverimus. Quare non omnino inutile videtur quaerere ulterius, quanta Angelorum verbis auctoritas tribuenda sit, si supponamus, eos loqui nomine proprio i. e. sine Dei mandato et absque speciali lumine divino. Hanc quaestionem Suarez, dum de fide divina agit *(l. c. n. 14.)*, tangit et solvit his verbis: «Dices, etiamsi bonus Angelus sua auctoritate tantum loqueretur, infallibiliter verum esset, quod dicit; quia non potest mentiri, cum beatus sit; ergo id erit satis ad obiectum formale prophetiae.» *(Idem, ut patet, pari iure dici potest tum de obiecto formali scriptionis inspiratae tum generatim de obiecto formali fidei divinae.)*

toritate confirmant, sed ut Dei ministri loquuntur, et qui revelationem accipit, ei assentitur, ut divinam decet auctoritatem.»

«Respondeo, prosequitur idem auctor, si assensio nullo modo nitatur divina revelatione, erit ex suo genere fallibilis; quia non constat certissime, sanctos Angelos ita esse beatos, ut non possint mentiri *(addere potuisset, vel inadvertenter falli)*; nisi ex divina revelatione, in quam ut rationem formalem tota illa assensio ultimate resolvitur.»[1]

132. Quod diximus, libet illustrare exemplo, quo gravitas rei magis apparebit. Igitur difficilis semper merito interpretibus visus est sermo Raphaelis Archangeli ante susceptum iter ad Tobiam habitus. *(Iob V. 7. seqq.)* Non negamus, sermonem Archangeli ab omni mendacio excusari posse et debere. *(Cfr. Gutberlet in h. l. ad v. 5.)* Imo quia ex dictis cum ceteris Angelis Raphaelem ibi omnia, quae dixit ac gessit, ex mandato Dei dixisse ac gessisse supponimus, simul concedimus, eum, qui in Raphaelis sermone mendacium inveniri contenderet, per se et immediate non solum Angeli sed et Dei auctoritatem impetere. Sed ponamus esse hominem, qui dicat: Pro certo teneo, Raphaelem omnia illa verba, quae ibi leguntur, in forma Azariae assumpta revera protulisse. Ceterum contendo, Angelum sine Dei mandato imo contra eius voluntatem ad scopum suum commodius assequendum simulatione aliqua ac mendacio utique in se levissimo neque nocivo usum fuisse. Ideoque simul nego, illud mendacium saltem directe aut in Deum aut in Scripturam referri ullo modo posse. Nam Scriptura solum, quod factum est, per modum historiae retulit, Deus autem modum, quo Angelus suum mandatum exsequeretur, Angeli arbitrio permisisse videtur. Iste, ut nobis videtur, per haec

[1] Addere possumus: Neque, prout hic auctor ultimis verbis supponere vel concedere videtur, ad prophetiam et ad constituendum obiectum formale fidei divinae ac proprie dictae sufficere videtur, si certissime constare supponatur, Angelos ita esse beatos, ut falli aut mentiri omnino non possint, nisi simul constet, Angelum, qui loquitur, loqui ex speciali Dei mandato. Ratio a posteriori est ista. Etiam de ecclesia ex divina revelatione certissimum est, eam in definiendis quibusdam factis, quae facta dogmatica vocantur, falli non posse, ob promissam scilicet infallibilem Dei assistentiam. Tamen iuxta optimos theologos huiusmodi facta non proprie sunt obiectum fidei divinae, nec creduntur ea fide, quae immediate et proprie divina dicitur. *(Cfr. Franzelin de Trad. div. thes. XII. schol. I. princ. VII. coroll. c. p. 117.)* Rationem a priori aliis investigandam relinquimus.

directe et immediate Dei et Scripturae auctoritatem non impeteret. Ex una parte enim expresse admittit, quod Scriptura directe et immediate affirmat, ex altera vero parte expresse tollit conditionem, quae tum ex dictis tum ex natura rei requiritur, ut Angeli sermo in Scriptura relatus immediate et directe Deo aut Scripturae tribui possit ac debeat. Negat enim, Angelum in istis ex Dei mandato egisse aut ea Dei nutu protulisse.[1]

133. *Prophetae et Apostoli* item in Scriptura ut loquentes inducuntur saepissime. Modo viri isti, quod notandum est, loquuntur ut Prophetae et Apostoli, modo ut personae privatae. Hoc posterius de Apostolis generatim omnino clarum est et obvium. In Evangeliis enim de Apostolis multa referuntur verba, quae protulerunt, antequam per Spiritus sancti adventum in munus apostolatus inaugurati sunt. Imo ibidem nonnulla eorum verba a Christo expresse improbata fuisse leguntur. *(Matth. XVI. 23.)* Ex altera parte nominatim in Actibus Apostolorum sermones nonnullorum Apostolorum referuntur et exhibetur eorum praedicatio ac doctrina, quam post adventum Spiritus sancti populis proposuerunt. *(Act. II. 14. seqq.)* Idem de Prophetis valet. Nam ante omnia non solum in libris propheticis sed et in libris historicis hinc inde prophetica Prophetarum verba referri notissimum est. *(I. Reg. X. 2. seqq.; III. Reg. XVII. 1. XXII. 17. seqq.)* Alterum quod attinet, nemo item negabit, referri interdum in Scriptura de viro aliquo, qui aliunde communiter ut Propheta habetur, verba ac sermones, qui naturam rerum privatarum nullatenus excedunt. Pro confirmatione huius rei sufficit legere historiam David, cuius tum iuvenis tum regis multi sermones in Scriptura referuntur, quos certe non qua Propheta, sed qua homo privatus aut rex imo qua peccator protulit; et tamen aliunde notissimum est, David veri nominis Pro-

[1] Quodsi talis nihilominus in Deum iniuriosus esse convincitur, id solum mediate et indirecte factum esse deprehenditur; quia nimirum ab eo laeduntur principia, quae in divina revelatione plus minus clare expressa reperiuntur, qualia sunt: Angeli quotiescumque hominibus loquuntur, semper et quoad omnia ex Dei mandato loquuntur, aut: Angeli omnes non solum semper sunt beati sed qua tales neque mentiri unquam neque falli utcumque possunt. Quare is, de quo agimus, certe non maiorem censuram mereretur, quam qui negaret unum aut alterum ex his principiis. Econtra qui diceret, haec tamquam ab Angelo dicta falso referri in Scriptura, is sine ambiguitate directe et immediate divinam auctoritatem impeteret.

phetam fuisse.[1] *(I. Reg. XVII. 26; II. Reg. XI. 6. seqq. XXIV. 1. seqq. XXIII. 1, 2.)* His positis sermones Prophetarum et Apostolorum, quando publico munere funguntur, canonica auctoritate pollere, indubitatum est nec longa demonstratione opus habet. In tali enim casu viri isti ex speciali Dei mandato agunt ac proinde in his rerum adiunctis, ut muneri suo satisfacere possint, supponendum est, eos speciali lumine et assistentia divina in loquendo usos fuisse, prout omnes auctores catholici docent et Scriptura ipsa saepius haud obscure indicavit.[2] *(Cfr. II. Petr. I. 20, 21; Luc. X. 16; Ioann. XIV. 26; Ioann. epist. I. 2. 3; Franzelin de Trad. div. thes. V. et VI; Petav. de eccl. hier. l. I. c. VI; Suarez de fide disp. X. sect. 1; Bellarmin. de Rom. Pont. l. IV. c. 22. 23.)*

134. *Quod de consessu totam ecclesiam repraesentante* in generali principio sub finem additum est, ex iis, quae de auctoritate conciliorum generalium ab omnibus docentur, per se facile intelligitur. Exemplum huius rei praeter Act. XV. 23.—29 in Scriptura nullibi occurrere videtur. Idem, ut patet ex principiis dogmaticis, dici deberet, si alicubi inveniretur expressus consensus totius ecclesiae dispersae sive docentis sive discentis. Nam ex doctrina ipsius ecclesiae ac theologorum etiam ecclesia dispersa perfecta semper infallibilitate sive in docendo sive credendo gaudere dicenda est. *(Cfr. Franzelin l. c. thes. XII; Kleutgen Institutiones theol. Introd. q. II. art. IV. n. 65. 69.)*

[1] De Maria Virgine non est, quod in particulari loquamur. De illa praeter hymnum, de quo infra data occasione loquemur, paucissima verba in Evangeliis relata esse inveniuntur. *(Luc. I. 34, 38, II. 48.; Ioann. II. 3. 5.)* Ceterum ut de huiusmodi verborum auctoritate et valore iudicium feratur, ante omnia prae oculis habenda sunt, quae probati auctores *(v. gr. Suarez de Incarn. p. II. disp. XIX. sect. 3. seqq.)* de scientia et impeccabilitate B. Virginis docent. Deinde cum his conferenda sunt, quae penes catholicos ac pios interpretes et penes ecclesiam ipsam in officio Purissimi Cordis Mariae de verbis Beatae Virginis in Scriptura relatis dicta inveniuntur. Puto, eum, qui haec satis perpenderit, non oblocuturum, si ea, quae supra de Angelis eorumque verbis in Scriptura relatis dicta sunt, ad Mariam reginam Angelorum eiusque verba in Scriptura relata transferimus et veluti a fortiori tenenda esse pronuntiamus.

[2] Apostolos etiam post adventum Spiritus sancti aliquando, quae nonnisi humana sunt, locutos fuisse et talia de eis in Scriptura referri, docet Cherubinus a s. Ioseph *(l. c. disp. IV. art. 1. § 2. n. 25. 34. 35.)* ex s. Chrysostomo *(homilia 49. in Act. Ap.)* Hanc rem iterum tangemus infra *(n. 137. seqq.)*.

Scholion. 135. Quaeri hic insuper posset: Quid, si referantur in Scriptura verba summi Sacerdotis Veteris Testamenti, aut si ibidem indicetur sensus et consessus synagogae Iudaicae totiusque populi fidelis ante Christum? Num huiusmodi persuasioni, si de ea ex Scriptura authentice constet, canonica auctoritas tribuenda est? Ad haec ita respondemus: Solutio huius quaestionis, ut apparet, pendet a quaestione, num vetus synagoga eiusque caput, qui fuit summus Pontifex, dono infallibilitatis instructus fuerit necne? Hanc quaestionem aliis accuratius examinandam relinquere possumus; ea enim ad nos proprie non spectat. Addimus tamen hic brevissime, quid de quaestione ista sentiamus. Censemus igitur ante omnia, constantem totius populi Iudaici persuasionem in rebus religiosis falli nequaquam potuisse. Quod ut facilius admittas, haec perpende. Populus Israel in rebus religiosis non solum magisterio ordinario ac perpetuo suorum sacerdotum regebatur, sed insuper suo quoque tempore repetitis Prophetarum institutionibus specialique Dei providentia gaudebat, per quas errores irrepentes statim corrigi poterant. Quare, ut exemplo rem declarem, si certum esse supponatur, Matrem Machabaeam, dum mundum nostrum ex nihilo factum fuisse asserit *(II. Mach. VII. 28.)*, nonnisi ex communi et constanti sui populi persuasione ista prolocutam fuisse, dubium esse vix poterit, quin ex eius verbis infallibile pro creatione ex nihilo argumentum duci queat. Secus vero censendum putamus de singulari aliqua summi Pontificis Hebraeorum sententia aut etiam de singulari synedrii iudicio. Aliud est, ubi de responsione per Urim et Thummim agitur, aut pro casu aliquo de speciali Dei inspiratione aliunde constat. *(Cfr. Ios. XI. 50. 51.)* Ita v. gr. verba Heli notissima *(I. Reg. II. 25.)*, licet res religiosas tangant, canonica auctoritate nequaquam gaudere videntur. *(Cfr. Hurter theol. dogm. comp. tom. III. n. 485.)* Nec inde sequitur, fidem in illo populo aut omnino impossibilem aut nimis incertam fuisse. Poterant enim, si quae semel falsa ab ordinario magisterio prolata fuerant, per actum magisterii subsequentem et maxime per Prophetarum magisterium, quod in illa oeconomia non omnino extraordinarium erat, opportuno tempore corrigi.

Punctum secundum.

De sermonibus a Scriptura relatis, qui ex parte personae loquentis auctoritate canonica destituuntur.

136. Pro re praesenti sufficere videtur, ut secundam partem secundi principii supra *(n. 128.)* positi paulo enucleatius exponamus. Igitur *si persona, cuius verba a Scriptura referuntur, neque Deus est, neque Christus Deus homo, neque Angelus, neque Apostolus aut Propheta, qui praecise qua Apostolus aut Propheta loquatur, huiusmodi sermoni de se auctoritas canonica nequaquam competit.* Haec cuique per se clara esse debent. Nam praeter personas hic enumeratas nemini auctoritas divina aut praerogativa infallibilitatis adscribenda est, prout ratio pariter et revelatio docent. *(Cfr. Can. de loc. l. II. c. 18. in fine.)* Ad ista magis confirmanda iuvat revocare in memoriam factum satis notum. In Scriptura haud semel occurrunt loci, ubi personae alioquin sanctissimae leve aliquod mendacium protulisse inveniuntur. *(Cfr. I. Reg. XX. 28, XXI. 2, XXVII. 10.)* Sed ista hic innuisse sufficiat; nam de iis infra sermo redibit. Unum est quod prima fronte circa praesentem assertionem dubium movere potest, limitatio scilicet, quam de Apostolis et Prophetis adiunximus. Nam vix apparet, quomodo sine piaculo verbis Apostoli aut Prophetae unquam plena fides detrahi possit.

137. Quare illam limitationem, quae a nobis non sine ratione posita est, paucis vindicandam suscipimus. Hunc in finem sequentem statuimus propositionem: *Fieri potest, 1. ut homo, quem alioquin Apostolum aut Prophetam esse tenemus, non qua Apostolus aut Propheta, sed ut homo privatus loquatur ideoque 2. in tali sermone sicut ceteri homines aliquid erronei proferat. Quo posito 3. per se impossibile non est, quin talis sermo in Scriptura historice referatur; quapropter 4. in tali casu illi sermoni auctoritatem canonicam haud competere manifestum est.* Prima propositionis pars indubitata est. Nam qui a Deo Propheta aut Apostolus constituitur, per hoc tamen homo esse non cessat. Nec postquam homo aliquis ad huiusmodi munus assumptus est, necessario semper et in omnibus ex tali munere agit aut loquitur. Ceterum haec ex iis, quae mox subiiciemus, magis illustrabuntur. Etiam secunda propositionis pars facile demonstratur. Nam quis neget, Apostolos et Prophetas, cum

non qua Apostoli ac Prophetae loquuntur, sed qua homines privati de rebus privatis agunt, errare posse ut ceteros homines? Tertiam partem non solum quoad rei possibilitatem, sed etiam quoad factum demonstrant exempla a nobis superius *(n. 133.)* allata. Ceterum quod hic asseritur, saltem quoad rei possibilitatem in se omnino perspicuum est. Quarta demum necessaria est consequentia, quae immediate ex antecedentibus infertur.[1]

138. Nihilominus post haec omnia ita reponere quis posset: Concedo, hanc doctrinam in se veram esse. Sed haec doctrina inutilis est, cum in praxi nullam aut fere nullam applicationem habere videatur. Nam praeter eos locos, ubi referuntur verba dicta ab Apostolis, antequam per adventum Spiritus sancti in munere suo inaugurati fuerant, aut ubi proponuntur, quae certa occasione a viro aliquo Propheta de rebus omnino indifferentibus dicta sunt, constantissime retinendum est, verba Apostolorum et Prophetarum, quae in Scriptura referuntur, ab iisdem

[1] Ex his apparet, non esse probandum modum agendi, qui occurit penes auctorem alioquin doctissimum. *(Gutberlet, Buch der Weisheit zu c. VII. v. 2.)* Hic enim auctor, ut verbis loci, de quo agit, etiam quoad res naturales plenam auctoritatem conciliet, tandem ad hoc recurrit, ut dicat, ibi non loqui ipsum sacrum auctorem sed Salomonem, qui etiam in rebus naturalibus sapientissimus fuit. Et quod notandum est, Salomon ibi non loquitur ut auctor hagiographus; nam ille nostris temporibus communiter non creditur auctor libri Sapientiae, neque ut Propheta, sed ut homo sapientissimus ac maxime in rebus naturalibus doctissimus. Ita ab hoc auctore manifesto significatur, Salomonem praecise qua hominem omni sapientia repletum magis ab omni errore immunem credendum esse, si de rebus naturalibus agitur, et in his maiorem mereri fidem, quam auctorem quemlibet hagiographum. Haec igitur nobis non probantur. Nam concedere quidem possumus, Salomonem generatim facilius et profundius etiam, si vis, de rebus naturalibus loqui potuisse, quam auctores canonici loqui de iis consueverint. Sed posito, quod tum Salomon per se tum alius qua auctor inspiratus semel certa ratione de his rebus loquantur, negamus, Salomoni maiorem fidem deberi quam auctori inspirato. Ratio est manifesta. Certe minoris censurae dignus est, qui dicit, Salomonem, licet a Deo extraordinaria scientia instructus fuerit, tamen aliquando in disputando de rebus naturalibus falsi aliquid protulisse aut proferre potuisse, quam qui idem asserit de auctore canonico. Quodsi recurras ad maius et extraordinarium lumen, quod Salomoni tunc, cum haec diceret, adfuisse credendum est; idem lumen postulare etiam poteris et, si opus fuerit, postulare debebis pro auctore canonico, dum eadem scriberet. Ergo inutile videtur ad fidem illi loco *(Sap. VII. 2.)* conciliandam ad Salomonem recurrere, ac si inspiratio per se non sufficeret.

praecise qua talibus dicta esse. Proinde eorum verba, sicubi in Scriptura recurrunt, semper divinam sibi vindicant auctoritatem. Respondeo: Sit res, ut dicitur; semper tamen utile censendum est, claritatis causa hanc observationem ac distinctionem paucis indicasse. Sed aliud addere possumus. Igitur licet, quod dicitur, a priori ita esse videatur, nihilominus a posteriori h. e. *per exemplum satis memorabile, quod in Scriptura ipsa relatum est, monemur,* ne in his rebus nimis praecipitanter agamus. Monemur inquam a Scriptura ipsa, *ut etiam in viris, qui alioquin ut Dei legati ac Prophetae cognoscuntur, diligenter attendamus, num in certis rerum adiunctis* revera qua tales *egisse et locuti fuisse censendi sint.* En exemplum, quod certe meretur attentionem. Nathan, qui sine dubio Propheta erat et in Scriptura Propheta communiter nominatur, referente ipsa Scriptura *(II. Reg. VII.)* primo valde probavit consilium David regis, quo is Domino Deo suo templum aedificare decreverat. «Omne, inquit Propheta ad regem, quod est in corde tuo, vade et fac, quia Dominus tecum est.» Quis non credat, haec a Nathan Propheta qua Propheta dicta fuisse? Imo, si Gregorio M. credimus, Propheta ipse primitus ita censuit.[1] Nihilominus sequenti nocte ecce ex inopinato sermo Domini ad Nathan factus est, quo verbum suum revocare iussus est. *(Cfr. Greg. M. l. c.; Suarez de fide disp. VIII. sect. 4. n. 5.)* Per hoc exemplum, licet unicum forte sit, omnia, quae supra in assertione nostra posita sunt, satis demonstrata relinquuntur. Haec de re ista sufficere possent. Nihilominus per modum complementi aliud addimus.

139. Factum igitur quod spectat, credimus, praeter locum, quem attulimus, nullum alium in Scriptura reperiri, ubi, cum veri nominis Prophetae et Apostoli *(post adventum Spiritus sancti scil. loquentis)* verba referantur, eadem canonica non polleant auctoritate. Imo etiam ubi veluti de iure agitur, hoc videtur posse statui principium: *Quoties in Scriptura de vero Propheta*

[1] Celeberrimus hic ecclesiae Pater *(in Ezech. homil. I.)* de facto nostro sermonem instituturus primo generale ponit principium: «Sciendum, ait, quod aliquando Prophetae sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt et se ex prophetiae spiritu dicere suspicantur.» Dein rei exemplum afferens et incipiens loqui de facto isto ita scribit: «Nathan Prophetam virum sanctum fuisse, quis nesciat.» Cetera, si placet, ipse ibidem videre poteris.

aut Apostolo referuntur verba, quae ex natura sua aliquo modo ad eius munus et ad res religiosas spectare cognoscuntur, iis canonica auctoritas tribuenda est, nisi in Scriptura ipsa indicio aliquo competenti manifestatur contrarium. Primam partem eius, quod hic asserimus, i. e. ad purum factum quod pertinet, nemo postulabit, ut illud discurrendo per totam Scripturam singillatim ostendere aggrediamur. Id enim nimis longum esset. Potius nos ab eo, qui hoc factum in dubium vocaret, postulare possumus, ut ipse ostendat contrarium h. e. ut ipse nobis locum indicet, qui nostram assertionem generalem aut destruit aut limitat. Nos certe hucusque nullibi in Scriptura et penes interpretes catholicos tale aliquid reperire potuimus.[1] Secun-

[1] Non puto fore, qui postulet, ut expresse demonstremus, id, quod de Prophetis diximus, valere etiam de Apostolis. Iuvat tamen circa hunc scrupulum quaedam hic innuere. Igitur Apostoli ante omnia quoad infallibilitatem Prophetis nequaquam antecellunt, sed iisdem in hac re per omnia aequiparantur. *(Eph. II. 19.)* Dein rem nostram positivis argumentis ita suadere possumus. Legimus in Actibus Apostolorum *(XV.)*, inter praesentes in concilio Hierosolymitano de obligatione legalium magnam conquisitionem factam esse. Quod si ita est, quid per se prohibet supponere, ea occasione aliquem ex Apostolis non quidem per modum definitionis firmaeque sententiae, sed per modum inquisitionis protulisse aliquid, quod in se per omnia verum non erat et ab aliis postea sub assistentia Spiritus sancti reiectum et correctum fuit. Quo supposito item nihil per se obstat, quominus id etiam ab auctore Actuum historice referri potuerit. Nonne, ut rem istam a simili illustremus, Paulus data occasione narrat *(ad Galat. II. 11.)*, quomodo Petrus Apostolus Antiochiae circa usum legalium conversatus fuerit, simul notans, Apostolorum principem in eo actu reprehensibilem exstitisse? Scio de his non omnes eodem modo iudicare. *(Cfr. August. epist. 82. alias 19. n. 7. et 8.)* Sed quidquid sit de interno Petri animo, certe eius conversatio saltem quoad externam speciem reprehensibilis esse et veritati adversari videbatur, ut Paulus ibidem expresse indicat. His praemissis quaero: Si in Scriptura de Apostolo factum narrari poterat, quod ab auctore hagiographo reprehensibile dicitur, cur ibidem de eodem non etiam absolute loquendo sermo aliquis referri poterat, qui aliquatenus a veritate deficiens videri possit? De verbis enim et de factis, sive de veritate et de honestate in re nostra idem manifesto est iudicium, quoadusque in verbis Apostoli, de quibus agitur, ultima definitio fidei contineri non supponitur. Idem suadetur atque illustratur per comparationem cum ecclesia et cum Romano Pontifice, Petri successore. Si enim infallibilia non sunt, quae utut in rebus religiosis ab ecclesia aut a Romano Pontifice non per modum ultimae definitionis sed solum per modum opinionis proferuntur; quid prohibet, quominus idem de Apostolo absolute possibile esse permittatur?

dam partem seu ius quod spectat, totum, quod asserimus, ante omnia in se valde probabile apparet et fini Scripturae admodum est conveniens. Negari enim non potest, in contraria hypothesi pro locis huiusmodi rectum Scripturae usum admodum difficilem fore errorique facile obnoxium. Quis enim sermonem aut Prophetae aut Apostoli, qui in Scriptura relatus legitur et aliquo modo ad religionem spectat, pro auctoritate infallibili statim non accipiat? Deinde quod asseruimus, conceptis fere verbis docetur a s. Gregorio, dum *(l. c.)* inceptum de Prophetis sermonem, quem supra tetigimus, ita prosequitur: «Sed quia sancti sunt, per sanctum Spiritum citius correcti ab eo, quae vera sunt, audiunt et semetipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt.» Ergo ex sententia Gregorii, ubi divinitus nulla additur correctio, ibi in verbis Prophetarum errorem suspicari haud licebit. *(Cfr. Suarez l. c.)* Denique si factum, quod in prima parte proposuimus, revera universale esse comprobatur, per id veluti completa inductione ius etiam satis demonstratum apparet. Nam unica exceptio, quam invenire possumus, ut vidimus, in Scriptura ita inducitur, ut error statim a Scriptura ipsa indicetur. Quare per exceptionem ita factam ius et regula generalis magis firmari quam infirmari videtur.[1]

Corollarium. 140. Ut res per se clamat, per dicta non negatur, sermones, qui in Scriptura referuntur, ex persona loquentis haud raro magnam nancisci auctoritatem, licet neque Angelus neque Propheta neque Apostolus sit, qui loquitur. Quod negamus, illud est, tales sermones ex sola persona loquentis habere auctoritatem canonicam. De ea enim nos hic sumus unice solliciti. Ceterum, ut hoc obiter repetamus, omnium huiusmodi sermonum auctoritas, etiam prout in Scriptura referuntur, ex dictis praecise tanta est, quanta est auctoritas personae loquentis, nec maior nec minor. Unde per modum applicationis haec habentur. 1. Licet persona, quae inducitur, sit sapientissima ac sanctissima, non tamen propterea omnia, quae dicit, necessario ut vera habenda sunt. Ratio est, quia etiam sanctissimus ac sapientissimus aliquando errare potest. Item 2. neque ubi homo impiissimus aut stultissimus aut

[1] De Apostolis cfr. supra n. 133. in nota. Quod legitur III. Reg. XXII. 15. non est exceptio contra regulam nostram, sed locutio ironica, quae in iis circumstantiis ut talis intelligi facile poterat.

ipse etiam diabolus loquitur, omnia semper necessario censenda sunt falsa. Nam notissimum est, etiam personas huiusmodi aliquando veri aliquid protulisse aut proferre posse. *(Cfr. Canus l. c. l. II. c. 18. in fine.)*

ARTICULUS TERTIUS.

Normae iudicandi ex accidentalibus sermonis circumstantiis derivatae.

141. Fieri haud raro solet, ut quis in specialibus quibusdam circumstantiis loquatur, quae auctoritatem sermonis sui vel admodum augere possunt vel minuere. Quare huiusmodi circumstantiae, si quae adsint, sicut generatim in diiudicanda sermonis auctoritate non negligendae sunt, ita et a nobis hic attentam considerationem postulant. Potest enim contingere, ut ex locutionis circumstantiis sermoni alicuius canonica concilietur auctoritas, quae aliunde deest. Huiusmodi circumstantiae, quantum ad rem nostram spectant, ad duplicem classem apte reducuntur. Prima classis actualem illius, qui loquitur, animi affectionem complectitur. Scilicet cogitari potest, illi, qui loquitur, aliquando pro certa locutione speciale lumen divinitus fuisse concessum. Haec, ut apparet, est circumstantia *loquenti intrinseca*. Deinde attendendum est ad finem locutionis aliasque locutionis circumstantias, ut ad circumstantiam temporis, personarum, quae audiunt, et huiusmodi. Haec *loquenti magis extrinseca* esse inveniuntur. De his igitur nobis in sequentibus agendum est.

Punctum primum.

De statu actuali personae loquentis.

142. Accidere sine dubio potest, ut homo, dum loquitur, extraordinario aliquo affectu animetur specialique lumine superno perfundatur. Per huiusmodi lumen affectumque, si pius et sanctus sit, sermoni maiorem conciliari auctoritatem, negabit nemo, qui rem vel obiter consideraverit. Sed ut omnia ac singula, quae huc pertinere possunt, bene aestimentur, prout patet, tota natura ac qualitas illius luminis totiusque dispositionis, quae in loquente in certo casu fuisse cognoscitur, accurate examinanda erit. Nihilominus ne res iusto longius pro-

trahatur, pro nostro scopo una distinctione totam hanc rem expedire possumus. Igitur affectio animi et lumen accidentale, de quo agitur, aut tale est, ut naturam luminis prophetici attingat et inspiratio proprie dicta nominari mereatur, aut, quantumcunque de cetero lumen istud in se fuerit, ad hunc gradum perfectionis non pertingit. Qua distinctione posita, hanc pro scopo nostro statuimus propositionem.

143. Assertio. *Quoties qui loquitur, quisquis ille sit, dum loquitur, mente ac voluntate ita affectus fuisse cognoscitur, ut prophetica inspiratione praeditus censeri debeat; eius sermo, si in Scriptura relatus sit, canonica pollet auctoritate. Quaelibet vero alia animi dispositio utut extraordinaria, quae ad talem inspirationem non pertingit, sermoni auctoritatem canonicam conciliare non potest.* Haec assertio quoad utramque partem cuilibet per se indubitata esse debet. Sicut enim ex communi theologorum sententia lumen propheticum sive prophetica inspiratio verbis illius, qui loquitur, divinam confert auctoritatem; ita lumen quodcunque, quod lumine prophetico inferius est, eundem effectum habere nullatenus potest. Quare nonnisi illud hic restare videtur, ut rem praesentem exemplis illustremus. Igitur homines, qui alioquin Prophetae proprio sensu non erant, hinc inde spiritu prophetico afflatos diversa protulisse, tum in se probabile videtur tum in Scriptura haud raro legimus. Huc primo loco referri possunt prophetiae, quae certis occasionibus a diversis sunt prolatae, ut est prophetia Iacob Patriarchae morientis *(Genes. XL.),* Balaam arioli notissimi *(Num. XXIII. XXIV, cfr. III. Reg. XIII.),* Tobiae senioris *(XIII. XIV.),* Simeonis senis in Evangelio *(Luc. II. 34, 35.)* et si vis, etiam Caiphae pontificis. *(Ioann. XI. 49. seqq.)* Dein huc manifesto pertinent plura sacra cantica, ut est canticum populi Israel post transitum maris rubri *(Exod. XV.),* Debborae *(Iud. V.),* Annae matris Samuel *(I. Reg. II.),* Iudith *(XVI.)* ex Veteri Testamento, Mariae Virginis *(Luc. I. 46. seqq.),* Zachariae, patris Ioannis Baptistae *(ibid. 68. seqq.),* Simeonis senis *(ibid. II. 29. seqq.)* in Evangeliis. Insuper huc spectant orationes seu preces, quae fusae videntur ex affectu quodam extraordinario planeque divino, ut sunt orationes Tobiae *(III. VIII.),* Esther *(XIV.)* etc. Denique huc referenda ducimus alia quaedam a variis personis certa occasione prolata, ut quae Petrus respondit

Caesaraeae Philippi ad interrogationem Domini, aut Elisabeth ad salutationem Mariae Virginis. Ad ista haec notamus. In pluribus ex locis istis Scriptura ipsa satis clare indicat, eos, quorum verba referuntur, ista protulisse in spiritu prophetico seu sub lumine, quod vere divinum dici mereatur. *(Cfr. v. gr. Matth. XVI. 17.)* In ceteris res, quae ibidem enuntiantur, ut sunt prophetiae, mysteria fidei et huiusmodi tale lumen postulant, praesertim si prae oculis habeatur securitas, qua haec omnia proferuntur, et attendatur animi affectus, ex quo prorumpunt, quique exstasi nonnumquam aut raptui affinis esse videtur. Haec, ut apparet, in loquente inspirationem propheticam et vere divinam satis clare indicant ac testantur.[1]

144. Ad haec subiungimus, quae sequuntur. Ut tuto diiudicari possit, utrum persona aliqua, cuius sermo in Scriptura exhibetur, dum loquebatur, spiritu prophetico afflata fuerit, non solum ipsius Scripturae testimonium, sed et Patrum dicta, constans interpretum sententia ac denique ipsius ecclesiae sensus consulendus est. Nihilominus attendendum est, ne in his praecipitanter procedamus, sed rationum momenta, quae pro casu aliquo inspirationem propheticam suadere videntur, diligenter perpendantur. Nec cum quispiam utcumque a Patribus aut a Scriptura ipsa impulsu divino aut a Deo inspiratus aut spiritu divino in ipso et per ipsum loquente aliquid protulisse dicitur, res statim ut decisa habenda est. Nam huiusmodi locutiones in se utique, et ubi in sensu pleno accipiendae sunt, ad id, de quo agimus, asserendum abunde sufficiunt. Attamen attendendum est, locutiones huiusmodi interdum a variis sensu minus proprio aut minus pleno usurpatas inveniri. Testis huius rei esto M. Canus *(l. c. c. 18. in fine)*, vir profecto in latino sermone et in lectione Patrum ac Scripturae versatissimus. Is primum monet, secundum opinionem Bedae Stephanum martyrem in celebri sua oratione, quae in Actibus Apostolorum *(VII.)* relata legitur, ex lapsu memoriae in re utique satis levi aut memoria lapsum aut opinione vulgi deceptum fuisse. Deinde postquam doctrinam hanc suo calculo approbavit, contra eam

[1] His accenseri aliquo modo possunt verba daemonum, quibus iuxta Evangelistarum testimonium divina iustitia ac potentia impellente Christi Domini missionem, potentiam et divinitatem confiteri cogebantur. *(Marc. II. 23. 24; Luc. IV. 33. 34.)*

proponit obiectionem his verbis: «At Stephanus plenus erat Spiritu sancto.» Respondet: «Fateor.» Urget deinde: «At Spiritus loquebatur in eo.» «Et id equidem, subdit, fateor. Sed aliter in Christo Spiritus loquitur, aliter in Prophetis et Apostolis, aliter in Stephano et Ambrosio. At certe per hos omnes loquebatur. Per concilium generale Deus ecclesiae loquitur, per ecclesiae pastores Deus ecclesiae loquitur, per veteres sanctos Deus ecclesiae loquitur. Et hi omnes tamen in parvis labi possunt, memoria praesertim, ubi lapsus facilior est.» «Scriptorum ergo, ita denique concludit, sacrorum hoc privilegium est, ut nullus eorum in docendo erret.» Haec ex Cano non ideo attulimus, quod Cani sententiae circa s. Stephani sermonem subscribamus,[1] sed ut appareat, quam facile in ore hominum verba, quae in se clara videntur, mitiorem ac minus plenum sensum habeant aut admittere possint. Quare nos hic ita concludimus: *Ut sermoni personae alicuius, quae in se infallibilis non est, infallibilis ac divina vindicetur auctoritas, merito indubia pro hac re atque ineluctabilia postulantur argumenta.*[2]

Punctum secundum.

De circumstantiis sermoni extrinsecis.

145. Praeter modo dicta insuper evenire potest, ut verba, quae in Scriptura referuntur et de quorum auctoritate quaeritur, in aliis quibusdam circumstantiis omnino extraordinariis prolata esse inveniantur. Id locum habet, si quis v. gr. aut expressis verbis testetur aut alia ratione manifesto significet, se propositurum esse verbum Dei vel se in his non aliter quam ex certa infallibilique scientia loqui. Crescit momentum huius circum-

[1] Num haec Bedae, Cani aliorumque sententia circa Stephani sermonem censuram theologicam mereatur, sapientiorum iudicium sit. Certe eidem sententiae probabilitatem aliquam tribuit etiam Mariana *(diss. pro vulg. c. VI.)*, qui de hac re ita scribit: «Aut certe, quod alii malunt, verba illa non D. Lucae scriptoris sunt, sed Stephani, qui, quamvis Spiritu plenus, citandis V. T. locis labi potuit; martyris enim, non scriptoris catholici munere fungebatur.» *(Cfr. Corn. a Lapide in h. l. et Hyac. Serry in vindic. Cani operi praemissis c. IX.)*

[2] Iuxta haec item principia diiudicandum est, an ex iis, quae leguntur in sacro textu de martyrio Machabaeorum *(II. Mach. VII. 17, 19, 20, 21.)*, colligi possit, martyres illos aut saltem eorum matrem ante mortem omnia aut plura ex lumine divino ac prophetico protulisse.

stantiae, si persona, quae ita loquitur, sit persona valde sancta, aut si dicta iuramento confirmet. Item augetur fides, si quis, quae loquitur, in ipso conspectu mortis constitutus proferat aut in exercitio actus heroici, ut est actus martyrii pro fidei veritate subeundi; aut si omnia fiant cum magna commotione et cum plausu eorum, qui audiunt et assistunt. Exemplum huius rei habes in matre Machabaea eiusque filiis, quorum verba, quae in Scriptura referuntur, in similibus circumstantiis prolata fuisse inveniuntur. Pro gravitate vero rei haec perpende. Nemo ignorat, in illis sermonibus contineri plura tum circa vitam animae humanae post mortem, tum circa resurrectionem mortuorum, tum circa hominis originem, tum nominatim circa creationem rerum ex nihilo, quae non solum ad religionem quam maxime pertinent, sed insuper ex parte saltem vix ullibi in Scriptura et praesertim in Veteri Testamento adeo clare asserta leguntur, sicuti ab his martyribus factum esse cernimus. Quare merito quaeritur, quanta huiusmodi sermonibus auctoritas insit, et pressius, an martyrum illorum verba ex huiusmodi circumstantiis auctoritatem canonicam nanciscantur. Non enim desunt, qui hisce sermonibus nonnunquam tamquam auctoritate canonica utuntur, dum econtra alii de hac re expressis verbis dubium movere voluerunt. *(Cfr. Hurter compend. theol. dogm. tom. III. n. 485; Scheeben Dogm. B. II. n. 10.)* Nostrum non est, hanc litem ex professo dirimere, at nostrum esse videtur, generalia statuere principia, iuxta quae de his et de aliis similibus Scripturae locis tuto iudicari possit.

146. Primo igitur concedimus imo contendimus, quod a nemine negandum fore censemus, per has hisque similes circumstantias auctoritatem sermonis haud parum crescere. Quis enim quaeso non dico sanctus, sed qui utcumque cordatus fuerit, in talibus constitutus circumstantiis circa res magni momenti facile aliquid asserat, quod ipsi verum certumque non sit? Simul monemus, has similesque circumstantias, si adsint, iuvare quam plurimum, ut tuto statui possit, Prophetam et Apostolum, dum ita agit ac loquitur, ex munere suo publico agere ac loqui, aut huiusmodi sermones a Scriptura seu auctore hagiographo, qui eos refert, perfecte et quoad omnia probari, de quo postea agendum est. Sed his concessis ulterius et magis determinate quaeritur, num sermo alicuius, qui in Scriptura relatus

legitur, ex his circumstantiis per se ac solis omnino infallibilem atque canonicam induat auctoritatem. Ita in hac re statuimus

147. *Principium generale. Publico charactere personae loquentis, inspiratione interna proprie dicta et approbatione speciali ex parte Dei ac Scripturae sepositis, quaecumque sermonis circumstantiae ad canonicam auctoritatem eidem conciliandam neguaquam sufficiunt.*[1] Demonstratur hoc principium facile per sequentes considerationes. Etiamsi quis quam maxime asseveranter et, si vis, etiam cum iuramento protestatus esse supponatur, se nonnisi vera et sancta prolaturum, et licet id fecisse inveniatur, dum in articulo mortis actuque martyrii constitutus erat, et utut magna inde adstantium commotio et admiratio exorta fuerit; nihilominus fieri semper potest, ut et ipse decipiatur et astantes pariter in errorem inducantur. Quid enim obstat? Nec per hoc efficitur, ut illius, qui loquitur, aut fidei meritum aut corona martyrii minuatur. Supponere enim sufficit, quod supponi facile potest, eum, qui loquitur, cum bona fide agere ac loqui, ut totum meritum sartum tectum maneat. Quare ut ad exemplum de matre Machabaea eiusque filiis redeamus, praescindendo a Scripturae approbatione, de qua alibi, simulque abstrahendo a lumine prophetico, quod forte iis tunc concessum fuerit,[2] eorum verba, utcumque cum maxima fiducia ac solemnitate prolata fuerint, de se non demonstrantur gaudere auctoritate canonica proprie dicta. Et ut exemplum propositum magis in particulari consideremus, perpendantur difficultates, quae ex nonnullis, quae in istorum martyrum sermonibus leguntur, contra nostram fidem enasci videntur. Talia sunt, cum v. gr. illi martyres ante omnia ita loqui deprehenduntur, acsi animae piorum post mortem corporis et ante resurrectionem sine vita existerent; deinde acsi impiis nulla resurrectio exspectanda esset, sed plena mors aut annihilatio contingeret. Dico igitur: Si quis huiusmodi difficultates declinaret dicendo, hanc

[1] Supponimus, dum ita docemus, eos, qui adstant et sermonem approbant, non repraesentare totam ecclesiam catholicam. Si enim sermo alicuius a tota ecclesia probaretur aut si monstrari posset, eum, qui loquitur, ex sensu totius ecclesiae loqui; tunc alia esset quaestio, de qua vide supra *(n. 134. 135.)*.

[2] Erit forte, qui ex verbis auctoris hagiographi *(II. Mach. VII. 17. 19.)* martyribus illis tale lumen vindicare aggrediatur. Faustone an irrito conatu res agenda sit, alii iudicent.

non esse sententiam Scripturae sed nonnisi illorum martyrum opinionem fuisse; nihil est, quod in eo proxime et directe Scripturae auctoritatem laederet aut utcumque aperte improbandum foret.[1]

ARTICULUS QUARTUS.

De approbatione aut improbatione addita ab hagiographo.

148. Assertio principalis. *Approbatio, quae in ipsa Scriptura verbis alterius ibidem relatis adiecta invenitur, si perfecta sit, eisdem auctoritatem canonicam tribuit.* Haec assertio a nobis iam alia occasione *(n. 58.)* demonstrata est. Eam insuper aperte confirmat auctoritas *s. Augustini,* qui dum *(contra Origen. et Priscill. c. 9. n. 12.)* ex ratione a nobis paulo antea *(n. 147.)* indicata *sermonibus amicorum Iob auctoritatem divinam tribuere recusat, longe aliter loquitur de sermonibus ipsius Iob* iisque aperte *auctoritatem canonicam vindicat.* Addit rationem, quia scilicet *„ei (i. e. Iob) singulare quodammodo testimonium perhibetur (a Scriptura), quod non peccaverit labiis suis ante Dominum."* Quare, si Augustino fidem habemus,[2] principium nostrum non mere theoreticum est, sed inter alia applicationem practicam habet in sermonibus Iob, qui magnam partem illius libri constituunt, qui eius nomine inscribitur. Alia exempla perfectae approbationis habes in notissima responsione Petri ad Christum, qua Petrus Christum confitetur filium Dei vivi *(Matth. XVI. 16, 17.),* et in iis, quae respondit Simon Pharisaeus eidem Christo Domino ad propositam parabolam asserens, ex duobus debitoribus, quibus debitum aliquod donatum fuerit,

---

[1] Per haec non negamus, huiusmodi locos ad demonstranda aut confirmanda dogmata, quae in ipsis expressa leguntur, suo modo adduci posse. Quod negamus, id unum est, posse inde desumi argumentum directum et quod per se omnino decretorium sit, sicut generatim decretoria sunt argumenta, quae ex iis Scripturae locis desumuntur, ubi ipsa Scriptura aut Deus ex sua persona loquitur. *(Cfr. Hurter l. c.)*

[2] Welte *(Buch Iob, Einl. p. XIV, XV.)* de sermonibus Iob aliter iudicare videtur, dum dicit, ex iis, quae Iob asserit, in decursu libri nonnulla ab aliis interlocutoribus corrigi. Quae qui retinere voluerit, ei declarandum erit, quo sensu sermones Iob in eo libro ab ipso Deo probati esse dicantur. *(Iob XXXVIII, 1.—3.; XXXIX, 33.—35.; XLII. 3.—10.)*

eum plus diligere, cui plus fuerit donatum. *(Luc. VII. 43, cfr. Ioann. IV. 25, 26.)*

149. *Idem,* ut patet, *valere debet de improbatione.* Quare si in Scriptura alicuius sermo ab hagiographo improbatur, auctoritate canonica constat, aliquid improbandum in eo occurrere. Sed in qua parte improbandus sit sermo et qua de causa, utrum scilicet ob falsitatem rei assertae, an ob aliud sermonis vitium, v. gr. ob solam imprudentiam *(Matth. XVI. 22. 23.)*, utrum quoad omnia an solum quoad unum vel alterum assertionis caput, alia quaestio est, quae tum ex verbis improbationis a Scriptura adhibitis tum ex omnibus interpretationis adminiculis solvenda erit. Quodsi oratio, quae in Scriptura improbata legitur, unica constat assertione et si insuper aut ex verbis improbationis aut ex natura rei constet, Scripturam in improbando non tantum sermonis imprudentiam sed rem ipsam spectasse; tunc ex tali improbatione vere et immediate concluditur, rem assertam esse falsam. Proinde contradictorium rei assertae ut verum ac canonica auctoritate firmatum retinendum erit. Exempla huius rei habes inter alia in stulta et impia locutione uxoris Iob *(Iob II. 9, 10.)* et in mendacio Saphirae uxoris Ananiae. *(Act. V. 8.)* Insuper, quod longe maioris est momenti, huc ex parte referenda sunt quam plurima, quae leguntur in libro Iob, scilicet integri sermones trium amicorum Iob et Eliu Buzitae, qui est quintus ex interlocutoribus illius libri post Iob et amicos eius. Certissimum enim est, eorum sermones aliquatenus improbari, dum Dominus eos ita alloquitur *(Iob XLII. 7, 8; cfr. XVI. 2.)*: «Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum.» Unde et Augustinus, ut diximus, huiusmodi sermonibus in omnibus fidem haberi non posse, expressis verbis asseruit.[1]

[1] Ex his patet, quo sensu sermones eorum, qui in libro Iob inter se disceptantes inducuntur, pro inspiratis haberi et pro inspiratis citari possint, quo non. Qua de re, quia inter auctores graves video esse haud levem ambiguitatem, aliqua hic ulterius adiungam. Welte *(l. c.)* de his ex professo agens primo reprehendit Estium, qui dixerat, verba amicorum Iob non habere auctoritatem Scripturae sacrae. Pariter improbat verba Augustini, quae ita habent *(l. c.)*: «Non pro auctoritate divina istam sententiam *(Baldad, Iob XXV. 4, 5.)* recipiendam esse existimo, non enim eam ipse Iob enuntiavit, ... sed unus ex amicis eius, qui dicti sunt consolatores malorum omnes, et divina sententia reprobati sunt.... Quod

150. Assertioni supra positae duplicem addimus explicationem. 1. *Necesse non est, ut approbatio in Scriptura semper*

non ideo dixerim, quia illi amici a Domino reprobati et ab ipso sancto Dei servo merito culpati nihil veri loqui potuerunt, sed quia non omnia, quae locuti sunt, vera putanda sunt. Quamvis enim adversum Iob nil verum dixerint, potest tamen etiam ex eorum verbis aliquam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere.» Hucusque verba Augustini, quae a Welte improbatione perstringuntur. Quid ergo ipse? En eius verba: «Gleichwie das Falsche der Behauptung der Freunde, dass jedes Leiden Sündenstrafe sei, durch den Prolog und die Versicherung Iobs, dass er schuldlos leide, aufgehoben wird, so erhält auch Iobs eigene Behauptung, dass sich für sein Leiden vom bloss menschlichen Standpunkt aus gar keine Ursache und Zweckbeziehung absehen lasse, durch Nachweisung sehr wichtiger Zwecke auch unverschuldeter Leiden in den Reden Elihu's ihre Berichtigung: wogegen wiederum das zu weit gehende Fragen und Forschen nach solchen Zwecken im einzelnen Falle durch Hinweisung auf die menschliche Kurzsichtigkeit und die Erhabenheit und die Weisheit der göttlichen Weltregierung in den Reden Iehova's als vermessene Anmassung zurückgewiesen wird.» Haec nobis quoad rem in genere videtur esse ipsissima sententia Augustini. Una apparet differentia, quod id, quod Augustinus contendit de sermonibus aliorum, ab auctore isto extenditur etiam ad ipsum Iob. Neque magis nobis probatur, quod alii dixisse inveniuntur. Hi contendunt, in omnibus his sermonibus tum Iob tum amicorum eius omnia vera esse praeter applicationem, quae fit ad casum propositum id est ad Iob et conditionem ipsius. Ratio displicentiae est, quia id, quod ab istis asseritur, forte in hac generalitate negari posset. Deinde, dum ita dicunt, hoc ipso conceditur, non omnia, quae in his sermonibus leguntur, per omnia vera esse. Ad sermones enim istos pertinent certe etiam verba, quibus ea applicatio enuntiatur; eo pertinent generalia huius applicationis principia, quae hinc inde in istis sermonibus statuuntur ac proponuntur. Quomodo ergo omnia vera sunt? Urgebis: Cur ergo verba Eliphaz Themanitae a Paulo afferuntur *(I. Cor. III. 19.)* ut auctoritas canonica? Adversarius respondere potest: Paulus certe ex iis fuisse credendus est, qui, ut Augustinus loquitur, noverunt dicta sapienter discernere. Ita Paulum talia elegisse supponendum est, quae tum in se vera sunt tum a Deo approbata et divina auctoritate firmata fuerunt. Igitur, ut tandem concludamus, ex inspiratione libri Iob ante omnia certissime tenendum est, omnia, quae in libro Iob leguntur, revera suo tempore et occasione morbi Iob a personis illis dicta fuisse. Quodsi quis contendere ausus fuerit, in hoc libro non referri factum historicum, sed sub forma narrationis poeticae per modum dialogi proponi sensa et dubia, quibus auctoris illius mens aliquamdiu circa quaestionem de origine malorum agitabatur; eidem in sua hypothesi auctoritate canonica retinendum erit, haec esse, quae tum generatim ab homine de quaestione praesenti cogitari et dici possunt, tum reapse ab auctore illo suo tempore dicta aut cogitata fuerunt. Hoc est igitur, quod directe

expressis verbis enuntietur, sed fieri potest, ut ea aliis indiciis manifestata reperiatur. Quod hic asserimus, hoc modo demonstrari potest. In rebus humanis et nominatim in iure tum canonico tum civili praeter probationem per verba admittitur etiam probatio per facta, ut dicunt, concludentia. Imo quadantenus admittitur etiam probatio per meras praesumptiones. Quo posito non apparet, cur idem non possit rebus divinis applicari, et nominatim cur probatio per facta concludentia omnino reiicienda sit, ubi de approbatione certi sermonis quaestio est, qui in Scriptura relatus legitur. Hinc in rem nostram haec inferimus. Verba sacri textus rerumque circumstantiae, sub quibus in Scriptura certa quaedam alicuius verba relata inveniuntur, aliquando talia esse possunt, ut vix intelligatur, quomodo hagiographus verba illa eo modo et sub huiusmodi circumstantiis referre potuerit, nisi ea et in omnibus vera esse cognoverit et qua talia virtualiter approbare voluerit. In his igitur rerum circumstantiis, quae in Scriptura tamquam ab alio dicta referuntur, ut ab eadem approbata considerari poterunt, licet expressa approbatio addita non legatur. Aliis verbis si circumstantiae, sub quibus sermo refertur, sunt huiusmodi, ut iuridicum illud obtineat principium: Qui tacet, consentire videtur; tunc sermo, de quo agitur, probatus habendus est ac proinde non minorem auctoritatem prae se fert, quam si a sacro auctore expressis verbis fuisset approbatus. Exemplo hic esse potest responsio, quae a scribis et sacerdotibus Iudaeorum in aula Herodis regis *(Matth. II. 5.)* Magis data est. In ea

testatur auctor hagiographus et liber inspiratus; et hoc per se sufficere potest, ut totus liber sit et dici debeat inspiratus. Nec per id, quod ibidem quaedam ab aliis dicta referantur, quae in se minus vera sunt, liber qua talis ullo modo cessat in omnibus partibus esse inspiratus, sicut neque Evangeliorum inspiratio aut destruitur aut minuitur, quod ibi multa variorum dicta referantur, quae in se falsissima esse cognoscuntur. Num deinde et quantum ea, quae a singulis huius libri interlocutoribus asseruntur, in se vera sint et canonica auctoritate praedita, haec per se alia quaestio est, qua quaestio de inspiratione libri directe non tangitur. Ceterum ista quaestio ex singulorum approbatione et improbatione, prout ea in ipso libro addita et expressa invenitur, indirecte determinanda erit. Sed in hac re, ut per se apparet, attendenda est quam maxime dialectica et, pene dixerim, dramatica totius fere libri indoles et dispositio. *(Cfr. Corn. a Lapide in II. Mach. II. 24; Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift sub libro Iob.)*

responsione notissimus Michaeae locus de nativitate Messiae nativitatisque loco exponitur. Licet igitur Evangelista illam interpretationem expresse non approbaverit, ex tota tamen illius evangelicae narrationis indole luce meridiana clarius apparet, ab Evangelista, qui rem narrat, eam interpretationem haberi ut verissimam.[1] Alia exempla habes in verbis daemonum, quibus penes Evangelistas Christi divinitatem divinamque eius missionem confessi esse narrantur. *(Marc. II. 23, 24.; Luc. IV. 33, 34.)* Nam ea non solum ideo, quia a daemonibus veluti invitis ac divina omnipotentia cogente proferuntur, pro infallibilis veritatis dictis habenda esse censemus *(cfr. n. 143. in nota)*, sed ea insuper sine dubio ab Evangelistis ut in se omnino vera habita et qua talia ab iisdem absolute approbata esse videntur. Ideo enim manifesto haec ab Evangelistis referuntur, ut omnibus luce clarius innotescat, Christum Dominum ut a Patre coelesti, a Prophetis antiquis atque a iustis sui temporis, ita etiam a daemonibus irrefragabile testimonium suae missionis accepisse.[2]

[1] Putamus vel saltem ad exemplum hoc salvandum cum multis supponere possumus, illa verba: «Sic enim scriptum est» non esse verba Evangelistae, sed in iis adhuc continuari sermonem scribarum et sacerdotum, quem Evangelista referre voluit. Num etiam sermones martyrum Machabaeorum et nominatim matris ex modo, quo referuntur, plene approbati habendi sint, alii iudicent.

[2] Si verum est, quod ab eruditis nostri temporis communi sententia traditur et in dubium vocari vix poterit *(cfr. Gutberlet, Buch der Weisheit, Einleitung; Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift, Buch der Weish.)*, non Salomonem sed alium quendam esse auctorem libri Sapientiae, in eo libro praeclarum huius rei exemplum invenire licebit. Ibi enim *(Sap. VII. 1. seqq. VIII. 19.)* manifesto rex Salomon loquens inducitur; nec tamen cuiquam dubium esse potest, quin ea, quae ibi dicuntur ex persona regis Salomonis, et ipse auctor libri dicere atque asserere voluerit. Ergo auctor hagiographus sensa Salomonis ibidem relata perfecte approbasse atque adoptasse dicendus est. Sunt nihilominus, qui hunc locum paulo aliter exponendum putant. Iuxta illos scilicet auctor libri Sapientiae in eo loco nullatenus significare voluit, quid rex Salomon aliquando senserit aut dixerit; sed auctor noster solum quadam loquendi figura usus est fictioni poeticae admodum simili, per quam, quae auctor ipse sensit et, licet Salomonis esse non credidit, tamen Salomone digna censuit, in Salomonis ore posuit, qui ab omnibus sapientissimus semper est habitus. Ita ab auctore isto nullatenus asseritur, haec, quae profert, aliquando Salomonem dixisse aut sensisse. Nostrum non est, de istis iudicare. Solum haec

151. Nihilominus aliam observationem adiungendam putamus. Igitur *ex altera parte necessarium non videtur, ut sacra Scriptura sermonibus, quos refert, semper et ubique approbationem aut improbationem subnectat.* Hoc per se facillime intelligitur et hac ratione magis declaratur. In Scriptura multi reperiuntur libri, qui aut ex integro aut magnam partem historici sunt. Porro sicut ea est indoles historiae, ut in eadem quam saepissime aliorum dicta referantur, ita nulla est necessitas, ut auctor historicus de omnibus, quae narrat, iudicium ferat. Quaeres, cur auctor sacer velit narrare, quae utrum probanda an improbanda sint, ei, qui legit, incompertum manet? Facile respondetur: Quia nihil obstat, quominus ex divinae providentiae dispositione etiam in Scriptura quaedam humanae prudentiae discernenda relinquantur. Quodsi de re aliqua, quae in Scriptura refertur, certius imo infallibile iudicium requiritur aut desideratur; alia ad id ex divina providentia via suppeditat, traditio scilicet divina et ecclesiae magisterium. Ecclesia enim eiusque magisterium infallibile esse cognoscitur, ut non solum Scripturam authentice interpretetur, sed et, sicubi necesse, fuerit, id suppleat, quod in Scriptura nullatenus habetur. Exemplo in hac re esse poterunt verba caeci nati, quibus Deum peccatores non audire asseruit. *(Ioan. IX. 31.)* Haec enim, ut apparet, caeci nati verba a sacro scriptore neque laudantur neque improbantur. Unde videmus, Patres et alios auctores diversimode de ipsis iudicasse.[1] *(Maldonat. in h. l.)*

152. Ut clarius appareat, id, quod modo diximus, valere etiam de personis ceteroquin bonis imo de personis sanctissimis, aliam addimus assertionem, quae certe consideratione digna apparet. *Neque ex eo, quod persona, cuius sermo in Scriptura refertur, ab ipsa Scriptura admodum laudatur, huiusmodi sermo*

---

pauca advertimus. Ante omnia prior expositio non est dicenda impossibilis. Quae enim in libro Sapientiae ex persona Salomonis proferuntur, ex una parte per se a Salomone dicta esse possunt, et ex altera parte nihil prohibet supponere, auctorem libri Sapientiae, qui aetate posterior creditur, ea ut a Salomone dicta per traditionem fide dignam accepisse. Quo posito ea expositio multis forte haud immerito probabilior videbitur, cum in ea non tantam, quantam in altera, vim verbis inferre cogamur. Ceterum etiam secunda interpretatio haud improbabilis apparet.

[1] Ceterum ex aliis Scripturae locis et ex doctrina Ecclesiae difficile non videtur iudicare, quo sensu Deus peccatores audiat et quo non.

censendus est in omnibus ac singulis a Scriptura ita approbatus, ut ea approbatione nanciscatur auctoritatem canonicam. Hanc assertionem demonstramus tum exemplis tum ratione, quae a pari dicitur. Igitur ut a posteriori argumento incipiamus, quod in dictis est veritas, id in actionibus est honestas. Quare ubi de approbatione agitur, eodem modo iudicandum est de veritate dictorum, quo iudicatur de honestate factorum. Quibus praemissis haec perpende. Saepe fit, ut in Scriptura referantur facta, quae ab omnibus aut a multis merito improbantur; quare neque ut a Scriptura approbata haberi poterunt. Et nihilominus haud semel personae, ad quas facta illa spectant, in eadem Scriptura impense laudatae inveniuntur. Aliis verbis non semel in Scriptura referuntur verba a diversis dicta, quae a mendacio excusari nullatenus possunt, et nihilominus personae, a quibus ea dicta referuntur, sunt in tota Scriptura laudatissimae. Ceterum per hoc iam ad ipsa rei exempla progressi sumus. Exempla igitur plus minus certa habes ante omnia in Iephte, cuius votum celebre *(Iud. XI. 29. seqq.)* a multis improbatur, deinde in Samson, qui, dum sibi ipsi mortem conscivit *(ibid. XIV. 17. seqq.)*, a peccato saltem materiali excusari posse vix videtur aut saltem non ab omnibus catholicis auctoribus excusatur, et in Iacob, qui fratri benedictionem patris, ut videtur, fraudulenter praeripuit *(Genes. XXVII.)*,[1]

[1] De hoc loco cfr. Allioli in h. l., M. Canus de loc. theol. l. II. c. 4. ad 2. Multi credunt, Augustinum aliter sentire. Sed si attente consideras, quae de Iacob dicuntur ab Augustino *(ad Cons. de mendac. c. 10. n. 24.)*, in rigore non videtur Augustinus sanctum Patriarcham ab omni mendacio velle excusare. Potius s. Doctor aliud contendere non videtur, quam totam illam narrationem eo sensu, quo a Scriptura refertur simul atque approbatur et in quantum ea narratio mysterium continet et prophetiam futurorum, non habere mendacium. Qua in re bene attendendum est, mysterium et prophetiam, de qua Augustinus, ibi non contineri in sensu literali sed in sensu typico. Quare per id, quod docet Augustinus, non prohibemur dicere, Iacob in eo sensu verborum, quem ipse intendit, vere fuisse mentitum. Excusatio, quam pro eodem affert Suarez *(de fide disp. III. sect. 5. n. 8.)*, revera difficilis est. Nam licet illud: «Ego sum Esau primogenitus» typice sumptum verum sensum admittere possit; quomodo quaeso explicabis illa alia verba: «Feci sicut praecepisti,» et similia? Ceterum ut, quod de Augustino diximus, melius intelligatur et facilius admittatur, recolendum est, quod notavit M. Canus. *(l. c.)* Per se scilicet nihil obstare videtur, quominus res in se pessimae sint typus rerum optimarum. Ad

praeterea in verbis Iehu regis Israel *(IV. Reg. X.),* item in obstetricibus Hebraeorum sub Pharaone in Aegypto *(Exod. I. 15.—21.)* et in sermone Iudith *(X. 12. seqq. XI.)*, qui omnes a mendacio aut nullo modo aut dificillime excusantur *(Cfr. Aug. ep. 204, al 61. ad Dulcit. n. 6.—8.; et contra mendac. ad Consent. c. 9. n. 20.—22.; S. Thom. Sum. 2. 2. q. 110. a. 3; Suarez de fide disp. XIV. sect. 4. n. 3. et 9.; Bellarmin de eccl. l. IV. c. 9, VIII.; Gutberlet Buch Tobias p. 104. 105. in II. v. 18.)* Ceterum, quod ad argumentum nostrum insuper requiritur, omnes has personas a Scriptura impense laudari, neminem latet. Sed illud notatu dignum esse videtur, quod personae istae plerumque laudatae leguntur in iis ipsis locis, in quibus proponuntur earum mendacia aut narrantur alii actus, quos minus probandos diximus. Nomine omnium iuvat hic ponere, quae in locis citatis leguntur de obstetricibus Hebraeorum in Aegypto et de Iehu rege Israel. De illis ita scriptum invenimus: «Bene ergo fecit Deus obstetricibus . . . et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos.» De isto vero: «Dixit autem Dominus ad Iehu: Quia studiose egisti, quod rectum erat et placebat in oculis meis, et omnia, quae erant in corde meo, fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt supra thronum Israel.» *(IV. Reg. X. 30.)* Unde in rem nostram optime scribit Augustinus *(ll. cc.)*: «Constat, quod non omnia, quae a sanctis vel iustis viris legimus *(in Scriptura sc.)* facta, transferre debemus ad mores» *(i. e. in exemplum),* et iterum: «Illic *(sc. in Scriptura)* sunt plurima eorum quoque hominum, qui literarum illarum veritate laudati sunt, vel huic jam tempori non convenientia vel etiam illo tempore non recte facta.»

haec in narratione typica non semper omnia et singula ad typum pertinere debent. Sicut enim Dei sapientia novit aliquando ex malis bona elicere, ita non minus Deus factum malum assumere potest ad significandum id, quod in se bonum est. *(Cfr. Luc. XVI. 8.)* Et sicut imago non omnia semper refert, quae in exemplari reperiuntur, ita neque id, quod in typum assumitur, in omnibus et singulis antitypum referat, necesse est. Ex his ulterius concludes, eum male agere, qui ex eo solum, quod quaedam res a Deo in typum assumpta inveniatur, eam ut in omnibus a Deo approbatam habendam esse contenderit. Hoc tandem concedit vel ipse Suarez *(l. c.),* dum ita scribit, non solum Jacob sed et Abraham suo sermone comprehendens: «Non constat, ait, hos et similes patres in singulis verbis Spiritu Dei fuisse locutos: ut homines autem poterant interdum lingua delinquere.» *(Cfr. sis Hötzl, Iacob u. Esau.)*

153. His in fine aliam adiungimus animadversionem. *Imo etiamsi personae alicuius sermo in Scriptura aut expressis verbis aut alio modo approbatus invenitur; ea approbatio non statim ad omnia et singula, quae sermo continet, applicanda est. Nominatim huiusmodi approbatio non facile extendenda est ad ea, quae vel in se minima esse vel ad scopum orationis parum conducere videntur, ac si per approbationem generalem omnia et singula nanciscantur auctoritatem canonicam. Potius verba ac valor approbationis diligentissime semper expendenda sunt.* Quod hic dicimus, patet ante omnia ex ipsa natura rei. In se enim minime repugnat, orationem aliquam probari quidem quoad aliqua, quoad alia vero non. Quod si ita est, non apparet, cur non et Deus in Scriptura aliquando ita egisse supponendus sit. Ita fieri potest, ut Deus certum quendam sermonem quoad aliqua, puta quoad res praecipuas et religiosas, probare voluerit, non vero quoad ea, quae plane indifferentia sunt vel minima. Simile quid occurrit in definitionibus ecclesiasticis, quae ex communi sententia non semper quoad omnia infallibiles sunt, quia in iisdem edendis Dei assistentia, quae approbationi fere aequivalet, non semper ad omnia extenditur. *(Cfr. Kleutgen Institutiones theol. n. 68.)* Ita e. gr, si solum de possibilitate rei et veluti a priori quaestio instituatur, certe nil obstat, quominus verba et sermones Iob aut oratio Stephani protomartyris, quae in Actibus Apostolorum *(VII.)* legitur solum quoad rei summam non vero quoad singula a Deo approbata fuisse supponatur.[1] Quodsi res haec etiam exemplis confirmanda est, non alia exempla requiri videntur, quam quae numero praecedenti iam tetigimus. Nam, ut consideranti patet, in iis reperiuntur loci, ubi non solum personae, sed etiam ipsae actiones et verba personarum ab hagiographo laudantur et proinde aliquo vero sensu etiam approbantur. Et nihilominus, ut vidimus, huiusmodi approbatio ibidem non ad omnia extendenda est;

[1] Ergo ut approbationis efficacia probe cognoscatur, vis verborum, quibus eadem exprimitur, diligentissime expendenda est. Juxta haec principia determinandum erit, utrum sententia Cani, qui Stephano in re levioris momenti unum vel alterum errorem historicum tribuendum censuit, et doctrina Weltii, qui vel in sermonibus Iob quaedam minus accurate dicta ideoque aliunde corrigenda esse pronuntiavit *(supra n. 149 in nota)*, aliquam mereatur censuram nec ne; vel si generalius loqui placet, utrum haec et similia ullo modo improbanda videantur nec ne.

quia in iisdem verbis ac factis, quae in genere approbantur, quaedam insunt, quae sive ut mendacia sive ut minus recte facta libere reprehendi posse videntur. Quis enim v. gr. negabit, in obstetricibus Hebraeorum et in Iudith *(XV. 10. 11.)* non solum personas sed et actiones, quae de ipsis narrantur, a Scriptura laudari atque approbari? Porro in actionibus aliquo modo etiam verba simul laudata habentur, cum actiones illae magnam partem verba fuerint. Nihilominus, ut in comperto est, neque Iudith neque obstetrices illae a mendacio facile excusari poterunt. *(Cfr. Allioli ad Exod. I. 20. et ad Iudith X. 12, et auctores citat. n. 152.)*

154. His ultima observatio finem denique imponat. Id, quod ultimo loco asseruimus, *per se de iis etiam personis valet, quae aliunde totum argumentum et veluti subiectum integri alicuius libri Scripturae constituunt aut in iis pro personis principalibus habentur,* quales v. gr. sunt Esther, Judith, Tobias. Nulla enim reperitur ratio, cur de verbis talium personarum altius ac sanctius sentire debeamus, quam de verbis David aliarumque personarum, quae maxima in Scripturis laude celebrantur. Insuper in Judith tale occurrit ex dictis hujus rei exemplum, quod declinare difficile est. *(Cfr. nihilominus Kaulen, Einleitung sub libro Iudith.)* Ergo talium etiam personarum verba secundum eas, quas in hoc capite tradidimus, normas esse diiudicanda, satis certum est. *(Cfr. Gutberlet, Buch Tobias, p. 100, 149, 205.)*[1]

CAPUT SECUNDUM.

De dubiis circa locos, ubi loquitur ipse hagiographus.

PRAEAMBULUM.

155. Prima fronte vix apparet, quomodo de auctoritate illarum partium Scripturae, ubi sacer auctor ipse loquitur, ullum dubium oriri possit. Omnia enim ac singula Deo inspirante et, ut ita dicam, Deo dictante conscripta fuisse, et proinde auctorem sacrum quasi manum, qua Deus ipse scri-

[1] Erit forte, qui contendat, reperiri modum aliquem ac rationem, qua huiusmodi personae ut Iacob, Iudith etc. a mendacio excusantur, aut fieri posse, ut aliquando reperiatur sufficiens excusatio; proinde exempla,

beret, quasi os, quo Deus ipse loqueretur, habendum esse, ex supra demonstratis per omnia sancte retinendum est. Nihilominus si nostros libros sacros diligentius pervolveris, etiam in locis, ubi auctor ipse loquitur, sive de ipsa auctoritate eorum, quae dicuntur, sive de sensu, quo singula inspirata ac divina dici queant, haud pauca dubia oboritura tibi comperies. Nam, ut vel pauca indicemus, aliquando verba sacri textus preces continent, quae ex hominis persona ad Deum diriguntur. In his, ut fert natura, varios sensus adorationis, laudis, gratiarum actionis, fiduciae in Deum etc. expositos invenies, qui soli homini congruunt *(Psalmi)*. Alii libri sacri in modum epistolae concepti sunt, in quibus instructioni de rebus fidei haud raro salutationes ad amicos aut mandata ad subditos adiuncta vel sparsa reperiuntur, quae, ut apparet, nonnisi humana dici possunt. *(II. Tim. IV. 13. seqq. I. Cor. VII. 12. 25. II. Cor. XI. 17.)* Aliquando accidit, ut, quod Deo nullatenus convenire videtur, auctor sacer de certis rebus nimis indeterminate aut dubitanter loquatur. *(I. Cor. I. 16. Phil. II. 23. 24. Ioan. II. 6, VI. 19. Act. XXV. 6. II. Cor. 11. 17, 21, 23. XII. 2, 3. Ioel II. 14. Prov. XXX. 18, 19.)* Haec igitur omnia et his similia quomodo ex Dei ore prolata sint aut quomodocumque divina divinaque auctoritate subnixa dici possint, non facile intelligitur. Saltem tota haec res accuratiorem explicationem postulare merito videbitur.

156. Explicationem igitur istam quod spectat, possunt ab initio haec dubia generatim et uno veluti ictu ex dictis omnia dissolvi. Diximus, influxum Dei in auctorem hagiographum eo modo concipiendum esse, acsi Deus hagiographo omnia, quae scribenda erant, aut expresse ac determinate scribenda mandaverit aut etiam de verbo ad verbum omnia dictaverit. Quo posito haec observa. Sicut fieri potest, ut Caius Sempronio, qui pro ipso amanuensis munere fungitur et Caii mandatis atque potestati in omnibus subest, nonnulla mandare vel etiam

---

quibus tota nostra demonstratio nititur, apparere minus certa. Respondemus: Nos talem modum excusationis nondum reperire potuimus. Quare exempla nobis videntur ex omni parte certa. Deinde pro scopo nostro sufficit, si allata exempla probabilia esse conceduntur. Nam ita ex iis semper sequitur, quod hoc loco praecipue contendimus, scilicet de canonica auctoritate talium sermonum non satis constare.

dictare velit, quae per se et immediate non Caii sed Sempronii personae conveniunt et proinde non ex Caii sed ex Sempronii persona proferuntur; ita nemo negabit, Deum cum auctore hagiographo simili ratione gerere se potuisse. Nihilominus licet in hoc casu opus, quod scripto editum est, v. gr. epistola non ubique ex Caii sed ex Sempronii plerumque persona loquatur, si Caius tale opus, v. gr. talem epistolam aut Sempronio de verbo ad verbum dictaverit aut alio modo, qui huic aequivalet, scribendam mandaverit et ita Sempronius in edenda illa epistola nonnisi amanuensis munere fungi aut in omnibus nonnisi Caii mandatum exsequi voluerit; tale opus, qua opus est artis et humani ingenii et quatenus in eo opere diversae res partim asseruntur partim probantur partim improbantur, aut varii affectus et sensa cordis humani tum exterius manifestantur tum legentium animis instillantur, magis Caio quam Sempronio imo Cajo uni adscribendum erit. Quare in hac hypothesi sicut verissime dicemus, non Semvronii sed Caii cogitationes et sensa ibi contineri; ita omnia merito ad Caii ingenium, fidem ac probitatem ultimatim reduci poterunt, quaecumque in eo opere leguntur ac dicuntur. Idem dic cum proportione de libris sacris. Quacumque forma libri isti sint conscripti, *etiam ea, quae ibi proxime ex persona auctoris hagiographi dicta inveniuntur, ita accipienda sunt, acsi a Deo, prout revera credenda sunt divinitus inspirata, auctori hagiographo de verbo ad verbum dictata fuissent. Quare omnia ac singula eo sensu accipienda eoque honore habenda sunt, quo quae divinitus dictata fuerint.* Quare paucis verbis singula eo sensu divina sunt, qui attenta rerum, quae dicuntur, indole ac varietate ex isto inspirationis conceptu necessario ac sponte consequitur.

157. Haec generaliter dicta licet per se sufficere possunt, placet nihilominus totam rem tum illustrare per exempla tum ad singularia descendendo accuratius exponere. Igitur sicut generatim in sermone humano nunc res aliqua sive doctrinalis exponendo sive historica referendo asseritur, nunc animi motus exprimuntur, quibus, qui loquitur aut scribit, ea occasione interius agitatur, nunc iis, ad quos sermo dirigitur, res aliqua aut mandatur aut consulitur; ita et in Scriptura sacra fieri potuit et reapse factum esse reperitur. Nam praeterquam quod ibidem saepissime veritates sive theoreticae sive practicae ex-

ponuntur et asseruntur aut facta narrantur historica, haud raro etiam significati reperiuntur motus animi, quibus sacer auctor, dum scriberet, afficiebatur aut pulsabatur. In aliis locis auctor iis, ad quos sermo dirigitur, varii generis praecepta aut consilia dare satagit. Quae cum singula peculiarem prae se ferunt difficultatem, pauca de singulis in particulari sunt dicenda.[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De locis doctrinalibus et historicis.

158. In locis, in quibus sacer auctor aliquid asseruisse aut narasse invenitur, quoad auctoritatem eorum, quae dicuntur, in triplici hypothesi dubium aliquod oriri posse videtur. Primus casus est, si sacer auctor non tam dicit, quae in praesenti de re quapiam ipse sentiat, sed quae alias aliquando senserit. Alter casus habetur ibi, ubi auctor, dum aliquid asserit, seipsum a Dei expressis verbis discernit, quasi in praesenti non, quae Deus ipsi comunicaverit, sed, quae sibi ut homini videantur, manifestare intendat. In idem fere recidit, si sacer auctor ea

[1] Divisionem, quam hic ponimus, esse completam, colliges ex iis, quae habet S. Thomas. *(Perihermenias l. 1.)* «Quia intellectus vel ratio non solum concipit in seipso veritatem sed etiam ad eius officium pertinet, secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare: ideo necesse fuit, quod sicut per enuntiativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita essent etiam aliquae aliae orationes significantes ordinem rationis, secundum quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad attendendum mente; et ad hoc pertinet vocativa oratio. Secundo ad respondendum voce; et ad hoc pertinet interrogativa. Tertio ad exsequendum opere; et ad hoc pertinet quantum ad inferiores oratio imperativa, quantum autem ad superiores, oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa, quia respectu superioris homo non habet vim motivam nisi per expressionem sui desiderii.» Subdit deinde s. Doctor: «Quia istae quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem; inde est, quod in nulla eorum invenitur verum vel falsum, sed solum in enuntiativa, quae significat id, quod de rebus concipitur.» Ad istud ultimum haec notamus. Quod a s. Thoma asseritur circa veritatem aut falsitatem orationis imperativae et similium, accipiendum est de actu signato, ut scholastici loquuntur. Nam in actu exercito, ut dicunt, etiam istae orationis species aliquid significant, scilicet internum actum imperandi et huiusmodi et in tantum suo modo verae vel falsae esse possunt, prout quis per suam orationem vere aliquid mandare intendit, aut solum mandare se fingit etc.

ratione loquatur, ut, quomodo, quae dicit, Deo tribui possint, vix invenias. Tertium dubium est, ubi Scriptura de re aliqua aut dubitanter aut indeterminate loquitur. Nam quomodo huiusmodi sermo Deo conveniat aut auctori, qui in omnibus inspiratus creditur, profecto difficulter intelligitur.[1] Haec igitur sunt, quae singula propriam declarationem postulant.

Punctum primum.

De locis, in quibus significatur, quid auctor sacer alias senserit aut dixerit.

159. Haud semel in Scriptura invenimus factum, ut sacer auctor non significet, quid modo, dum scribit, sentiat aut praecipiat sed quid alio tempore ipse dixerit, senserit, praeceperit aut mandaverit. Exempla plura habes in Pentateucho. Ibi Moyses, qui est auctor Pentateuchi, multa de se ipso non solum ut alias certa occasione a se facta, sed et ut a se alias dicta vel sancita narrat per modum historiae. *(Cfr. v. gr. Exod. II. 13. seqq. III. 13. seqq. IV. 10. seqq.)* Alia exempla sunt in Iona Propheta *(IV. 3, 4.)*, in Ioanne Evangelista *(XIII. 25)*, et si quae sunt alia huius generis. Circa haec igitur quaeri potest, num huiusmodi verba Moysis legislatoris celeberrimi, Ionae Prophetae, Ioannis Evangelistae, quae ipsi in suis scriptis ut aliquando a se prolata referunt, eadem reverentia excipienda eademque fide credenda sint, sicut ea, quae manifesto inspirata sunt. Aliis verbis quaeritur, an haec ab iis nihil differant, quae ab iisdem per inspiratos libros suos ex propria persona de praesenti asseruntur atque proponuntur. Id, ut sententiam nostram statim aperiamus, nos negamus. Credimus igitur, huiusmodi locis eadem omnino principia applicanda esse, quae capite praecedenti generatim a nobis statuta sunt pro diiudicandis locis, in quibus leguntur sermones personarum, quae ab auctore libri utcumque sint distinctae. Ratio huius doctrinae

[1] Occurrunt loci, ubi sacer auctor ipse sibi quaedam obiicit et quasi ex adversariorum persona loquitur. Huius rei exempla sunt inter alia Eccl. III. 21, 22, VI. 9, VIII. 15, IX, 7. seqq. Haec quomodo accipienda sint, per se intelligitur. Item non immoramur in explicandis locis, ubi Propheta aliquis ex mandato Dei proponit prophetias, quae ex Dei intentione conditionatae sunt, de quo in Iona Propheta *(III. 4. 10.)* notissimum est exemplum.

videtur manifesta. Nam quid quaeso est, quod habetur in casu, de quo agimus? Nos aliud non videmus, quam quod iam insinuavimus. Referuntur in tali hypothesi per Scripturam sensa certi hominis, quem licet pro determinato tempore et in scribendo determinato aliquo libro inspiratum fuisse supponamus, nulla tamen ratione pro omni vitae suae tempore et in omnibus vitae suae actibus aut sermonibus pro inspirato habere cogimur. Ita quaerimus: Id, quod a Scriptura, aut quod in idem recidit, quod a sacro auctore qua tali in loco illo proprie asseritur, quid tandem est? Non aliud profecto, quam illum eundem hominem, qui suo tempore ut auctor inspiratus librum istum composuit, aliquando et alia occasione de re quapiam talia sensisse aut protulisse. Aqui homo ille eo tempore nec inspiratus nec infallibilis fuit. Cur ergo non licebit de talium dictorum veritate aut, ut id hic praeoccupemus, sicubi de animi affectibus agatur, de eorum affectuum honestate dubitare, sicut inspiratio Scripturae circa haec eadem in aliis personis ceteroquin sanctissimis ex dictis dubitare permittit? Quod diximus, hoc modo amplius confirmatur. Si quod hic asserimus, falsum esset, i. e. si omnia quaecumque a sacro auctore aliquando dicta fuerint vel cogitata, dummodo ipse de iisdem ut aliquando a se dictis aut cogitatis sine improbationis nota in libro inspirato mentionem faciat, canonica pollerent auctoritate; multum referret scire, a quonam auctore humano certi libri sacrae Scripturae conscripti fuerint. Ita v. gr. referret quam plurimum, an libri, qui Moysis, Iob, Tobiae nomine circumferuntur, reapse ab iis ipsis compositi fuerint. Ratio est, quia inde nonnulla, quae in posterioribus libris Pentateuchi certis occasionibus a Moyse dicta narrantur vel facta, aut sermones Tobiae, qui in libro homonymo continentur, maiorem imo canonicam nanscis-cerentur auctoritatem, qua ex dictis in contraria hypothesi necessario carere dicuntur. Atqui hoc aegre admitti potest. Videmus enim, quod in nostra doctrina facile intelligitur, sanctos Patres, theologos catholicos ac sacros interpretes imo ecclesiam de inveniendo horum librorum humano auctore magnam partem ex antiquissimis temporibus parum fuisse solicitos. Videmus eos etiam, qui aut ex professo aut data occasione in veros auctores istorum librorum inquirunt, toto modo agendi satis manifeste ostendere, quaestionis illius solutionem ex ipsorum

sententia ad augendam vel minuendam eorum, quae ibi leguntur, auctoritatem tum prae integro libro tum prae singulis libri partibus nihil omnino referre. *(Cfr. Gutberlet, Buch Tobias, p. 205, ad VI. v. 15.)* Huius facti in contraria sententia nulla sufficiens ratio dari potest. Nam manifestum est, in ea omnia e contrario accidere debuisse. Est ergo nostra sententia sensui catholico multo conformior.

Punctum secundum.

De locis doctrinalibus, in quibus sacer auctor inter sua et divina discernere videtur.

160. Contingit interdum, ut auctor sacer seipsum a Deo discernat significans, in iis, quae profert, non Deum loqui, sed seipsum. Distinctio ista inter Deum et auctorem humanum aliquando expressis verbis indicatur, alias vero ex certis circumstantiis satis certo colligi posse videtur. Exemplum primi generis habes in Paulo, qui ad Corinthios scribens *(I. Cor. VII.)* et de matrimonio ac virginitate sermonem instituens non solum plura ut legislator mere ecclesiasticus mandasse ac praecepisse cognoscitur, sed et qua Apostolus plura docet *(v. 40)*, quae expresse non Domini esse sed sua significat. «Ceteris, inquit, non ego dico, sed Dominus.» *(v. 12.)* Pro casu altero exemplo sint, quae idem Apostolus *(ad Galat. I. 11. seqq. II.)* narrat de se ipso. Nam cum haec in prima persona narrata inveniantur, ea certe directe et immediate Deo tribui non possunt. Aut quomodo ea narratio immediate ac directe Deo tribuitur, cum in forma ista ori Dei nullatenus congruat? Quae cum ita sint, dubitari merito potest, utrum haec sicut cetera in Pauli epistolis divinam habeant auctoritatem, an solum humanam. Nonne Apostolus iis, quae in priori loco dicit, aperte nonnisi humanam tribuere fidem videtur? Iam vero Apostolo contradicere tum in se nefas est, tum hic consequenter inspirationem totius epistolae destrueret. Quo semel admisso non apparet, cui de loco posteriore ac similibus non idem sentire aut suspicari liceat, quod de priori omnino tenendum videtur. Quaeritur ergo, quid de huiusmodi locis sentiendum sit et quomodo ista difficultas, quae hic se offert, sine laesione inspirationis dissolvatur.

161. Assertio. *Licet sacer auctor, dum quaedam scribendo docet aut narrat, sive expressis verbis sive aequivalenter*

se ipsum a Deo discernat, nihilominus eius doctrina aut narratio canonica pollet auctoritate. Hanc assertionem demonstramus ex iis, quae supra *(n. 156.)* in praeambulo diximus. Igitur secundum ea, quae ibi proposuimus et de inspiratione generatim loquendo retinenda ostendimus, omnia, quae sacer auctor scribit, quoad rei substantiam ita sunt consideranda, acsi a Deo ipso auctori de verbo ad verbum dictata fuissent. Atqui si ita est, qui de rebus, quae in huiusmodi locis asseruntur, dubitare praesumeret, non solum auctoritatem scriptoris humani, a quo ea immediate scripta sunt et ex cuius ore ibidem proferuntur, sed et ipsius Dei auctoritatem violaret, qui auctori illi talia scribenda suggessit. Proinde omnia sunt infallibiliter certa, quia Dei auctoritati innituntur. Idem confirmatur exemplo, quod ex rebus humanis desumptum in superioribus saepius adhibuimus. Pone, Caium quaedam Sempronio dictasse. In hac suppositione Sempronius, qui Caium dictantem audivit, omnia, quae audivit, ut Caii auctoritate subnixa accipere debuit. Id manebit verum, licet Caius quaedam dictare voluerit, quae immediate non ex sui ipsius ore proponuntur, sed dicuntur ex persona Sempronii. Quod de Sempronio valet, valebit etiam de aliis, qui quacumque ratione certo compererint, ea Sempronio a Caio dictata fuisse. Apparebit id manifestissime, si supponis, Caium, quod actum est, Sempronio certo consilio ubique promulgandum commisisse. Haec ex saepe dictis ad Scripturam et ad Deum, qui principalis eius auctor est, transferenda sunt.[1] Quaeres, cur Deus,

[1] Iuxta haec iudicandum est de eo, quod Paulus Petrum a se reprehensum esse narrat *(Galat. II. 13.)* Paulus ibi Petrum expressis verbis reprehensibilem fuisse affirmat. Quare sine dubio tenendum est, Petrum reapse eo sensu, quo dixit Paulus, reprehensibilem fuisse. Ergo non bene agunt, qui ad solvendam difficultatem, quae ex hac reprehensione contra Petri eiusque successorum infallibilitatem desumitur, auctoritati Pauli Petri auctoritatem opponunt. Paulus enim dum haec scriberet, inspiratus erat. At minime constat, Petrum in agendo fuisse impeccabilem. Alia ergo ad haec responsio quaerenda erit, quae ceterum facillime invenitur et per haec iam satis indigitata est. Huc item referendum est, quod scripsit recens quidam theologus. *(Literarische Rundschau ann. 1884. coll. 330.)* Ante omnia significat, nullatenus periculosum sibi videri, si in Paulo Apostolo quidam profectus admittatur non quidem in ipsa substantia doctrinae sed quoad eius expositionem. Deinde ponit exemplum in doctrina Apostoli circa tempus secundi adventus Domini. Dum eos vituperat, qui in hac re verba Pauli *(I. Thess. IV. 14. seqq.)*, ne erronea appareant, in

cum ipse Scripturae sit auctor, non semper et ubique ex propria persona in Scriptura loqui voluerit, aut cur Deo placuerit, ut sacer auctor a Deo interdum aut virtualiter aut expresse se discerneret? Respondemus hac consideratione simplicissima. Ex rationibus, quae eius sapientiae notae sunt, Deo placuit edere libros sacros in forma humana conscriptos. Iam vero ex hac librorum indole id, de quo hic agitur, sponte et fere necessario consequitur. Ceterum, ut mox videbimus, ubi non de doctrina, sed de praeceptis aut consiliis res est, reapse maximi refert, utrum ea in persona et ex ore Dei, an vero in persona sacri auctoris data ac prolata fuerint. In fine monemus, vix unum locum, qui doctrinam fidei aut morum contineat, a nobis hucusque reperiri potuisse, ubi sacer auctor suam doctrinam non tantum virtualiter sed expresse discernat a doctrina Dei. Loci enim illi, in quibus revera occurrit huiusmodi oppositio, qui certe admodum pauci sunt, fere non doctrinam sed praecepta aut consilia continent. Iam vero de his longe alia est quaestio, ut mox videbimus. De illis vero, ubi sacer auctor quaedam narrat non ex Dei persona sed ex persona propria, non est magna difficultas. Quare ea, quae diximus, ad tollendam omnem difficultatem abunde sufficiunt.

Punctum tertium.

De locis, ubi Scriptura aut verbis indeterminatis utitur aut dubitanter loquitur.

162. Negare non possumus, quin Scriptura interdum verbis admodum indeterminatis utatur aut dubitantis more loquatur. Sic v. gr. Ioannes Evangelista *(II. 6.)* occasione nuptiarum in Cana mentionem facit de hydriis, quarum singulae capiebant metretas binas vel ternas. Alia occasione idem narrat (VI. 19), discipulos vidisse Dominum ambulantem supra mare, postquam

---

benigniorem partem interpretantur, satis aperte significat, verba Pauli ex sua sententia alium sensum non admittere, quam qui rerum veritati contradicit. Sed cum hic non utcumque de profectu ac sententia Apostoli sed de verbis quaestio sit, quae partem formalem Scripturae inspiratae constituunt, qui ita sentit, non solum ostendat necesse est, certum profectum in doctrina cum dignitate Apostoli haud pugnare, sed insuper exponere tenetur, quomodo sua sententia cum iis cohaereat, quae supra *(n. 3. seqq.)* de inerrantia Scripturae diximus et inferius *(n. 285. 291.)* quoad vim verborum magis explicabimus.

remigassent stadia viginti quinque aut triginta. Auctor Actuum Apostolorum *(XXV. 6.)* dicit, Festum proconsulem, cum Ierosolymis demoratus fuisset dies non amplius quam octo aut decem, Caesaream descendisse. Paulus ad Corinthios scribit *(I. Cor. I. 16.)*, nescire se, si quem alium praeter Stephanae domum baptizaverit. Haec et similia prima fronte contra inspirationem difficultatem creant. Talia enim Deo aut scriptori inspirato atque a Deo speciali modo illuminato nullo modo congruere videntur. Nihilominus re penitius inspecta etiam haec difficultas plane evanescit.

163. Itaque si quaeritur, qua ratione fieri possit, ut Scriptura de re quapiam verbis indeterminatis loquatur, quaestio haec theologum, qui rem attente consideraverit, non diu suspensum habebit. Est enim omnibus notissimum, Deum in Scriptura per homines et ad homines loqui. Iam vero ea est indoles tum sermonis tum ingenii humani, ut de omnibus non solum determinate sed et indeterminate ac vage sermo haberi possit ac de rebus non raro vagi ac indeterminati conceptus habeantur. Porro sicut conceptus vagi ac indeterminati falsi dici haud possunt sed saepe in se verissimi esse inveniuntur; ita etiam locutio verbis indeterminatis concepta haud raro verissima est. Neque huiusmodi locutio inutilis aut parum utilis dici potest. Imo saepissime non minus utilis apparet quam locutio plane determinata. Num v. gr. falsum est, capacitatem hydriae alicuius certo non excedere tres metretas nec infra duas metretas descendere? Aut talis notitia ibi erit inutilis, ubi non de contractu emptionis, sed de aestimando miraculo ac beneficio divino agitur? Non puto. Iam vero id est, quod priori loco Evangelii Ioannis accidit. Idem dic de ceteris. Quare vel Christus ipse in Evangelio interdum minus determinate locutus fuisse invenitur. *(Matth. XII. 40. Luc. XVIII. 33. Matth. XVIII. 20.)*[1] Num propter ista verbis Christi auctoritatem divinam detrectabimus aut ea dicemus inutilia?

---

[1] Alia quaestio est, num auctor canonicus, dum ita scriberet, quoad se revera indeterminatam solummodo notitiam habuerit. Sed haec quaestio pro re nostra parvi momenti est. Nam sicut notitia indeterminata ex dictis non praeiudicat inspirationi obiectivae, ita nec praeiudicat subiectivae. Potuit enim Deus, si voluit, sacro auctori per lumen divinum nonnisi indeterminatam notitiam concedere, quae tamen vera notitia est et infalli-

164. Major certe difficultas est, sicubi sacer auctor non solum indeterminate sed dubitanter locutus esse reperiatur. Factum igitur quod spectet, talia exempla revera inveniri, negare nullo modo possumus. Ita Paulus non solum dicit *(l. c.)*, nescire se, utrum praeter Stephanae domum alium quemquam baptizaverit, sed et in dubio relinquit *(II. Cor. XII. 2, 3.)*, num raptus celebris, de quo ad Corinthios loquitur, intra corpus an extra corpus ei contigerit. Quid igitur ad haec et similia dicendum? Res est satis obvia. Nimirum haec pauca observare sufficit. Quod Deus per locutiones huiusmodi in Scriptura revelare hominibus voluit, illud est, rem, de qua agitur, sacro scriptori compertam non fuisse. Ita statim tota difficultas evanescit. Solum ad tollendum omnem scrupulum haec adiungimus. Rem, de qua agitur, sacro auctori fuisse incompertam, ex una parte potuit esse verissimum. Insuper de re eadem ipse auctor hagiographus per lumen divinum supernaturaliter certior reddi potuit. Ex altera vero parte huiusmodi notitia aliquando hominibus et ecclesiae Dei utilis esse invenitur; et qua talem eam Deus revelare potuit ac libro inspirato de facto inserendam curavit. Ad rem declarandam redeamus ad exemplum, quod posuimus. Ex eo, quod Paulus ipse nescierit, an raptus ille in corpore an extra corpus ei contigerit; plura tum de natura raptus, tum de statu animae, quae raptum patitur, tum de ratione, qua Deus cum Sanctis interdum agere solet, aliaque ad theologiam mysticam pertinentia inferri poterunt, quae nequaquam inutilia videntur. Idem dic de exemplo altero. Ex eo enim, quod Paulus, dum Corinthiis scriberet, non recordaretur, an praeter Stephanae domum alios baptizaverit, clare perspicitur, Paulum baptizandi ministerium generatim aliis demandasse. Iam vero haec notitia Pauli tunc temporis pro statu ecclesiae Corinthiorum non spernendae utilitatis fuit.[1]

---

bilitate gaudere potuit. Insuper supponere possumus, Deum auctori hagiographo determinatam notitiam infudisse simulque voluisse aut permisisse, ut notitiam determinatam indeterminatis verbis exprimeret.

[1] Nonnumquam, dum Scripturae aut Prophetae aut Deus ipse dubitantis instar loquuntur, reapse aliud non est, quam loquendi modus Iudaeis admodum familiaris, quo nequaquam significatur, rem illi, qui loquitur, incompertam esse. Potius ea phrasi solum indicatur, rem, de qua agitur, in causis immediatis non satis determinatam esse seu eam rem pendere ab eventibus contingentibus et maxime a libero hominum

Scholion primum. 165. Ex supra dictis solvitur etiam alia quaestio, quam veteres hinc inde movisse inveniuntur. Quaeritur nimirum, *an omnia argumenta, quae in Scriptura pro re aliqua tuenda afferuntur, certa sint et ad rem comprobandam efficacia.*[1] *(Cfr. Basil. Pontius de Scriptura sacra quaestiones expositae, q. 2. in appendice ad Menochii commentarios Venet. 1722.)* Hanc quaestionem hic moveri solummodo de illis locis, quae ex dictis auctoritate canonica gaudent, per se patet. Quo posito vix invenies theologum aut virum catholicum, qui non ad quaestionem propositam statim affirmative respondeat. Habet nihilominus haec res, si in concreto spectetur, suas difficultates. Occurunt enim in Scriptura hinc inde illationes, quae aut nullius roboris aut ad summum probabiles, minime vero certae et ineluctabiles esse videntur. Ita v. gr. Petrus in oratione, quam die Pentecostes habuit, et quae certe canonica gaudet auctoritate, seipsum ac reliquos Apostolos non esse ebrios, inde demonstrare aggreditur, quod «sit hora fere tertia» *(Act. II. 15.)* Quis quaeso ex hac circumstantia temporis certo inferri posse contendet, Apostolos ea occasione haudquaquam ebrios fuisse? Item Christus Dominus, dum ab adolescente quopiam magister bonus appellatur, eam appellationem repellere conatus rationem affert, quae manifesto nonnisi ad hominem, ut dicunt, vim habere potuit. *(Mar. X. 18.)* Nihilominus verum manere debet, quod ad quaestionem propositam ex sensu communi respondimus. Igitur accuratius et ad repellandas difficultates aptius quaestio ista hac simplicissima observatione solvitur: *Rationibus, quae ad res suadendas in Scriptura adhibentur, ex divina sacrae Scripturae auctoritate semper tanta vis tribuenda est, quantam is, qui loquitur, illis tribuere intendit.* Haec assertio facillime demonstratur. Quicumque certam rationem affert, ut rem aliquam

---

arbitrio. Aliis verbis significatur, rem pro captu humano imperviam esse aut saltem difficillimam. Exempla habes Ioann. VIII. 19, Matth. XI. 23, Ioel II. 14, Prov. XXX. 18. *(Cfr. Franzelin de Deo uno th. 45.)* Haec, ut patet, et similia hoc loco non sunt ad rem; talia enim ei, qui indolem linguae biblicae aliquatenus cognoverit, difficultatem creare non poterunt.

[1] Per se evidens est, licet id Spinoza negasse videatur, in libro inspirato non solum assertiones simplices sed et ratiocinationes inveniri posse. Cur enim Deus non potuerit alicui inspirare ratiocinia, sicuti alias inspiravit diversi generis notitias ac iudicia? *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph l. c. disp. II. art. 2. §. 2.)*

suadeat, simul si non expresse saltem virtualiter affirmat, talem rationem revera ad illud suadendum vim habere. Cum ergo Scriptura, ut demonstratum supponimus, in omnibus, quae affirmat, infallibili polleat auctoritate, de efficacia rationum, quae ab ipsa afferuntur, in eo sensu, quo afferuntur, sine laesione inspirationis dubitare haud licebit. *Alia quaestio* esse potest, *an dignitati Scripturae* aut personarum, quae in loquendo eandem ac Scriptura auctoritatem habent, *omnino repugnet, ut interdum afferant rationes, quae, cum solum probabiles sint, ex sese rem extra omne dubium ponere non videntur.* Respondemus: *Quod hic quaeritur, omnino impossibile non putamus.* Addimus tamen sequentem limitationem: Quando Scriptura rationibus minus certis utitur, id eo modo fiat necesse est, ut aut ex modo loquendi subindicetur, aut ex natura ipsa argumenti, quod affertur, facile intelligatur, argumentum solum afferri ut argumentum probabile aut ut argumentum ad hominem. Quodsi Scriptura nihilominus aliunde ab initio rem pro certo asserit, quam deinde confirmat argumento, quod in se minus certum est; tunc id, quod asseritur, non unice aut praecipue propter argumentum allatum pro certo retinendum erit sed magis propter ipsam Scripturae assertionem aut etiam propter alia argumenta firmiora, quae forte ibidem adiuncta inveniuntur. Per haec abunde patet, quid ad duo exempla initio posita respondendum aut dicendum sit.

Scholion secundum. 166. Ex his ulterius deducitur, *quid tenendum sit de citationibus sacrorum textuum, qui in ipsa Scriptura ex aliis libris hinc inde adducuntur.* Ante ipsam rei tractationem advertimus, nos in praesenti solum de illis citationibus loqui, quae occurrunt in locis, qui ex dictis canonicam habent auctoritatem. Igitur iuxta posita principia haec inferimus Ex huiusmodi citatione, si in se indubia sit, 1. *infallibiliter colligitur, textum citatum* aut generatim *legi in libro aliquo canonico,* si citatio generalioribus verbis sit expressa, *aut legi in determinato illo libro,* seu quod idem est, *legi penes ipsum eundem auctorem, qui in citatione nominatur.* Haec post dicta demonstratione certe non indigent. Item 2. certissimum est, *textum, qui citatur, tum posse tum debere intelligi eo sensu, quo in citatione affertur et ibidem intelligitur, eumque ad id demonstrandum vim habere, ad quod demonstrandum adducitur.*

Ceterum in huiusmodi textu nec maiorem nec minorem demonstrandi vim quaerere possumus aut debemus, quam quae ei in citatione a sacro auctore revera tribuitur. Etiam hoc per se clarum est. Alia deinde quaestio est, an in Scriptura in iis locis, qui aliunde canonicam auctoritatem habent, possint inveniri *citationes in sensu, qui accommodatus dicitur*. Aliis verbis quaerere licet, an fieri possit, ut in uno libro Scripturae assumantur quaedam verba ex alio libro canonico non secundum sensum, quem in priori libro habent, sed secundum alium, qui a priori manifesto discrepat. Ad hanc quaestionem ita respondemus: Ex assertione modo posita fieri ante omnia nullo modo potest, ut auctor hagiographus, dum verbis alterius auctoris utitur sensu, qui ab illius sententia alienus est et accommodatus dicitur, simul aut expresse aut aequivalenter significet, velle se ex alio libro proprie ac formaliter, ut dicimus, aliquid citare. Aliis verbis in hypothesi merae accommodationis sacer auctor, dum materialibus alterius verbis utitur, non potest ullo modo asserere aut significare, se per haec velle dicere illud idem, quod iam alias ab alio illis iisdem verbis dictum et assertum fuerat. Ratio est, quia sic hagiographus revera aliquid falsi assereret. Quodsi deinde supponitur, auctorem subsequentem aliud non facere, quam ut verbis materialibus a priore quopiam auctore iam adhibitis iterum utatur i. e. si unus auctor hagiographus in adhibendis verbis alterius ad eundem nullo modo provocat nec ulla ratione significat, ea, quae ipse de praesenti asserit, iam ab alio suo tempore fuisse asserta; tunc in accommodatione ista nihil est, quod cum inspiratione absolute pugnare videatur.[1] Quare huiusmodi citatio in sensu accommodato, si tamen citatio dici potest, a priori cum omnimoda securitate excludi a Scriptura nequaquam poterit. Nam quale esset v. gr. incommodum, si auctor canonicus doctrinam moralem, qua convictus bonorum moribus quam maxime prodesse, malorum vero non minus nocere dicitur, verbis illis notissimis exprimere voluisset: «Cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris», licet eadem verba sensu longe diverso a Psalmista *(Ps. XVII. 26. 27.)* ante ipsum adhibita

[1] Supponimus, reperiri verba, quae in se et separata a contextu duplicem sensum fundere possint, quorum unus ab altero omnino diversus sit ac disparatus non tamen eidem contradicat. Cfr. infra n. 223.

cognoverit? Incommodum grave tunc solum emergeret, si quis in hac doctrina asserenda ad auctoritatem illius loci provocare voluisset. In nostra enim hypothesi sacer auctor aliud non diceret, quam quod verissimum est et asserere semper cuique licebit. Significaret scilicet, illa verba in se et materialiter sumpta praeter sensum Psalmi alium quoque sensum exhibere posse, qui et ipse in se verissimus est.[1] Et revera locutio, qua quis utitur verbis alterius aliunde notissimis in sensu disparato ac diverso, inter homines adeo infrequens non est. Nec talis loquendi modus ab hominibus, maxime ubi intentio loquentis est manifesta, semper ut vitiosus haberi videtur. Ergo si quis vellet huiusmodi usum a Scriptura a priori et velut in abstracto excludere, in eo sine ratione sufficienti procederet. Alia denuo quaestio hic moveri posset, an scilicet accommodatio, quam descripsimus, in Scriptura nostra, prout in concreto habetur, reapse aliquando occurrat necne. Sed hanc quaestionem nos interpretibus solvendam relinquimus. Nobis hic circa quaestionem istam unum notasse sufficiat. Reperiuntur revera auctores magni nominis ac sanae doctrinae, qui eam quaestionem in sensu affirmativo solvere haud verentur. *(Cfr. Suarez de Euch. disp. 81. sect. 1. n. 9; Ioan. Acosta de vera Script. interpr. ratione l. III. c. 4. in app. ad commentarios Menochii Venet. 1722; Patrit. de interpr. s. Script. l. I. c. 18. art. 2;*[2] *Hofmann Hermeneutica biblica §. 62).*

ARTICULUS SECUNDUS.

De locis, ubi sacer auctor proprios animi sui motus manifestat.

167. Negari nequit, reperiri in Scriptura locos quam plurimos, in quibus ab auctore hagiographo variae animi affectiones exprimuntur, quas non solum Deo primario Scrip-

[1] Cfr. Patritius citatus in nota sequenti. Per se intelligitur, unum sensum non debere asserere, quod alteri est oppositum. In Scriptura enim ex dictis nulla contradictio occurrere unquam potest.

[2] Hic auctor postquam doctrinam suam nominatim relate ad vaticinia Veteris Testamenti impleta in Christo debitis circumscripsit limitibus, sententiam suam sic demonstrat. «Num Spiritui Sancto, quem praecipuum auctorem Scripturae habent, minime liceat, sua verba, quoties voluerit, aliis atque aliis rebus significandis adhibere?» Dein in rem suam adducit exempla ex Matth. VII. 23. Ps. VI. 9; Matth. X. 36. Mich. VII. 6; Luc.

turae auctori convenire nullatenus posse in comperto est, sed neque, quomodo auctori inspirato tribuere possimus, facile intelligitur. Nam sicut v. gr. spem, admirationem, poenitentiam et alia huiusmodi ea ratione, qua v. gr. in Psalmis saepissime occurrunt, Deo convenire non posse, certissimum est; ita nec facile intelligitur, quomodo v. gr. auctor, qui Dei Spiritu agitur, inimicis suis omnia mala imprecari potuerit, sicut item in Psalmis *(Ps. 68, 107, 137.)* non semel factum esse videmus. Alia similia, quae prima specie difficultatem creant, unusquisque per se invenire poterit. Igitur ad hanc rem dilucidandam sequentes ponimus assertiones.

168. Assertio prima. *Ex canonica Scripturae auctoritate ante omnia tenendum est, sacrum auctorem, dum scriberet, illis animi motibus revera affectum fuisse, quos ex persona propria scribendo expressit.* Veritas huius assertionis, si tamen demonstratione indiget, hac ratione ostenditur. Dum quis v. gr. dicit: «Laetor aut contristor aut irascor», his verbis aperte indicat atque manifesto asserit, se, dum haec loquitur, illo animi motu interne affici, qui tali verbo exterius significatur. Quare nonnisi mentiendo ita loqui potest, qui, dum loquitur, huiusmodi motibus interne in animo suo haud afficitur.[1] Iam vero, ut vidimus, tenendum omnino est, sacrum auctorem omnia et singula, quae scribendo ipse loquitur et in opere inspirato leguntur, Deo dictante seu sub speciali Dei impulsu conscripsisse. Quapropter sicut Deus ad proferendum mendacium influxu positivo, qualem pro inspiratione postulavimus, impellere ac cooperari nullatenus potest; ita neque intelligitur, qua ratione Deus quemquam simili ratione movere possit ad significandos verbis quoscumque animi motus, si eosdem, dum scribit, in animo haudquaquam experiatur. Igitur nemo, qui inspirationem retinere voluerit, dubitare ullatenus poterit, quin in animo hagiographi, dum scriberet, reapse locum habuerint

XXIII. 30. Ose. X. 8; Eph. IV. 25. Zach. VIII. 16.; Tob. II. 6. Am. VIII. 10. I. Mach. I. 41.; Zachar. IV. 3. 11. 14. Ceterum ne haec res ultra modum extendatur, multi interpretes monent, nullam accommodationem suspicandam esse, ubi Evangelistae prophetias Veteris Testamenti Christo Domino applicant. Utuntur enim hac formula: "Ινα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, quae tum veram prophetiam tum veram impletionem postulat. Aliter Maldonatus *(in Matth. II. 15.)*

[1] Cfr. n. 157 in nota.

motus et affectus omnes, quos scribendo idem expressit. Ergo, ut hanc rem exemplis explicemus, dum Paulus dicit, gaudere se de re quapiam *(Rom. XVI. 19; I. Cor. XVI. 17; II. Cor. VII. 19; Phil. I. 18. II. 17; Coloss. I. 24; Philem. 22,)* aut sperare aliquid *(II. Cor. I. 13; Phil. II. 23; I. Tim. III. 17.)* aut amare aut desiderare quidpiam *(II. Cor. VI. 11; Rom. I. 11; II. Tim. I. 4.),* divina auctoritate certum est, Paulum, dum haec scriberet, revera illis animi motibus affectum fuisse. Eandem ob causam tota indoles illorum affectuum ac intensitas necessario ex verbis dimetienda erit, quibus sacer auctor utitur.[1] Nec dicas: Cum Deus in edenda sacra Scriptura velut dictantis munere functus fuerit, in dictandis seu exprimendis animi motibus non tam curare debuit, quid sacer auctor tunc reapse senserit, sed potius quid ex voluntate Dei et convenienter ad praesentes rerum circumstantias tunc sentire debuerit. Quo semel posito, inquies, nemo credere cogitur, sacrum auctorem utpote personam privatam et peccabilem reapse, actum internum quod spectat, ita semper sensisse, sicut ex Dei voluntate sentire debuerat. Ad haec ita respondemus. Concedimus, quod ab initio principii loco assumitur, scilicet Deum in his etiam dictantis munere functum esse. At negamus, quod e vestigio inde infertur, scilicet Deum in hac hypothesi curare non debere, ut cum verbis in sacro scriptore concordet affectus. Si enim Deus faceret aut permitteret, ut sacer scriptor verbis externis internos animi affectus exprimeret, quos revera in animo non haberet, utcumque affectus, qui exprimuntur, de cetero in se sanctissimos et rerum circumstantiis convenientissimos esse supponas; semper verum est, Deum aut ad mendacium aut ad hypocrisim cooperatum fuisse. Quare si Deus voluit, quod reapse voluisse supponendus est, ut hagiographus tales affectus exprimeret, necessario et consequenter prius efficere debuit, ut hagiographus eos affectus revera animo suo conciperet. Ita solum fiebat, quod res atque inspiratio postulat, ut in sacro auctore, quod dixit lingua seu calamus, tenuerit affectus.

169. Assertio secunda. *Insuper sine laesione divinae auctoritatis dubitari non potest, quin animi motus, quos sacer auctor scribendo manifestat, in se liciti ac honesti fuerint;*

[1] Similia habes alibi, v. gr. II. Ioan. 12; III. Ioan. 1. etc.

itemque ambigendum non est, quin bonum atque utile fuerit, eosdem animi affectus ista ratione scriptis manifestare. (Cfr. Denzinger l. c. tom. II. n. 180. p. 221, et Hieronym. ad. Galat. V. 12.) Haec assertio demonstratur hoc modo. Verum quidem est, affectus, de quibus loquimur, non esse affectus Dei sed affectus sacri scriptoris, quem hominem peccabilem fuisse constat. Nihilominus, ut saepe dictum est, auctor canonicus nihil scribit, nisi speciali modo a Deo incitatus ad scribendum. Aliunde vero, ut supra *(n. 168.)* ostensum est, haec duo intimo nexu inter se cohaerent, scilicet quod quis certos animi affectus scribendo expresserit et eosdem reipsa in animo habuerit, cum absque simulatione et mendacio unum sine altero esse non possit. Porro evidens est, non posse Deum ea ratione, qua dictum est et prout ad veram inspirationem requiritur, movere quempiam ad eos animi motus concipiendos atque exprimendos, qui in se per omnia honesti non sint. Si enim, ut dogmatici fere unanimi consensu docent, vel ordinaria ordinis supernaturalis gratia concurrere non potest nisi ad actus bonos, et si, quod per se evidens est, Deus nonnisi actus honestos praecipere et nonnisi ad honesta exhortari potest: idem aut a pari aut a fortiori dicendum est de gratia illa extraordinaria, quam ex dictis pro inspiratione ubique postulamus *(cfr. n. 89. 90.)* et quae ex demonstratis *(n. 95. seqq.)* quoad rei substantiam vero Dei mandato aequivalet. Nec dicas: Concedo, Deum ad eliciendos pravos animi motus directe cooperari non posse. At non video, quid impediat, quominus Deus ad actus, qui in se minus boni sunt, exterius manifestandos scriptoque exprimendos cooperari possit, si supponatur, quod huiusmodi actus in alicuius animo sine directa ac speciali Dei cooperatione exorti semel fuerint. Quod ita magis declaratur. Inspiratio, de qua hic loquimur, ad scriptionem praecipue dirigitur. Quid ergo prohibet, quin in aliquibus totum inspirationis negotium in hunc modum concipere liceat? Postquam sacer auctor ex sese certos animi affectus animo conceperat, Deus eidem mandavit sive speciali eum motu impulit, ut conceptos animi motus per scripta exterius significaret. Iam vero ab hoc negotio, ut videtur, motus, qui in se minus honesti sunt, nullatenus excluduntur. In promptu est ad hanc difficultatem responsio. Nimirum manifestatio affectuum internorum, qua,

qui scribit aut loquitur, significat, quid in praesenti ipse sentiat — de hac enim suppositione loquimur — nequaquam habenda est ut simplex et theoretica testificatio de praesenti illius affectionis existentia,[1] sed talis manifestatio potius consideranda est ut naturalis internae affectionis continuatio et evolutio. Aliis verbis ista manifestatio consideranda est ut naturalis illius affectionis fructus, per quam, quod animo conceptum erat, augescit et veluti in lucem editur. Res sequenti consideratione uberius declaratur. Animi motus, praesertim si intensiores et vividiores fuerint, sponte ac necessario in inferiorem, ut dicunt, hominis partem et per eam in ipsum corpus redundare solent, et propter nexum istum tum motus partis inferioris tum motus ipsius corporis de honestate aut malitia actus interioris vere et proprie participant. Iam vero locutio aut scriptio, per quam praesentes animi motus exprimuntur, ab huiusmodi actibus partis inferioris aut ab actibus corporis, qui inde consequuntur, parum aut nihil differt. Quare de huiusmodi locutione aut scriptione idem dicendum est, quod de ceteris actibus corporis v. gr. de risu aut fletu et huiusmodi dicitur. Et re quidem vera quis v. gr. dubitare poterit, quin simili ratione pecces, sive aliquem ad odium in proximum concipiendum excites, sive eundem ad odium iamiam conceptum sive per gestus sive per verba exterius manifestandum impellas aut utcunque ad huiusmodi manifestationem directe concurras? Quare si auctor inspiratus alicubi ex propria persona et de praesenti malos aut minus honestos animi motus expressisse inveniretur, eorum malitia necessario in Deum tamquam in causam directam referenda foret. Retinendum est ergo, doctrinam de Scripturae inspiratione non solum de exsistentia istorum affectuum certos nos reddere sed insuper etiam de eorum honestate nullum

[1] Si alicubi occurrat locus, ubi sacer auctor non deprehenditur manifestare motus animi, quibus in scribendo ipse agitabatur, sed solum historice refert, quid alia quadam occasione ipse senserit; de loco eiusmodi cum omnibus, quae ei insunt, iudicandum erit ex principiis supra *(n. 127. seqq. coll. n. 161.)* a nobis positis. Locum, qui in exemplum adhiberi posset i. e. in quo sacer auctor nonnisi historice referat, quid ipse aliquando senserit quibusque motibus animo affectus fuerit, habes penes Ionam Prophetam. Hoc exemplum scopo nostro eo commodius aptatur, quod ibi de animi affectu sermo habeatur, qui in Propheta a Deo ipso expressis verbis reprehenditur. *(Iona. IV. 3. 4.)*

dubium admittere.[1] Per haec etiam iam demonstratum est, quod in proposita assertione sub finem adiunximus. Significavimus scilicet, non solum affectiones ipsas sed et manifestationem illarum affectionum, prout ab auctore in Scriptura facta intelligitur, tamquam licitam ac utilem habendam esse.[2]

170. *Corollarium. Ex his ulterius consequitur, facta omnia et omnes personarum rerumque circumstantias, sine quibus veritas et honestas talium affectuum consistere non potest, si non immediate mediate saltem canonica niti auctoritate.* Haec assertio cum necessaria et immediata sit ex superioribus consequentia, non est novis argumentis demonstranda. Nihilominus quia prima fronte non parum obscura esse videtur, paulum explicanda est. Igitur quod dicimus, ita accipiendum est. Si v. gr. sacer auctor dicit, gaudere se aut tristari aut sperare aut mirari etc., ob auctoritatem ipsius Scripturae ex consequenti concedendum omnino est, in ea occasione eidem causam honeste gaudendi, tristandi, sperandi, admirandi, etc. adfuisse. Quodsi sacer auctor causam sui animi motus ipse indicaverit, concedendum ac tenendum est, eam praecise causam et adfuisse et

[1] Forte fingi potest casus, ubi sacer auctor solum theoretice et historice testatus fuerit, se, dum scriberet, aliquo animi motu fuisse agitatum, quin tamen eum motum ullo modo per scripta practice exprimere voluerit nec ipsa Scripturae verba talem animi motum de praesenti spirare videantur. Ad casum istum haec notamus. Ante omnia talis locus in classem eorum locorum pertinebit, de quibus dictum est in nota praecedente. Deinde hic casus mere hypotheticus esse videtur. A nobis enim hucusque nullibi in sacris libris eiusmodi locus reperiri potuit. Frustra pro huiusmodi exemplo provocares ad Paulum, qui in loco notissimo *(Rom. VII. 23.)* testatur, sentire se in membris suis aliam legem repugnantem legi mentis. Ibi enim non est sermo de motibus deliberatis sed de motibus, qui omnem deliberationem praevertunt. Iam vero huiusmodi motibus non inesse honestatem aut malitiam proprie dictam nemo nescit. Quare hic locus, quomodocumque de cetero exponatur, huc non pertinet.

[2] Quoad illos Psalmos, quos supra *(n. 167.)* indicavimus quique prima fronte diras imprecationes continere videntur, ex his necessario consequitur, eosdum in eo sensu accipi non posse, iuxta quem necessario inhonesti quidpiam iis significatum inveniatur. Quomodo deinde praecise intelligendi sint, sacris interpretibus explicandum relinquimus. Rationes allatae, ut hoc in fine addamus, non solum demonstrant, affectus istos debere esse honestos ac licitos secundum subiectivum dictamen conscientiae, sed etiam obiective et secundum rei veritatem.

secundum rei veritatem sufficientem ac iustam talis animi motus causam existere. Ceterum, ut quisque facile intelligit, haec non sunt urgenda ultra eum terminum, qui ad dictum finem stricte requiritur. Ita v. gr. ex eo, quod quis in praesenti iustam habet causam sperandi, nondum sequitur, spem illam in futuro frustrari non posse. Quare, ut exempla afferam, ex eo, quod Paulus scribit, sperare se, fore, ut aliquando Timotheum revisurus sit, aut ut suo tempore Romam adveniat, aut ut a captivitate liberetur, cum plena certitudine inferri non potest, ea omnia reapse suo tempore evenisse. Pariter ex eo, quod Paulus sibi propositum esse dicit, ut in Hispaniam abeat, nondum infallibiliter sequitur, eum reapse postea Hispaniam attigisse. Nam sicut proposita humana licet in se honestissima tamen non solum incerta sunt, sed etiam saepe mutatis praesertim circumstantiis honestae imo necessariae mutationi obnoxia; ita et spes humana ex natura sua fallibilis est et licet in se honestissima saepe frustrationi exposita. Quod si quis spem aut proposita, quae auctor canonicus in libro canonico manifestat, ab hac communi lege vellet excipere; is, ut nobis videtur, sine ratione sufficienti ageret. Haec enim ac similia tamquam id, quod sunt, h. e. ut proposita aut ut spes humana Scripturae inseruntur. Negare tamen nolumus, fieri posse, ut spes aliqua aut promissio a sacro scriptore verbis adeo efficacibus exprimatur, ut rationem prophetiae induere videatur. Quod si alicubi factum reperiatur, de ea utique non ut de spe humana sed ut de prophetia iudicandum erit, quae utique eventu frustrari non potest. Exemplum huius rei reperitur in Iob XIX. 25. seqq. *(cfr. Phil. I. 25. 27.)*, qui, dum verbis maxime emphaticis spem resurrectionis suae expressit, per ea merito ab omnibus de resurrectione prophetasse dicitur.

ARTICULUS TERTIUS.

De locis, in quibus dantur praecepta, mandata aut consilia.

171. Haud raro in Scriptura inveniuntur loci, in quibus sacer auctor non ex ore Dei sed ex propria persona aliquid praecipit, mandat aut consulit. Imo aliquando accidit, ut hagiographus, quod ipse praecipit aut consulit, ei, quod a Deo prae-

cipitur aut consulitur, expresse opponat. Quaeri igitur circa haec primum in genere potest: Quid de huiusmodi praeceptis, mandatis aut consiliis est tenendum? Deinde in specie quaeritur, utrum haec semper ac necessario iis legibus, praeceptis, mandatis ac consiliis accensenda sint, quae a theologis iuris divini dicuntur, necne. Quae praesertim posterior quaestio haud levis momenti esse cognoscitur. Nam quae sunt iuris divini, tum in se prae aliis specialem merentur venerationem tum pro hominibus omnino immutabilia et indispensabilia sunt. Quare a solutione huius quaestionis pendere intelligitur, quanta veneratio et immutabilitas certis praeceptis, quae habentur in Scriptura, ab omnibus tribuenda sit. Quaestiones istas solvemus sequentibus assertionibus.

172. Assertio prima. *Ex divinae Scripturae auctoritate de huiusmodi praeceptis, mandatis aut consiliis primo irrevocabiliter tenendum est, ea reapse suo tempore a sacro auctore fuisse data; deinde supponendum pariter est, ea, cum darentur, in se licita et spectatis omnibus circumstantiis bona ac laudabilia fuisse.* Haec omnia iisdem, quibus praecedentia, argumentis demonstrantur. Quare sufficit, quae paulo ante *(n. 168. 169.)* a nobis dicta sunt, mente recolere et rei praesenti applicare.[1] Ex his pariter consequitur, omnes rerum circumstantias, quae ad huiusmodi praeceptorum, consiliorum etc. honestatem et prudentiam requiruntur; suo tempore reapse adfuisse. Quare earum circumstantiarum veritas et existentia suo modo auctoritati ipsius Scripturae inniti concipitur. Rem illustremus exemplo. Paulus *(II. Tim. IV. 13.)*, dum vinculis Romae detinetur, mandat Timotheo, ut ipsi Troade secum afferat penulam, ut ait, et libros, maxime autem membranas. Hoc mandatum, ut apparet, plura supponit. Supponit v. gr., Paulum habuisse penulam, libros et membranas, quae suo tempore Troade reli-

[1] Si in Scriptura inveniatur locus, ubi sacer auctor non de praesenti aliquid praecipit, sed historice refert, quid ipse alias praeceperit; de eiusmodi praecepto ex saepius dictis eodem modo iudicandum est, ac de affectibus auctoris sacri alias habitis, quos idem in libro suo historice referre voluit. Per se intelligitur, in hac re nunquam non attendendum ad characterem personae, quae loquitur. Aliud enim semper est mandatum, quod Apostoli fuisse cognoscitur, aliud mandatum hominis privati. *(Cfr. n. 169 in nota.)*

querat; supponit, Timotheum tunc adhuc superfuisse et tunc temporis moratum fuisse in loco, ex quo Romam proficiscens facile Troadem attingere potuit; supponit, Timotheum tale iter tunc temporis animo agitasse. Haec ergo omnia revera ita se habuisse, fundatur aliquo modo in auctoritate Scripturae; quare haec ex Scriptura efficaciter demonstrari possunt.[1] Item, quae Paulus *(I. Cor. XIV.)* Corinthiis de usu charismatum in ecclesia mandasse legitur, ceteris omissis supponunt evidentissime, huiusmodi charismata tunc temporis in illa ecclesia admodum frequentia fuisse. Recte ergo pro temporibus apostolicis existentia talium donorum inter alia etiam ex hac Pauli epistola ostenditur.

173. Assertio secunda. *Cum Scripturae inspiratione minime pugnat, ut leges, mandata et consilia, quae sacer auctor in ipso libro inspirato conscribendo dedisse invenitur, non sint iuris divini; ea per se iuris tantum humani vel ecclesiastici esse possunt.* Ut vim huius assertionis eiusque demonstrationem melius intelligas, ante omnia accurate determinandum est, quid sibi velint, qui dicunt, praeceptum aliquod esse iuris divini. Illud igitur praeceptum vere ac proprie iuris divini dicitur, quod

[1] Praecepta huiusmodi non solum subiective, sed et obiective honesta et prudentia habenda esse, sive ea praecepta nequaquam, sicuti aliis praeceptis humanis etiam ecclesiasticis accidere potest *(cfr. Canus l. c. l. V. c. 5. q. 5.)*, ex errore aliquo licet inculpabili sacri auctoris originem ducere potuisse, nobis certum est. Et ratio huius doctrinae est manifesta. Concedimus igitur, prout ex mox dicendis apparebit, praecepta, de quibus agimus, interdum posse esse praecepta iuris humani aut ecclesiastici. Nihilominus sine dubio ea praecepta semper hoc peculiare habent, ut a scriptore inspirato data sint et sint data in edendo ipso libro inspirato, uno verbo data sint a scriptore inspirato in sensu, ut dicunt, reduplicativo. Quare sicut ex dictis generatim omnia, quae sacer Scriptor in libro inspirato dicit, Deo suggerente dicit; ita etiam quaecunque scriptor sacer scribendo mandat, quodammodo Deo suggerente mandasse dicendus est. Iam vero ex hoc concluditur, quod contendimus. Licet enim Deus, si velit, homini praecepta humana suggerere seu ipsi interne inspirare possit, quid ipse qua homo praecipiat: non tamen Deus potest vel in hoc casu suggerere aliquod praeceptum, quod aut illicitum aut in errore aliquo fundatum sit. Ratio ex supra dictis colligitur *(n. 169)*. In hoc ergo praecepta, quae ab auctore sacro in ipso libro inspirato data inveniuntur, semper a ceteris praeceptis humanis et ecclesiasticis differunt iisque praecellunt, quod tum subiective tum obiective bona esse debeant, et proinde nullo unquam falso supposito nitantur, quod de aliis dici non potest.

aut a Deo ipso immediate datur, aut, si datur per hominem, ab homine vere ac proprie Dei nomine datur. Ad hoc requiritur, ut persona ista in dando illo praecepto nonnisi internuntii et promulgatoris divinae munere fungatur. Minime vero sufficit, si agat tamquam proprii nominis ac iuris legislator, qui, licet ultimatim a Deo potestatem acceperit, tamen a Deo suo modo distinctus legislator est. Quare homo vel Angelus, cum ad praeceptum legis divinae proponendum concurrit, nullatenus suo sed solum Dei nomine et Dei auctoritate agit ac loquitur. Inde sponte consequitur, ut tale praeceptum a nemine nisi a Deo solo auferri, et in eo praecepto a nemine nisi a Deo dispensari possit. Econtra quidquid tale non est, sed ab homine in persona propria et auctoritate propria praecipitur et mandatur, sive ubi auctoritas praecipientis a Dei auctoritate utcumque sit distincta; id tamquam praeceptum aut mandatum iuris humani considerandum est. Solum ad praecavendam perversam intelligentiam notandum est, nos, dum hic de iure humano loquimur, terminum istum sumere in sensu latissimo, prout tum ius civile tum ius ecclesiasticum simul[1] complectitur. Tale ius, sicut ab homine auctoritate propria statuitur, ita eadem auctoritate aut omnino tolli aut per dispensationem relaxari semper potest.

174. His positis ad demonstrationem accedimus. Iam supra notavimus, quosdam Scripturae libros formam prae se ferre epistolarum, quae aut ad integras ecclesias aut ad personas ecclesiasticas aut etiam ad personas privatas ut ad familiares datae sunt. Insuper ibidem innuimus, in iis scriptorem sacrum fere continuo ex propria

---

[1] Immerito diceres, ecclesiam potestatem immediate a Deo accepisse, proinde, quod ab ea praecipitur, ius humanum dici non posse. Nam teste Paulo generatim verum est, non esse potestatem nisi a Deo, et tamen nemo negat, principes in re publica nonnisi leges iuris humani condere posse. Porro utrum potestas mediate an immediate a Deo sit, quoad rem nostram parum refert. Ecclesiastica enim potestas, in quantum est legislativa, reapse dicenda est potestas, quae a potestate Dei distincta est et ab ecclesia proprio nomine exercetur. Nec ecclesia in ferendis legibus suis mere internuntii et interpretis divini munere fungitur. Econtra scimus, Prophetas aut Apostolos, dum leges proponerent, si non in omnibus saltem ut plurimum non legislatorum humanorum aut ecclesiasticorum, sed interpretum et internuntiorum Dei munere fuisse functos. Quare quae ab eis ex hoc titulo sunt instituta, iuris divini habenda sunt.

persona loqui et ita haud raro eos exprimere animi motus, qui eius sunt proprii quique immediate et directe ad Deum transferri haud possunt. Simul significavimus, quomodo in huiusmodi libris ac locis inspiratio concipienda sit. Supponendum scilicet est, Deum in huiusmodi locis sacro auctori suggessisse affectus, non qui ipsi Deo, sed qui homini in talibus circumstantiis ac in tali officio constituto et a Deo specialiter moto convenire videbantur. Quo posito quis non videt, sicut in suppositione ista in huiusmodi Scripturae libris affectus animi reperiri possunt, qui, licet ex una parte boni semper ac sancti esse debeant, nihilominus ex altera parte vere humani minimeque divini dicendi sunt; ita etiam nihil obstare, quominus ibidem legantur praecepta, consilia et huiusmodi, quae, licet bona semper ac sancta sint, tamen suo modo mere humana sunt ac sensu stricto divina dici haudquaquam possunt? Sicut enim Deus sacro auctori in scribendo inspirare potuit, quid ipse qua homo probus ac sanctus sentiat, ita non minus concedendum est, Deum eidem suggerere potuisse, quid tamquam legislator humanus vel ecclesiasticus praecipiat subditis aut consulat aut quid qua amicus amico suadeat. Certe sicut Deus v. gr. Paulo dicere potuit: Haec nomine meo et ut meae voluntatis internuntius manda ac promulga hominibus; ita non minus potuit dicere: Haec tamquam legislator ecclesiasticus in ecclesia aut universali aut particulari pro tempore praesenti constitue. Iam vero si haec simul scripta ponantur in libro inspirato, habebimus revera in Scriptura praecepta iuris ecclesiastici. Si nunc quaeritur de ipso facto, praeter I. Cor. VII. 12, de quo infra *(n. 176.)*, ante omnia in exemplum adduci possunt, quae Paulus Corinthiis mandavit de agenda coena dominica *(I. Cor. XI. 33, 34.)* aut de usu charismatum in ecclesiasticis conventibus moderando. *(ibid. XIV. 27. seqq.)*[1] Multo certius exemplum est in iis, quae idem Paulus mandat Timotheo sive de penula sua *(II. Tim. IV. 13.)*, sive ut

[1] V. 37. videtur doceri contrarium. «Si quis, inquit, videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat, quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.» Nihilominus ea verba videntur nobis admittere interpretationem benigniorem, iuxta quam a Paulo, quae ibi mandat, non stricto sed latiori sensu Domini mandata dicuntur, sicut aliquando latiori sensu omnia mandata ecclesiastica divina vocantur aut saltem ita vocari possunt.

propter crebras infirmitates modico vino utatur. *(I. Tim. V. 23.)* Quis enim in re tam levi facile mandatum agnoscat divinum?[1] Confirmatur haec res auctoritate Ambrosii. Hoc enim sensu, ut nobis persuasum est, accipienda sunt verba Ambrosii *(in Luc. l. VIII. n. 7. et 8.)*, quae a multis alia occasione contra sanam doctrinam de inspiratione afferri consueverunt. Dicit ibi Ambrosius, quaedam in Moysis libris non a Deo, sed propter fragilitatem humanam scripta esse. *(Cfr. Hieronym. ep. 55. ad Amandum, et Denzinger l. c. p. 222.)*

175. Ex his in re nostra sequens colligitur principium: *Ut lex aliqua iuris divini esse dicatur, minime sufficit, eam in libro aliquo inspirato scriptam reperiri; neque in rigore sufficit, legem datam esse ab auctore inspirato in sensu reduplicativo et formali seu per ipsum librum inspiratum. Quare ad huiusmodi dubium certo definiendum ad alia criteria recurrendum est.* Cum hoc principium necessaria consecutione ex dictis inferatur, in eo demonstrando diutius non immoramur.[2]

Scholion primum. 176. Propter ea, quae in supra posito principio dicta sunt, admodum utile imo necessarium videtur tradere criteria, quibus natura legum ac praeceptorum, quae quocumque modo in Scriptura inveniuntur, certo cognosci ac tuto diiudicari possit, sintne iuris divini an humani. Nihilominus hoc negotium non proprie ad nos, sed ad hermeneuticam spectare videtur. Quare nobis sufficiat praecipua huiusmodi criteria hic breviter indicasse. Igitur primum criterium omniumque certissimum reponendum est in *expressa declaratione* ipsius sacri auctoris. Sicubi enim talis declaratio in Scriptura ipsa

[1] Quare si Timotheus Pauli verbis non obtemperasset, non Dei sed solum Apostoli aut amici mandatum violasse dicendus fuisset. Alia exempla invenies infra n. 176.

[2] Haec doctrina non solum canonistis sed et dogmaticis attendenda est. Si enim vera sunt, quae diximus, ex eo, quod v. gr. Paulus *(I. Tim. V. 19.)* Timotheo attribuit potestatem iudicandi de presbyteris, nondum invicte concluditur, Timotheum iure divino presbyteris superiorem exstitisse. Insuper in eo loco non tam de potestate ordinis, quam de potestate iurisdictionis sermo est, in qua, ut ex institutione metropolitarum patet, ab ecclesia iure proprio multi gradus institui possunt. Quare qui nulla facta distinctione inter potestatem ordinis et iurisdictionis locum istum assumunt ad demonstrandum, Episcopos iure divino presbyteris superiores esse, et in eo praecipue potestatem ordinis spectant, sine dubio argumentum ex omni parte firmum haud proponunt.

seu ab eius auctore certae legi aut praecepto adiecta reperiatur, omnis dubitatio excluditur. Exemplum huiusmodi habes penes Paulum in epistola prima ad Corinthios *(VII. 10.) (Franzel. de Trad. thes. I. n. II. sub b.)* Ibi Apostolus varia tradit praecepta, quorum alia expressis verbis a se ipso dari, alia a Deo data esse significat.[1] Aliud criterium ex *materia legis* aut praecepti desumi potest. Sunt enim plura, quae manifesto nonnisi a Deo supremo legislatore rerumque omnium domino mandari ac praecipi posse cognoscuntur. Exempla habes in lege, quae permittit libellum repudii *(Deut. XXIV. 1.)*,[2] et in mandato, quod per Moysen *(Exod. XI. 2. 3.)* datum est Israelitis exituris de captivitate Aegyptiorum et quo ab oppressoribus suis vasa argentea et aurea postulare et secum auferre iussi sunt. Per hoc enim mandatum de rebus materialibus ita disponitur, sicut a nemine praeter Deum disponi posse videtur. Alia exempla sunt in mandato de populis integris bello ac gladio delendis *(I. Reg. XV. 3.)*, in instituendis sacramentis Novi Foederis etc. Haec itaque et similia ex rei natura habenda sunt ut leges, mandata atque instituta iuris divini. Alia econtra sunt, quae in se tam levia apparent, ut vix materia digna mandato divino esse videantur. Exempla habes in iis, quae supra *(n. 174.)* ex Paulo indicata sunt, aut in salutationibus, quae passim ab eodem Apostolo in suis epistolis variis personis transmittuntur aut aliis communicandae mandantur et in aliis id generis. *(Cfr. v. gr. Rom. XV. Galat. IV. 10.)* Haec ergo quasi per se et ex natura sua ut humana humanique iuris sunt habenda. His duobus criteriis deficientibus *variae aliae circumstantiae* pro criterio plus minus certo in subsidium vocari

---

[1] Utrum verba, quibus haec declaratio continetur *(v. 12.)*, ad sequentia, ut primo aspectu videtur, an vero ad praecedentia referenda sint, ut nonnullis placet *(cfr. Picon. in h. l.)*, nostrum non est definire. Haud absimilia sunt, quae leguntur Exod. XII. XIX. XX. XXI.; I. Reg. XV. 2. seqq. etc. *(Cfr. n. 174. nota 1.)*

[2] Hoc exemplum minus aptum foret, si, ut quidam docuerunt, per hoc libellum divortium neque validum neque licitum evasisset, sed solum a poena legali fuisset exemptum. *(Cfr. Maldonat. in Matth. XIX. 7; Corn. a Lap. in l. c. Deut.; Marian. diss. pro Vulg. c. VI. in appendice ad commentarios Menochii; Hurter, theol. dogm. comp. tom. III. n. 671.)* At haec sententia parum probabilis merito videtur. Quare exemplum nobis apparet aptissimum.

poterunt. Quod dicere volumus, ita magis declaramus. Fieri potest, ut non appareat, unde ille, qui aliquid mandat aut instituit, ex sese potestatem illud mandandi habeat, nisi a Deo immediate eam accepisse supponatur. Exemplum huius generis haud improbabile habet sacra historia in institutione festi, quod Phurim dicitur. *(Esther IX. 20, 21. XI. 1. XVI. 22.)* Festum hoc ex sacro textu a Mardochaeo intelligitur institutum. Porro vix apparet, qua alia nisi divina auctoritate Mardochaeus tale festum instituere potuerit.[1] Ultimum denique et omnium universalissimum criterium in *analogia fidei, in sensu ecclesiae atque in scholae catholicae doctrina* positum est. Nam haec, sicut in ceteris ita et in diiudicando iure humano ac divino semper respicienda et in hac re pro norma praecipua habenda sunt. Hoc modo v. gr. definiri poterit, num omnia impedimenta matrimonii, quae in Veteri Lege constituta fuerant, divini iuris fuerint, et insuper, si quaestio pro tempore Veteris Testamenti omnino affirmanda videatur, num quaedam, quae pro eo tempore divina erant, ut v. gr. certi gradus affinitatis, pro Lege Nova abrogata fuerint. Item hac ratione innotescet, cuius generis sit praeceptum apostolicum de non ordinando bigamo *(I. Tim. III. 2, 12.)*, et aliae huiusmodi quaestiones dissolventur, quae ex sola Scriptura satis dubiae manent. *(Cfr. Suarez de fide disp. V. sect. 4. n. 5.)* Ceterum non omnes leges, quae in Scriptura continentur et ab Apostolis ipsis datae sunt, ut praecepta iuris divini consideranda esse, demonstratur invictissime ex praecepto de non manducando sanguine et suffocato, quod ab Apostolis in concilio Hierosolomitano promulgatum legitur. *(Act. XV. 20, 29.)* Nam hoc praeceptum ex eo, quod iam diu in ecclesia in desuetudinem abiit, haudquaquam iuris divini fuisse manifesto deprehenditur. Quare tandem in praesenti statuendum est hoc principium. *Origo apostolica, ubi de lege aut praecepto agitur, nequaquam infallibile iuris divini criterium constituit. (Cfr. Suarez l. c.; Canus l. c. l. III. c. 5.; Franzelin l. c. n. II. sub. b.)*[2]

[1] Verum quidem est, Mardochaeum fuisse ministrum regis Assueri. *(Esther XVI. 23, 24.)* Sed cum festum non mere civile sed religiosum sit, auctoritas regis gentilis aut eius ministri pro instituendo tali festo haud sufficere cognoscitur.

[2] Ulteriora exempla institutorum, quae in Scriptura continentur et nihilominus haudquaquam ut instituta iuris stricte divini habenda erant,

Scholion secundum. 177. Ex iis, quae in toto hoc libro et maxime in posteriore eius capite dicta sunt, facile intelligitur, quomodo nonnulli auctores catholici et nominatim nonnulli ecclesiae Patres *(cfr. l. I. n. 25, 26, 34.)* vero aliquo sensu et sine inspirationis praeiudicio dicere potuerint, in Scriptura nonnumquam humani aliquid reperiri, aut a sacris auctoribus nonnulla humano sensu esse prolata, aut aliqua eorum, quae in Scriptura leguntur, non ex spiritu divino sed ex sensu humano profecta esse et alia similia. *(Cfr. Mariana diss. pro Vulg. c. VI.)* Negare tamen nolumus, aliquos ex auctoribus catholicis aut etiam unum vel alterum ex ecclesiae Patribus, res, ut ex nostra hac tractatione elucet, satis intricatas non probe discernentes hinc inde obiter dixisse aliqua, quae, si non benigna interpretatione mitigentur, sed nativa verborum vi retenta stricto examini subiiciantur, prout materialiter sonant, tamquam minus vere et accurate dicta reiicienda sunt. Ratio, cur ita iudicemus, in aperto est. Scilicet si eorum verba tum secundum eum sensum, quem in rigore sonant, accipiuntur tum in omnibus accurate vera esse supponuntur, conceptus inspirationis, qualem nos hucusque proposuimus et ex sensu catholico per omnia retinendum censemus, quoad omnia non potest salvus consistere. Ceterum quia viri huiusmodi sine necessitate erroris insimulandi non sunt et quia iidem, ut iam insinuavimus *(ll. cc.)*, alibi veram ac plenam inspirationis doctrinam retinuisse inveniuntur, ideo omni censura praetermissa ad mitiorem interpretationem recurrendum esse videtur.

invenire potes in festis, quae tempore Machabaeorum celebrari coepta sunt. *(I. Mach. VII. 49. XIII. 52; II. Mach. XV, 36, 37.)* Haec enim solum humana potestate a Synagoga videntur introducta.

LIBER QUARTUS.

De nexu inspirationis cum sensu mystico.

PRAEAMBULUM.

Praenotiones de multiplici variorum sensuum genere.

178. Ut tota divinae inspirationis vis omnesque sacrorum librorum praerogativae, quae iis qua talibus insunt vel inesse possunt, sufficienter explicentur; merito quaeritur, an et quatenus inspiratio multiplicem libri sensum secum afferat. Aliis verbis quaeritur, an liber inspiratus, multiplicitatem sensuum quod attinet, prae libro non inspirato peculiare aliquid sibi vindicet. Nec dicas: Quaestio haec ad eos, quibus nonnisi plenum inspirationis conceptum explicare propositum est, nullatenus spectat; ea ad hermeneuticam sacram unice pertinere cognoscitur. Respondemus enim: Sacrae hermeneutices munus per se totum in eo est, ut pro interpretatione sacrorum librorum eas regulas statuat, quibus verus simul ac integer eorum sensus cognosci possit. Quare disciplina hermeneutica generalem quaestionem, utrum sacra Scriptura quoad argumenti copiam ac multiplicitatem sensuum prae aliis libris peculiare aliquid aut revera habeat aut saltem habere possit, per se ut iam solutam supponit aut supponere potest. Quodsi eam quaestionem hermeneutica nullibi solutam invenerit; tunc utique de ea quaestione tractare veluti invita cogitur; cum ea quaestione non soluta impossibile appareat dare regulas, quibus non solum verus sed et plenus ac integer sensus Scripturae ubique tuto inveniri possit. Certe, quod nemo negabit, solutio quaestionis, utrum liber inspiratus duplicem sensum contineat, verbalem unum mysticum alterum, imo utrum etiam multiplicem sensum literalem aut revera habeat aut saltem habere in abstracto possit aut etiam saltem interdum habere necessario debeat, sicut a vero inspirationis conceptu maxime pendet; ita ad plene cognoscendam inspirationis vim ac rationem haud parum conferre cognoscitur. Ita huius quaestionis

solutio non tam pars est hermeneutices sacrae quam eiusdem naturale praeambulum. Quapropter quaestionem istam iure proprio hic tractare nobis videmur. Ceterum haec, ut spero, in decursu tractationis evadent clariora. Priusquam vero tractationem istam aggrediamur, de multiplici sensuum genere generaliores quasdam notiones praemittere necessarium est. Igitur ex notionibus statim proponendis facile patebit, omne sensuum genus in duplicem scilicet in mystici ac literalis sensus speciem aptissime discerni. Quare quaestio hic agitanda revera duplex est. Primo quaeritur, sitne praeter sensum literalem admittendus etiam sensus mysticus. Deinde ulterius dubitari potest, an insuper admitti possit multiplex sensus literalis. Quae tractatio, cum satis longa sit, a nobis in duos libros dividitur. Agemus igitur in libro praesenti de sensu mystico; in sequenti de sensu literali sermo habebitur.

179. Locuturis de multiplici Scripturarum sensu haec ante omnia notanda sunt. Ecclesiae Patres, sacri interpretes ac theologi passim de multiplici Scripturarum sensu mentionem iniiciunt. Saepissime duo membra ponunt. Unum modo dicunt sensum *historicum*, modo *literalem*, alium modo *mysticum* aut *spiritualem*, modo *typicum* aut *propheticum*. Praeterea aliqui maxime ex auctoribus antiquioribus post s. Gregorium Papam omnino de quadruplici Scripturae sensu saepius loquuntur, quorum primum dicunt *historicum aut literalem*, secundum *allegoricum*, tertium *moralem seu tropologicum*, ultimum *anagogicum aut propheticum*. Haec versiculo notissimo exhibentur ac declarantur:

Litera gesta docet, quid credas, allegoria,
Moralis, quid agas, quo tendas, anagogia.

Hi literali sensu seu primo partitionis membro e priori partitione retento secundum membrum sive sensum spiritualem iterum in triplex sensuum genus dispescere videntur, allegoricum nimirum, moralem et anagogicum. His addi potest partitio, quae fit a pluribus in sensum *proprium, figuratum* et *symbolicum*, quem et *parabolicum* dicere possumus vel *allegoricum*. Horum primus, ut apparet, ille est, qui enascitur ex verbis acceptis proprie; alter, qui in iis locis involvitur, ubi verba metaphorice aut utcumque, ut dicitur, figurate posita inveniuntur; ultimus denique ille est, qui in parabolis aut aliis huiusmodi orationis adminiculis includitur, quorum indolem postea *(n. 184.)* accuratius determinabimus.

Ulterius interdum mentionem fieri videmus de sensu Scripturae *derivato*. Huic, ut apparet, opponitur sensus *primitivus*. Sensus itaque derivatus is est, qui nequaquam originarie et immediate in ipsa locutione continetur, sed per quandam consequentiam et ope ratiocinii ex sensu originario et primitivo deducitur. Occurrit insuper hinc inde mentio sensus *accommodati*, seu ut alii loquuntur, *accommodatitii* aut etiam *accommodi*, qui sensus pro casuum varietate a Graecis aut *καταχρηστικός* aut *κατ' ἔκβασιν* aut *κατὰ κόλλησιν* dicitur. Huic, qui solum per abusum pro vero Scripturae sensu habetur et immerito sacro auctori tribuitur, cum ab eius mente prorsus alienus sit, opponendus esset sensus *verus*, i. e. sensus, qui Scripturae revera inest, et non solum contra ius eidem obtruditur aut affingitur. Tandem moderniores nonnulli locuti sunt de sensu *mythico*, acsi nonnulla, quae in Scriptura historica esse videntur et revera historica sunt, mythica forent mythiceque exponenda. Huic item opponendus est sensus verus seu realis simul et historicus. *(Cfr Patrit. de interpret. Script. sacr. l. I. c. 1. 17. 18.)*

180. Ex his variorum sensuum generibus ultima duo genera statim missa facere possumus. Nam mythos in Scriptura nullos reperiri aut per se manifestum est aut aliunde demonstratum supponimus.[1] Sensum, qui accommodatus dicitur, re-

[1] Mythus parabolae aut fabulae affinis est. Non secus enim ac in parabola aut in fabula per mythum exhibetur aliquid, quod, cum in se verum non sit, aliud, quod verum creditur, significat. Per haec ante omnia mythus manifeste differt a typo, qui non solum aliquid a se diversum significat, sed et in se ac historice omnino verus sit necesse est. Insuper etiam a fabulis aut parabolis in aliquo mythus differre deprehenditur. Mythus enim in se speciem verae historiae exhibet. Unde in eo tum personae tum res communiter gerunt nomina historica, et ideo in narratione mythica fere semper significatio loci ac temporis, quod antiquissimum esse solet, adiecta invenitur. Quare fieri potest, ut tota narratio tum ab iis, qui audiunt, tum ab eo, qui rem proxime narrasse cognoscitur, pro vera historia habeatur. Haec omnia, ut patet, in fabulis ac parabolis e contrario accidunt. Ex his deinde sponte consequitur, significationem in mythis saepe esse occultissimam et haud raro nemini aut paucis sufficienter perspectam. Notant insuper, mythos non inveniri in momento nec ab uno homine excogitari sed potius in gente quapiam paulatim per poesin successivam nasci. Quare eius significatio neque ipsi inventori semper perfecte cognita est. His positis ad Scripturam nostram accedamus. Igitur qui in Scriptura mythos invenisse sibi visi sunt, ii non

vera Scripturae sensum non esse, iam innuimus et item per se facile intelligitur. *(Cfr Patrit. l. c. n. 490. et 471.—485. et hic n. 166.)* Omittimus pariter sensum derivatum. Is enim, licet dogmaticis aliisque ad varias veritates demonstrandas saepe sit utilis, revera potius sequela veri sensus Scripturae quam sui generis sensus dici debet. Nec sensus iste ullo modo specialem Scripturae praerogativam constituit.[1] Quare ad prae-

de rebus cogitarunt, quae parabolis aut fabulis simillimae sunt et qua tales ab omnibus statim agnoscuntur. Isti potius de iis sermonem instituisse inveniuntur, quae in se perfectam historiae speciem referunt, ut sunt creatio ac lapsus protoparentum, turris Babel aedificatio, primogenia populorum divisio, historia Patriarcharum, liberatio populi Israel de Aegypto, transitus maris rubri, legislatio in monte Sina etc. Mythos in hoc sensu in Scripturis nostris admitti non posse, ex multis rationibus manifestissimum est. Ut enim alia taceamus, semper ecclesiae Patres et catholici interpretes haec et generatim omnia, quae in nostris libris perfectam verae historiae speciem prae se ferunt, pro vera historia habuerunt. Quis vero catholicus a communi interpretatione totius antiquitatis recedere audeat praesertim in re tanti momenti? Accedit aliud incommodum gravissimum. Ita dicendum foret, sacros auctores et nominatim Moysen verum sensum eorum, quae scripserunt, penitus latuisse. Quis enim credet, haec Moysen non intellexisse in sensu omnibus obvio? Porro non audemus auctori inspirato tantam ignorantiam seu potius tot errores adscribere. Concedimus quidem et nos, forte unum vel alterum ex sacris scriptoribus aut ex Prophetis non omnia, quae dixit, quoad omnia perfecte perspecta habuisse. At aliud est, id in paucis locis permittere, aliud idem de quam plurimis gratis supponere, aliud adscribere alicui intelligentiam non per omnia perfectissimam, aliud aperte erroneam. Mythi igitur in Scriptura nostra non insunt. Ceterum si res solum in abstracto consideretur, sicut a libro inspirato non excluduntur fabulae aut parabolae, ita neque mythi absolute cum inspiratione pugnare videntur, cum a parabolis ac fabulis aliquando parum differant. Unum tamen in ea hypothesi omnino postulandum foret. Nimirum in ea hypothesi ad Deum ut auctorem libri huiusmodi spectare convincitur, ut hominibus suppeditet media, quibus tum mythos a vera historia discernere tum eorum significationem tuto cognoscere possent. Sed haec de hypothesi mere possibili satis. Nec vacat divisionem mythi, quam multi tradunt, in physicum, historicum, philosophicum ac religiosum aut accuratius explicare aut diutius persequi aut singulas mythi species propriis rationibus ex sacra Scriptura excludere. *(Cfr de his inter alios Patrit. l. c. c. 18. art. 4. et Hofmann hermeneutica bibl. in append.)*

[1] Sine dubio etiam in aliis libris suo modo de sensu derivato loqui possumus. Quodsi in Sciptura sensus derivatus peculiarem aliquam meretur attentionem, id inde est, quod Deus, qui est principalis Scripturae auctor, omnes suorum verborum et assertionum consequentias, quod de aliis

sentem tractationem non spectat. Divisionem deinde quadripartitam in sensum Scripturae historicum, allegoricum, moralem atque anagogicum quod attinet, ea in sensu, quo communiter accipitur, aut unice aut saltem primarie ex materia, de qua in certis Scripturae locis agitur, desumpta esse videtur. Ita in locis, ubi narrantur facta, sensus dicitur historicus; ubi altiora fidei mysteria docentur, mysticus aut spiritualis; ubi traduntur morum praecepta, moralis; ubi futura praenuntiantur aut promittuntur bona futuri saeculi, sensus anagogicus appellatur. Ad istam divisionem haec notamus. Sensus, qui appellatur historicus, nonnisi literalis esse potest. Ceterum observare licet, fidei mysteria, morum doctrinam et prophetias ac promissiones futurorum in nostris libris non semper aperte seu per literam sed aliquando per res seu mystice *(cfr. n. 182.)* inveniri expressa. Et hic est casus, quem partitio ista ex intentione auctorum prae oculis habet. Ideo per tria posteriora membra non tam sensus literalis sed sensus mysticus ratione argumenti in suas species dividitur. Et revera denominationes quod spectat, dum sensus aliquis allegoricus dicitur, ea denominatio ex vi sua nativa nonnisi de sensu mystico, denominationes vero sensus moralis ac prophetici per se aeque tam de sensu mystico quam de sensu literali accipi possent. Sed usus eas in hac partitione ad mysticum restrinxit. Ceterum, quod probe notandum est, auctores maxime illi, qui hanc sensuum divisionem primitus tradiderunt, nequaquam affirmare intendunt, Scripturam ubique aut saltem in quam plurimis locis omnes istos sensus simul continere, sed ad summum hinc inde praeter sensum, qui historicus dicitur, unum vel alterum ex dictis historico addere voluerunt. Ita etiam haec divisio aut ad nos nihil pertinet, cum satis obvium sit, Scripturam aliquando referre historiam, aliquando tradere mysteria fidei, aliquando homines ad bonos

auctoribus dici nequit, perfectissime perspectas habet. Quare dum Deus aliquid dixisse cognoscitur, quod principii locum tenere potest, una cum principio virtualiter asseruisse censendus est, quidquid ex eo per veram consequentiam deducitur, quod de humano auctore ex ratione indicata eodem iure asseri non potest. Qui ulterius scire desiderat, quatenus ea, quae hoc sensu continentur, haberi possint ut divinitus revelata, consulat dogmaticos, maxime ubi agunt de fide aut de censuris theologicis. *(Cfr v. gr. Franzelin de Deo Uno, proleg. II.)*

mores instruere, nonnumquam etiam continere prophetias et promittere bona aeterna; aut ad aliam, quae sensum Scripturae in sensum literalem et sensum mysticum distinguit, reducenda est. Sensum denique, qui generatim tropicus et magis in specie aliquando symbolicus sive parabolicus aut allegoricus dicitur, aliud non esse, quam speciem sensus literalis, ex infra *(n. 182. 220. 221.)* dicendis constabit. Manet ergo una et maxime celebris partitio in sensum literalem et in sensum mysticum, qui tamen a variis varie denominatur. Itaque ad naturam inspirationis penitus investigandam merito initio huius tractationis prae primis quaerendum esse diximus, quamnam connexionem habeat inspiratio cum sensu mystico.

181. Ad hanc quaestionem dilucidandam, ut quisque videt, ante omnia accurate determinandum est, quis sit sensus mysticus et quotuplex sensus mysticus cogitari possit. Deinde ante alia circa nexum inter inspirationem et sensum istum generaliores quaedam quaestiones proponi possunt, quae totam rem magis in abstracto considerant et nullo adhuc respectu habito ad specialiorem nostrorum librorum indolem. Exinde rem magis in concreto considerantibus aliae specialiores quaestiones enascuntur. De his omnibus singillatim agemus. Duo puncta priora utpote breviora in unum caput colligentes ultimo, quod uberiorem materiam praebet, proprium caput reservabimus.

CAPUT PRIMUM.

Notio sensus mystici cum quaestionibus generalioribus.

ARTICULUS PRIMUS.

Notio sensus mystici.

182. *Sensus mysticus* ante omnia est *sensus i. e. veritas quaedam in libro aliquo aut sermone humano contenta atque per eum expressa.* At in sensu mystico, prout communiter accipitur et sensui literali opponitur, *veritas illa non immediate, primo ac directe per verba libri seu sermonis declaratur, sed magis indirecte et secundarie adsignificata deprehenditur, alterius scilicet, qui primarius et literalis dicitur, sensus adminiculo.* Aliis verbis mysticus sensus ille *est, qui ex scribentis seu loquentis intentione per res, quae verbis libri vel sermonis directe et primarie expri-*

muntur, et praeter illas significatus intelligitur. Ad hoc vero inter alia requiritur, ut res, de quibus agitur, ab auctore libri seu a loquente etiam per se et non solum propter occultam earum significationem intendantur et asserantur. Talis sensus, ut apparet, tum in se semper satis occultus est tum necessario pro primo intuitu aliis rebus alioque sensu veluti obtegitur. Ideo sensus iste aptissime mysticus dicitur. Item ex hac descriptione elucet, eum sensum magis in rebus inveniri, quam in verbis, et nonnisi per res derivari in verba, quibus res ipsae describuntur. Quare optime s. Thomas *(Quodl. VII. a. 16.)*: «Spiritualis sensus *(qui idem est cum mystico)* sacrae Scripturae, ait, accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur.» Nota tamen accuratius, quod iam innuimus: Ad constituendum sensum mysticum non sufficit, significationem rebus per se inesse, sed ut significatio illa, quae aliquibus rebus per se inest vel saltem inesse potest, vere sensum libri vel sermonis constituat, sive ut ea res vere ab eo, qui loquitur aut scribit, significata atque asserta dici mereatur; insuper requiritur, ut auctor libri seu is, qui loquitur, veritatem illam tum in se cognoverit tum apposite per illas res, quas refert, occultiori modo exprimere et affirmare animoque legentis aut audientis ingerere voluerit.

183. Illustremus rem exemplis, quae ex ipsa Scriptura desumimus. Liberatio populi Israelitici ex captivitate Aegyptiorum aut salvatio Noe eiusque familiae e diluvio universali aptissime veluti in typo ac imagine liberationem repraesentant generis humani e captivitate daemonis et salvationem, quae per Christi merita ac baptismum a perditione mortis et peccati nos eripuit. *(I. Cor. X. 1. 2.; I. Petr. III. 20. 21.)* Isaac immolandus manu patris, Melchisedech rex Salem simul et sacerdos Dei altissimi, qui panem ac vinum Deo obtulit, David multimodis pressus malis persecutionibusque innumeris quassatus, Salomon rex pacificus, Ionas proiectus in mare et a pisce, qui eum devoraverat, tertia die vivus eiectus in terram *(Matth. XII. 40.)* vividae sunt imagines Christi Domini sive in vita, sive morte, sive glorificatione sua. Iacob Esau fratri primogenito benedictionem patris praeripiens magnam certe prae se fert similitudinem cum gentibus, quae populo Dei primogenito Israel in electione ad fidem a Deo praeferuntur. *(Rom. IX.)*

Idem dic de similitudine agni paschalis cum morte Christi sanctissimoque Eucharistiae sacramento. *(Io. XIX. 36.; I. Cor. V. 7.)*; de tabernaculo aut templo Veteris Testamenti cum suo sacerdotio suisque ornamentis ac ceremoniis in comparatione ad ecclesiam, sacerdotium atque instituta Novi Testamenti *(Hebr. V. seqq.)*; de primo sabbatismo, qui in Scriptura describitur, comparate ad quietem, quam exspectamus, patriae coelestis, aut etiam comparate ad ingressum et habitationem populi Israel in terra promissa *(ibid. IV, 8.—11.)*; de lege, qua in populo Dei antiquitus cautum erat, ne bovi trituranti os alligaretur, si ad ius referatur sacerdotis, quo de altaris ministerio vivat *(I. Cor. IX. 9. 10.; I. Tim. V. 18. coll. Deut. XXV. 4.)*; de amore sponsi erga sponsam in comparatione cum amore Christi erga ecclesiam *(Eph. V. 31. 32. coll. Gen. II. 24.)* etc. Dicimus ergo: Si sacri auctores, dum haec et similia in libris suis descripserunt, non solum hanc rerum, quas describebant, cum aliis rebus sive futuris sive utcumque occultis similitudinem cognoscebant, sed insuper, dum haec scriberent, per res illas alias res, quas diximus, occultiore ratione significare et affirmare intendebant; tunc in eorum scriptis reapse praeter sensum obvium et literalem alium adhuc sensum occultiorem invenire licet, quem merito mysticum dicimus. Id porro eo facilius intelligitur, si auctorem cogitamus, qui simul rerum omnium creator est et supremus dominus omniumque, quae fiunt, sapientissimus gubernator, ac simul supponimus, ab eodem res illas, de quibus agitur, eo animo aut creatas aut certa ratione ordinatas fuisse, ut simul cum veritate et utilitate, quam in se habent, etiam aliarum, quas diximus, rerum imago ac typus existerent.

184. Ex hac descriptione manifesto patet, quomodo sensus mysticus a literali differat.[1] Item ex dictis colligi potest, qua ratione hic sensus ab aliis sensuum generibus, quae supra tetigimus, distinguatur. Unum tamen hic uberiorem declarationem flagitare adhuc videtur. Quaeritur nimirum, per quae sensus mysticus ab eo sensu differat, qui sic dictis allegoriis inest aut parabolis, fabulis, similitudinibus, aenigmatibus, mythis aliisque huiusmodi symbolis. Nam sensus, qui parabolis inest,

[1] Accuratiorem descriptionem sensus literalis dabimus infra. *(n. 220. 221.)*

pariter suo modo occultus est et locutione minus accurata mysticus dici poterit. Igitur praecipua differentia in eo est, quod in allegoriis, fabulis, mythis et similibus res, quae sensum occultiorem continere cognoscuntur, in se verae non sunt, sed aut secundum ipsam intentionem auctoris aut saltem secundum rei veritatem mere in hunc finem narrantur ac finguntur, ut certa quaedam veritas, quae dicenda est, occultiori ratione exprimatur, seu ut verus sensus auctoris menti illius, qui legit, nonnisi sub quodam rerum sive imaginum involucro tecta ingeratur. Econtra res, quae mysticum sensum continent, semper etiam in se omnino verae et utiles esse debent. Aliquando utique, sicut in symbolis praecipue accidit, etiam extra sensum mysticum res, quae occultam veritatem indicare debent, vere sunt factae aut a loquente actu spectandae exhibentur. *(Ierem. XXXII. 1. seqq.; Ezech. IV.)* Sed quoad rei substantiam manet differentia indicata. Nam ubi de meris symbolis agitur, res symbolica unice in eum finem facta esse intelligitur, ut per eam occultior quaedam veritas significetur; nullo vero modo res istae symbolicae in se ipsis utiles sunt et propter se ipsas factae cognoscuntur. Licet igitur certae actiones symbolicae tum factis revera fuerint exhibitae, tum ab eo, qui de iis scribit aut loquitur, qua tales in medium afferantur, semper tamen verum manet, quod nonnisi propter significationem, quam habere cognoscuntur, tum ab agente factis exhibitae tum a loquente aut scribente in medium allatae fuerint. Quare qui haec legens vel audiens vel oculis coram spectans credit, ea fieri propter se ipsa aut sui causa proponi, sicuti mentem agentis vel loquentis vel scribentis non satis assequitur, ita sine dubio errorem committere dicendus est. Ita in symbolis istis reapse non multiplex sed unus est sensus ab auctore intentus, scilicet ipsa res seu veritas significata per symbolum. Alia, quae symbolum constituunt, reapse sensus sermonis dici non possunt; cum sint mera sermonis adminicula pro unico et vero sensu exprimendo. Porro sensus iste, qui inest symbolis, mysticus stricte dici non potest.[1] Nam

[1] Nos hunc sensum sensui literali accensemus. Ratio est manifesta. In locis huiusmodi ex dictis unicus reapse est sensus. Iam vero ex omnium fere persuasione literalis sensus sermoni aut libro nullibi deesse potest. Quodsi hunc sensum literalem dicere nolueris, nondum per id mysticum idcere cogium.r Possumus enim eum statuere in medio inter literalem et

ubi agitur de sensu stricte mystico, res, quae per modum imaginis aut typi aliam veritatem occultiorem continet, tum in se vera i. e. verum factum historicum esse debet, tum qua tale factum ab auctore referatur et asseratur necesse est. Unde in his revera duplex est sensus. Unus literalis est et in relatione historica facti alicuius aut instituti vel in descriptione reali et veridica alicuius personae aut rei historicae consistit. Alter in occultiore illa continetur veritate, quam hae res non solum

mysticum. Singularis certe est casus, ubi agitur de symbolo, quod, cum re ipsa fuerit exhibitum, ab auctore qua tale describitur et simul cum sua significatione lectori repraesentatur. Sed etiam in hoc casu sensus, qui symbolo exprimitur *(cfr. Ierem. XXXII. 1. seqq.)*, ut nobis videtur, minus proprie mysticus diceretur. Ratio est, quia in hoc casu habemus quidem sensum latentem. At is non latet sub alio sensu, qui directe et per se intenditur, nec subest rei, quae et ipsa directe et per se affirmatur, quod ad sensum mysticum proprie dictum omnino requiritur. Symbolum enim solum propter aliud intenditur et exhibitum affirmatur. Praeter hos locos symbolicos inveniuntur in Scriptura nonnulli loci exhibentes res vel facta, quae cum vera sint facta historica, nihilominus simul parabolae aut symbola dici debent. Talis est cum probabilitate satis magna Christi narratio de Samaritano, de filio prodigo, de Lazaro et epulone, et relatio Evangelistae de ficulnea arefacta. *(Luc. X. 33. seqq; XV. 11. seqq; XVI. 19. seqq.; Matth. XXI. 19. seqq.)* In his utique duplex est sensus, historicus unus, doctrinalis alter. Utrum unum literalem, alterum mysticum, an vero utrumque literalem dicere velis, non multum nostra refert. Nobis hoc secundum magis placet. Concedimus tamen et nos, in his exemplis sensum literalem non omnino eadem ratione duplicem dicendum esse, qua ab antiquis temporibus communiter quaeritur, an in Scriptura duplex interdum sensus literalis occurrat vel occurrere possit. Ex his etiam vides, cur nos hunc, de quo agimus, sensum mysticum potissime appellaverimus, dum a multis modo allegoricus, modo propheticus, modo spiritalis seu spiritualis, modo typicus dicitur. Haec enim nomina, praesertim priora duo, maxime si ab eorum etymo ac naturali vi non omnino abstrahatur, pravae intelligentiae sunt obnoxia. Nam allegoricus certe optime ille sensus dicitur, qui parabolis et aliis huiusmodi symbolis subest. Iam vero ille, ut ex dictis patet, non est proprie sensus, de quo hic quaeritur. Propheticus deinde non est solum sensus mysticus, sed saepe etiam literalis. Nec omnis sensus mysticus semper stricte propheticus est aut esse debet. Spiritualis vero facile refertur ad rem, quae sensu continetur. Ita autem saepe sensus literalis maxime spiritualis videri poterit. Neque nomen sensus typici rei nostrae omnino convenit, quia, ut ex dicendis *(n. 198. seqq.)* patebit, non omnis res, sub qua mysteriosus sensus latet aut latere potest, satis apte typus dicitur. *(Cfr Patrit. l. c. l. I. c. 9. art. 4.)* Maneat ergo huic sensui denominatio mystici, quam omnium aptissimam esse credimus.

in se referre aptae ac veluti natae sunt sed ex intentione auctoris revera referunt seu manifestare debent. *(Cfr. Patrit. l. c. c. 2. c. 3. a. 4. c. 16. a. 3. n. 452.; Serarii proleg. bibl. c. 21. q. 2. seqq.; Suarez de fide, disp. V. sect. 3. n. 12.; Aug. de doctr. Christ. l. III. c. 12. n. 20.; Hurter comp. theol. dogm. tom. III. n. 356.)*

185. In fine propter ea, quae postea dicturi sumus, iam hic *speciale aliquod genus sensus mystici* innuendum censemus. Igitur in se certe non repugnat, auctorem alicuius libri in delectu rerum, quas in libro tractat, et in rerum tractandarum ordine eum tenere modum, ut per istum rerum delectum totumque tractationis ordinem modo quodam occultiori ac mysterioso innuatur aliquid, quod auctor ingenioso lectori sub aliarum rerum tegumento ac superficie inveniendum relinquit ac proponit. Exemplum simile habes in sic dictis acrostichis. Ibi, ut omnibus notum est, praeter communem scribendi usum etiam literae initiales nomina formant ac verba integrasque propositiones, quae ex intentione scribentis fundunt sensum sibi proprium. Simili igitur ratione cogitare licet, vice literarum initialium res, quae alicuius libri vel partis libri materiam seu argumentum constituunt, consulto ab auctore quopiam ita selectas atque inter se ordinatas fuisse, ut sive per se sive per ordinem suum, quo tractantur, sive per utrumque aliquid occultius innuant. In hoc casu per rerum delectum et per ordinem ac tractandi methodum efficitur, ut rebus sic ordinatis ac selectis quaedam significatio inesse cognoscatur, quae illis rebus per se et extra librum aut nullo modo inest aut non ita clare ac perspicue. Quo posito ita ratiocinari licebit. Si Deus, ut exempla superius *(n. 183.)* allata ostendunt, rerum cursum ita disponere potuit, ut per eum occultiores quaedam veritates repraesententur ac manifestentur; cur non poterit eodem modo ex multiplicibus ac pene infinitis rebus, quae per decursum historiae suo tempore factae inveniuntur, pro materia alicuius libri talem delectum facere selectasque in eodem libro ita inter se disponere, ut ex illis rebus rerumque dispositione simul consideratis occulta ac specialis quaedam exsurgat significatio? Res ista inferius *(n. 212. seqq.)* clarior evadet, cum quaeremus, num tale aliquid reapse in nostris libris inveniatur. Ibi enim exempla, quae ad rem magis declarandam inservire poterunt, in medium affe-

remus. Modo haec innuisse sufficiat. Unum tamen adhuc vel alterum hic ad perfectam huius rei intelligentiam monendum superest. Ante omnia in praesenti hypothesi, ut apparet, ad communem libri sensum, qui directe per verba exprimitur, alius manifesto sensus accedere intelligitur. Porro sensus iste secundarius non per verba directe exprimitur, sed potius in rerum delectu et tractationis ordine continetur. Ex his licet inferre, quae sequuntur. Si auctor materiam libri, quae aliunde per se et directe intenta esse supponitur, consulto et praecise in dictum finem ita delegerit atque ordinaverit; tunc uterque sensus ab auctore libri vere intentus dici debet et revera sensum libri constituit. Prior sensus, ut supponimus, ex verbis libri apertissime hauritur; quare literalis est. Alter vero magis latet. Nihilominus fieri potest, ut variis indiciis plus minus obscure prodatur; et ideo ab eo, qui legerit, adhibitis omnibus interpretationis adminiculis absolute inveniri poterit. Iam vero hic sensus secundo loco indicatus sicut a sensu, qui literalis dicitur, longissime differt, ita satis commode ad genus sensus mystici revocatur. Si dicimus, sensum istum pertinere ad genus sensus mystici; ratio in aperto est. Quia hic sensus, quod sensus mystici proprium esse diximus, tum ubique completum sensum literalem proprie dictum supponit tum nequaquam directe verbis exprimitur, sed totus rebus, seu, quae et ipsa suo modo res est, materiae delectu et tractationis ordine continetur. Concedimus tamen, hoc genus sensus mystici ab illo, qui communiter mysticus cogitatur ac dicitur, haud parum differe.[1] Haec omnia, ut spero, post allata suo loco exempla magis perspicua erunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De relatione inter sensum mysticum et inspirationem quaestiones generaliores.

186. Notione sensus mystici constituta de eius nexu cum inspiratione multiplices quaestiones moveri possunt. Nam ante

[1] Etiam in acrostichis duplex sensus invenitur. Sed ibi manifesto sensus uterque literalis dici debet. Nam uterque verbis disertis exprimitur. Et revera in sic dictis acrostichis quoad sensum illum, qui occultior videtur, reapse non sensus, sed solum verba occulta sunt. Sensus enim

omnia rem omnino in abstracto considerando quaerere quis posset, an talis sensus libro inspirato non solum possibilis, sed etiam necessarius ac veluti essentialis sit. Deinde dubium exoritur, utrum huiusmodi sensus sit libris inspiratis absolute proprius, an econtra aliquatenus etiam libris profanis inesse possit. Denique magis in concreto quaeritur, an et quatenus nostris libris huiusmodi sensus insit vel non insit. Has et similes quaestiones in sequentibus, quantum fieri potest, enodabimus. Tractabimus in hoc articulo solum quaestiones generaliores; quaestiones enim magis speciales capiti sequenti reservabimus. Quo posito rem praesentem sequentibus assertionibus absolvemus.

187. Assertio prima. *Sensus mysticus in genere acceptus ante omnia pro libro inspirato possibilis censeri debet.* Haec assertio post declarationes supra datas ex ipsis terminis evidens est, et sicut ex dictis in sectione praecedente satis declarata relinquitur, ita ex iisdem pro demonstrata haberi potest. Quis enim homo sanae mentis, ne dicam christianus, audebit negare, quin Deus, a quo omnia tum in fieri tum in esse tum in agendo pendere cognoscuntur, res creatas, facta humana institutionesque ac personas historicas ita disponere potuerit, ut simul aliarum rerum, v. gr. factorum, institutionum personarumve futurarum aut utcumque occultiorum veritatum typi ac imagines existerent? Quo semel concesso quis item ulterius incredibile ducet, hanc rerum dispositionem a Deo ideo factam esse, ut pro hominibus revera aliarum rerum typus ac signum existant et a scriptore quopiam praecise qua tale nomine ipsius Dei historice describantur ac proponantur? Iam vero haec ad constituendum sensum mysticum abunde sufficiunt. Una est alicuius momenti difficultas, quae contra hanc rem obmoveri potest. Est autem ista. Ut aliquid sensus libri dici possit, debet esse eiusmodi, ut ab iis, qui legunt, aliquo modo cognosci queat. Atqui non apparet, quomodo, qui legit, in libro aliquo ad eum, quem descripsimus, mysticum sensum intelligentia sua assequendum pertingere valeat. Ad haec plura reponimus. Primo poterit Deus, si ei placuerit, in rebus ipsis, quae mysticam significationem habent,

ipse in huiusmodi verbis semel inventis apertissimus esse potest. Ceterum, quantum scimus, in Scriptura nihil tale invenitur, quod acrostichis annumerandum videatur.

necnon in ipso modo, quo tales res in libro inspirato describuntur ac referuntur, ponere haud obscura occultae significationis indicia. Deinde nemo negabit, fieri posse, ut Deus, si opus fuerit, sive per se ipsum sive per humanum libri inspirati auctorem sive per alia revelationis organa hominibus hunc mysticum Scripturae sensum aperiat. Haec omnia facto ipso confirmantur. Nam, ut incidenter iam innuimus et mox ex professo demonstrabitur, nostri libri sacri hinc inde talem sensum revera exhibent, qui homines haudquaquam penitus latet aut latebat.

188. Assertio secunda. *Scriptura nostra generatim loquendo mystico sensu non est penitus destituta.* Etiam ista assertio in hac sua generalitate ex superioribus demonstrata haberi potest. Nam exempla, quae ad indolem sensus mystici declarandam superius *(n. 183.)* attulimus, ex nostra Scriptura omnia sunt desumpta et plura eorum manifesto in Scriptura revera talem sensum habent. Idem non solum sensus ecclesiae et catholicorum interpretum praxis apertissime testatur, sed et Scriptura ipsa in certis locis, quos ibidem simul citavimus, satis clare docet. *(Cfr Patrit. l. c. c. 10. et 13.)* Idem deinde alii concludunt ex verbis Christi resuscitati *(Luc. XXIV. 44. seqq.)*, quibus testatur, in passione et resurrectione sua omnia esse impleta, quae in lege Moysi, in Prophetis et Psalmis de se antiquitus scripta erant. Hi ita argumentantur. In Pentateucho, quae in oppositione ad Psalmos ac Prophetas Lex dicitur, de Christi passione et morte nullibi verbalis prophetia legitur. Quare necesse est dicere, Christum de prophetiis realibus sive de sensu typico locutum esse .Et revera manifestos typos passionis Christi habes ibidem in agno paschali aliisque sacrificiis, quae in Pentateucho descripta inveniuntur. Quare Christus ipse mysticum talium locorum sensum testimonio suo approbasse deprehenditur. *(Cfr August. contra Faustum l. XII.)*

189. Vindicato in genere sensu mystico duplex quaestio remanere videtur. Primo nimirum quaeri potest, an in nostra Scriptura etiam illud extraordinarium sensus mystici genus occurrat, quod supra *(n. 185.)* in fine praecedentis articuli descripsimus. Deinde dubitari poterit, an sensus mysticus libro inspirato omnino essentialis sit. Quaeritur aliis verbis, an esse aut cogitari non possint libri integri aut saltem textus quidam inspirati, in quibus sensus mysticus haud reperiatur. Priorem

quaestionem utpote magis specialem in caput sequens reiicimus. Alteram vero hic solvimus assertione sequenti.

Assertio tertia. *Non est necesse, ut in quolibet Scripturae loco aut saltem in quolibet eius libro praeter sensum literalem reperiatur etiam sensus mysticus; imo sensus mysticus de facto in Scriptura adeo frequens non est.* Sanctus Augustinus data occasione *(de civ. Dei l. XVII. c. 3.)* testatur, reperiri nonnullos, qui ubique in Scriptura sensum occultum ac mysticum invenire conantur, nec s. Doctor eorum studium absolute improbat. Nos, ut ex statuta assertione apparet, cum huiusmodi hominibus, si qui adhuc supersunt, non tanta moderatione utendum esse censemus. Assertionem nostram suademus ante omnia argumento negativo, cui tamen pro ratione materiae vim argumenti positivi inesse putamus. Igitur nulla certe convincens ratio assignari potest, ex qua necessarium esse dicatur, ut omnis liber inspiratus aut omnino in omnibus ac singulis suis partibus aut saltem aliquoties multiplicem sensum exhibeat. Aliis verbis non apparet ratio, cur sensus literalis per se solus pro inspiratione non sufficiat. Quid enim, quaeso, obstat, quominus Deus, qui primarius librorum inspiratorum auctor est, librum edidisse supponatur, qui per omnia nonnisi literalem sensum exhibeat? Dicet forte aliquis, librum inspiratum tum sublimitate conceptuum tum copia ac multiplicitate sensus prae aliis libris oppido debere excellere. Ad ista ita respondemus. Si pro libro inspirato nonnisi sublimitatem sensus requirere intendis, ea certe in gradu excellentissimo literali etiam sensui inesse potest. Id inter alia monstrat initium Evangelii Ioannis atque conclusio Evangelii Matthaei et Marci, in quibus, licet sensus ubique nonnisi literalis sit, sublimitas sententiarum invenitur quam maxima. Si ulterius contendis, quod obiectio innuere videtur, cum sublimitate conceptuum necessario necti multiplicitatem sensus vel hanc multiplicitatem aliunde ab indole libri inspirati omnino postulari; id nos negamus, et profecto demonstrandum tibi foret, non mere asserendum. Sed veniamus ad aliud argumentum assertionis nostrae. Igitur inspicienti Scripturas nostras statim manifestum erit, in ea occurrere locos fere innumeros, ubi de mystico sensu cogitare nullatenus licet. Quomodo enim, quaeso, in praeceptis decalogi aut in praecepto duplicis charitatis, Dei videlicet et proximi, in oratione dominica,

in locis quibusdam historicis, ut in eo, quod narratur de Tobiae cane aut de Pauli penula, sensum aliquem mysticum quaerere serio quis in animum inducat? Idem etiam de integris libris dici potest, ut inspicienti epistolas Pauli aut alias, quae catholicae dicuntur, facile patebit. Verum quidem est, a Patribus haud raro exaggerari Scripturae profunditatem ac multiplicitatem sensus in ea praedicari. Ita v. gr. Hieronymus *(in Eph. III. 6.)* de Scriptura affirmat, omnia plena esse sensibus, nihil ibi esse sine mysterio. Sed reponimus primo, haec forte a Patribus non sine hyperbola dicta esse. Deinde haec et similia non de tota Scriptura distributive sive de singulis Scripturae locis aut libris, sed de Scriptura in genere et in specie de iis locis dicta esse intelliguntur, de quibus Patres data occasione proxime agunt. Tandem non apparet, cur similia non possint dici de loco, ubi sensus quidem nonnisi literalis est, sed in eodem plura mysteria magna pariter ac profunda expressa inveniuntur. *(Cfr. Patrit. l. c. c. 14. q. 2.; Iosephus Acosta de vera Script. interpr. ratione l. III. c. 15. et 16.)* Ultimo aliam addimus considerationem. In libris, qui sicut plures ex nostris aut ex integro aut maximam partem historici sunt aut fere in toto morum doctrinam enuntiant, quod ab adversariis contenditur, non solum probabile non est, sed vix ac ne vix quidem possibile esse videtur. Quomodo enim libri huiusmodi in singulis locis ac in rebus singulis, quas tractant, sub sensu literali mysteria altiora contineant? Certe tales libri, si forte possibiles sint, saltem hominum ingenio non adeo accommodati esse videntur. In ea enim hypothesi fieri vix poterit, quin eorum sensus quoad plurima hominibus magnam partem in perpetuum impervius maneat ac clausus. Quare ad quid libri isti cum tanta sensuum copia inserviant, vix intelligitur. Ergo, quod ex dictis corollarii instar relinquitur, *sensus mysticus sicut in Scriptura non adeo frequens est, ita nunquam praesumendus sed specialibus semper indiciis demonstrandus est.*

190. Alia quaestio hic non sine utilitate proponi potest. Nimirum declarandum superest, *quid relate ad sensum mysticum libri inspirati prae libris non inspiratis peculiare habeant.* In hac re S. Thomas *(Quodl. VII. a. 16.)* absolute et sine ulla restrictione docet, sensum mysticum ita esse sacrae Scripturae proprium, ut in nullo alio libro reperiri possit. Ita enim

scribit: «In nulla scientia humana industria inventa proprie loquendo inveniri potest nisi literalis sensus, sed solum in ista Scriptura, cuius Spiritus sanctus est auctor, homo vero instrumentum.» Ratio huius doctrinae ab eodem additur his verbis: «Spiritualis sensus sacrae Scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in suo cursu, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod est eius solius, qui sua providentia res gubernat, qui solus est Deus.» *(Cfr. 1. q. 1. a. 10.)* Circa hanc doctrinam aliqua dubia moveri posse videntur. Primo recolendum et retinendum est, sensum mysticum, ut docet ipse s. Doctor, magis in rebus reperiri quam in verbis. Quo posito contra ea, quae paulo ante a s. Thoma dicta audivimus, ita excipere quis posset: Concedo, res a solo Deo ita ordinari posse, ut mysticam significationem habeant. At suppositione facta, quod res reapse a Deo hoc modo ordinatae sint, quid obstat, quominus res istae, postquam semel a Deo ita ordinatae fuerint, ab auctore profano referantur et describantur ac consequenter in libro, qui non sit inspiratus, propositae inveniantur? Nonne v. gr. historia populi hebraici, sacrificia ceteraeque institutiones Veteris Testamenti, quae typicam significationem habebant, a profanis auctoribus referri ac describi poterant ac reapse a nonnullis, ut a Iosepho Flavio aut a Philone Iudaeo, aliquatenus in suis scriptis relata ac descripta inveniuntur? Cum igitur, ut conceditur, rebus, quae describuntur, historiae, quae narratur, mystica insit significatio, quid descriptioni talium rerum aut narrationi historicae ad mysticum sensum deesse poterit, utut ipsa narratio ac descriptio legatur in libro non inspirato seu penes auctorem profanum? Reponi poterit: Ut significatio mystica cum veritate sensus libri dici possit, praeter et ultra ista necessario duo alia requiruntur. Exigitur enim 1., ut res, quibus significatio subest, ab ipso auctore aut existentiam aut ordinem suum acceperint. Saltem 2. omnino necessarium esse intelligitur, ut scriptor tum rerum, de quibus agitur, significationem agnoverit tum eandem scribendo manifestare voluerit. Porro id in auctore profano semper et necessario deerit. Ad haec, qui opponit, ita replicare posset. Ante omnia si, quod primo loco dictum est, stricte exigitur, ergo verum non est, sensum revera et per se rebus

ipsis inesse. Id autem satis difficile videtur. Rebus enim mysticis ac typicis significatio revera inest, undecunque originem duxerint. Ita certe somnia Pharaonis semper prophetica manebant, sive a Pharaone ipso sive a Ioseph proposita intelligantur. Quod autem secundo loco postulatur, pro auctore profano omnino impossibile non videtur. Potuit enim variis de causis rerum significationem saltem ex parte perspectam habere. Quo semel posito intentio etiam, quae ultimo loco simul exposcitur, in tali auctore non apparet absolute impossibilis. Sed de hac re postea. Ulterius non adeo certum videtur, quod ab initio pro certo assumitur. Cur enim homini omnino impossibile erit, res aliquas ita ordinare ac instituere, ut eae, sicut s. Thomas loquitur, cursum suum peragentes significent aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur? Aliis verbis cur homini impossibile dicatur, agere vel instituere aliquid, quod tum in se verum et descriptione dignum existat tum alterius rei sit significativum? Taceo hic reges et rerum publicarum gubernatores, quibus, si qui potentissimi simul ac prudentissimi fuerint, non solum totam rei publicae constitutionem ac leges institutorumque publicorum indolem ex praeconcepto consilio ordinare pro arbitrio licuit, sed et aliquando belli pacisque exitum pro libitu constituere totumque humanarum rerum cursum pro tempore aliquo ex suo fere arbitrio atque ingenio dirigere favente fortuna concessum fuit. Nonne plerisque saltem constanter concessum est, tum suae ipsius vitae cursum tum domus ac habitationis conformationem tum propriae familiae vitam sortemque secundum certum ac praeconceptum aliquod consilium ordinare atque dirigere? Simile quid certe in nonnullis haereticorum aut philosophorum sectis videre licuit et aliquatenus in religiosis ecclesiae catholicae familiis perpetuo prae oculis versatur. Quid igitur impedit, quominus quis in vita familiaque sua ordinanda occultiorem aliquam ac mysteriosam significationem quaerat? Quodsi ei utcumque e votis cesserit, quid item prohibet, quominus deinde ea omnia in aliquo libro narrare ac describere in animum inducat et simul cum narratione ac descriptione etiam illam occultiorem significationem legentibus manifestare intendat? Ita reapse in tali scripto omnia haberes, quae pro mystico sensu constituendo postulantur. Saltem concedendum erit, haec mystico sensui

simillima videri. Denique recolendum est, a nobis supra *(n. 180.)* singulare aliquod sensus mystici genus indicatum ac descriptum fuisse. Porro hoc genus sensus mystici, cum non tam in rebus, quam in tractandi ordine rerumque delectu contineatur, scriptori non inspirato multo magis possibile apparet. Cum igitur tale aliquid Scripturae inesse infra demonstrabimus, saltem in eo liber profanus aliquatenus cum Scriptura sacra convenire posse videtur. Certe hoc genus sensus mystici a ratione, quam s. Thomas affert, nequaquam attingitur aut excluditur.

191. Propter has igitur rationes doctrinam angelici Doctoris aliquantulum temperandam putamus. Ita sententiam nostram circa hanc quaestionem sequenti assertione aperimus.

Assertio quarta. *Licet sensus mysticus in tota sua generalitate nequeat dici libris inspiratis absolute et exclusive proprius libroque non inspirato simpliciter impossibilis; illud tamen, quod huius sensus genus est longe praecipuum, Scripturae dicendum est exclusive proprium scriptorique profano impossibile. Si ergo aliquod sensus mystici genus humana arte in librum mere humanum derivari potest, illud omnium infimum est et prae maiestate mystici sensus, qui Scripturae inest, ut non dicam puerile, certe admodum humile merito videtur.* Hanc propositionem demonstraturi ante omnia nonnulla monebimus circa obiectiones, quas contra s. Thomae doctrinam paulo ante proposuimus. Igitur primam observationem quod spectat, libenter concedimus, sensum mysticum magis contineri rebus quam verbis. Sed simul negamus, omnem librum, in quo res, quae significationem mysticam habent, relatae inveniuntur, proprie et in rigore semper habere sensum mysticum. Bene enim iam observatum est: Ut non solum res, sed liber ipse mysticum sensum habere dicatur, necesse omnino est, ut auctor libri illam rerum significationem tum in se cognoverit tum scribendo manifestare intenderit. Imo in eum finem hic sensus ab auctore congruis indiciis, quae aut in verbis aut in toto scribendi modo continentur, sufficienter innuatur, necesse est. *(Cfr Patrit. l. c. c. 16. a. 2.)* Iam vero significationes rerum, quae occultiore consilio a Deo ordinatae sunt, maxime si profundiores ac propheticae fuerint, ab auctore profano aut vix aut nullo modo cognosci posse videntur. Quomodo ergo talis auctor earum manifestationem in suo libro intendere ac verbis modo-

que loquendi eas subindicare poterit?[1] Ad secundum item illud, quod contenditur, aliquatenus concedimus. Fieri enim non raro solet, ut homo ad certam praeconceptamque formam vitam suam instituat, vel etiam ut in aliorum vitam, in legum ac rei publicae humanae constitutionem, in pacis bellique exitum haud parum influat; ex quo deinde cetera consequuntur. Sed teste divina Sapientia *(IX. 14.)* cogitationes mortalium timidae sunt et incertae providentiae nostrae. Quare si quando factum fuerit, ut rerum eventus praeconcepto hominis consilio responderet: id ante omnia erit in paucis admodum; et in iis etiam, in quibus fit, casu magis quam certa providentia factum esse omnibus merito videbitur. Quodsi quando secus dicendum esse videatur, agitur certe de rebus parvi momenti, ne dicam de talibus, quae lusibus puerilibus similia appareant. Iam vero sensus mysticus, si non omnis ille saltem, qui praecipuo iure hoc nomine insignitur, sicut certam, non dubiam rerum ordinationem supponit: ita in se grandis et dignus sit oportet. Inde consequitur, ut hic sensus rebus inesse debeat, quae in se magnae sunt, et iis quidem praecipue, quae liberae uniuscuiusque hominis dispositioni subesse haudquaquam possunt sed aut naturaliter fieri aut nonnisi divina potentia gubernari censentur. Id s. Thomas *(ll. cc.)* innuit, dum loquitur de rebus cursum suum peragentibus, i. e. de rebus, quae veluti naturali lege fiunt ac nonnisi divina providentia temperantur. *(Cfr. Patrit. l. c. c. 9. n. 1.)* Tertium denique, quod de illo extraordinario mystici sensus genere asseritur, penitus reiicere ac negare non possumus. At simul haec advertere licebit. Primo hic agitur de infimo sensus mystici genere. Deinde, quod nos scimus, vix aliquis ex auctoribus profanis reperietur, qui illud genus sensus mystici in suis libris serio curasse ac prosecutus esse

[1] Dices, profanum auctorem ex libris inspiratis aut aliunde ex divina revelatione mysticas illas rerum significationes cognoscere potuisse. Respondemus: Hoc nos negare omnino nolumus. At negamus, in eo casu sensum mysticum proprie libro profano attribuendum esse. Sic enim liber profanus non primam illius significationis manifestationem exhibet, sed alia manifestatio praecedere debuit. Quare tota illa occultae significationis manifestatio, in qua tandem totus sensus mysticus continetur, potius fonti primitivo et non libro profano adscribenda erit, in quem illa significatio nonnisi per derivationem ex alio fonte translata esse intelligitur.

videatur. Quodsi id reapse alicubi factum deprehenditur vel simile quid attentabitur pro futuro; cordatus dico, talis conatus facile humanum aliquid, ut non dicam puerile, sapere aut certe etiam in hoc genere ad sacrae Scripturae maiestatem haud ascendere videbitur. Nam de sacra Scriptura, sicubi in ea hoc infimum genus sensus mystici inveniatur, tum a priori multo altius quam de rebus humanis praesumendum est; tum ex iis, quae suo loco in exemplum afferemus, facto ipso comprobabitur, illum sensum, prout ibi reperitur, per omnia Deo auctore dignum apparere humanamque artem longissime superare. Ita tum ad instantias superius *(n. 190.)* indicatas satis responsum est, tum assertio nostra supra *(n. 191.)* posita in omnibus suis partibus demonstrata haberi potest.

Scholion. 192. Dubitari solet, *utrum mysticus Scripturae sensus demonstrandi vim habeat necne.* De hac re non inutiliter certe quaeritur. Videmus enim etiam illos, qui ceterum de sensu mystico recte sentiunt, argumenta ex eo desumpta aut nullo modo aut nonnisi cum quadam tergiversatione admittere. *(Cfr. Gregorius a s. Ioseph. Praelectiones isagogicae de Verbo Dei, disp. 2. lect. 8. n. 47.)* At sensus, qui aut aegre tantum aut nullo modo in argumentum adduci potest, nullam aut fere nullam utilitatem habere cognoscitur. Sed antequam ad quaestionem ipsam accedimus, aliquid praemittendum esse ducimus. Forte cuidam non sine ratione videbitur, hanc quaestionem multo aptius ac utilius proponi in fine totius tractationis de sensu mystico. Huic dubio, quod magis methodicum est, non multum repugnabimus. Tamen pro ordine, quem sequimur, haec notare liceat. Ex una parte tractatio de illo sensus mystici genere, quod praecipuum est, iam fere absoluta est; ex alia vero parte quaestio ista una ex numero quaestionum generalium esse videtur, imo ea generalium, quae in hoc capite agitantur, quaestionum veluti supremum complementum est. Quare eam hoc loco tractabimus. Simul pro futuro aliud monemus. Quae hic generatim dicimus, ex paritate rationum de omni, quodcumque in Scriptura inveniatur, mystici sensus genere valere debent. Proinde quae in sequentibus dicuntur ad singula huius sensus genera, de quibus postea sermo habebitur, proportione servata applicanda erunt *(cfr. n. 218.)* Quo posito quod in hac re sentimus, sequenti propositione enuntiamus,

quam, cum veluti complementum priorum habeamus, in continenti cum ceteris suo numero notatam esse volumus.

193. Assertio quinta. *Sensus mysticus, ubi satis certo eruitur, eandem per se, quam sensus literalis, demonstrandi vim habet.* Hoc ante omnia ex ipsa istius sensus notione invicte demonstratur. Sensus mysticus, ut vidimus, primo loco postulat, ut Deus, qui principalis Scripturae auctor est, res aliquas consulto ita in se ordinaverit, ut praeter veritatem, quam in se habent, aliam rem occultiorem significent. Tum res eaedem Deo disponente in libris sacris eum in finem ac eo modo narrantur ac describuntur, ut, dum ipsae in se Scriptura referente hauriuntur atque cognoscuntur, simul menti illius, qui legit, aliam, quam occultius significant, veritatem ingerant atque manifestent. Ita veritas illa, qua sensus mysticus seu mystica Scripturae interpretatio continetur, non minus quam veritates aliae, quae literalem sensum constituunt, se nobis offert ut veritas, quae non solum qua talis a Deo interne cognoscitur et approbatur sed insuper ab eodem per Scripturam exterius manifestatur et asseritur. Quo ergo iure, quaeso, illi sensui demonstrandi vis denegatur? Nonne rem exhibet, quae a Deo consulto hominibus manifestata est et ad credendum proposita? Deinde si sensus mysticus omni demonstrandi vi destitutus esse ponitur, nonne per id omnino aut fere inutilis esse convincitur? Ea enim et non alia est in sensu alicuius libri aut sermonis utilitas, ut ab iis, qui legunt vel audiunt, per eum mens illius, qui scribit aut loquitur, cognoscatur. Ita demum quae dicuntur, aut ex rationibus internis suscipi, aut, si nullae rationes afferantur et vir in se fide dignus appareat, ex eius auctoritate per fidem recipi poterunt. Certe nemo negabit, quin in Scriptura, quae fidem praecipue spectat, sensus, qui fidem gignere nequit, inutilis aut fere inutilis appareat. Porro quomodo ille sensus fidei gignendae par esse poterit, cui nullam vim demonstrandi concesseris?[1] Tandem satis

[1] Dices: Sensus mysticus aliam utilitatem habet. Servit enim oppido ad illustrationem et confirmationem eorum, quae aliunde tenenda esse cognoscuntur. Ad haec ita reponimus. Nisi confirmationi ex sensu mystico desumptae propriam vim tribuas, hanc utilitatem aut nullam aut fere nullam esse merito contendimus. Quare argumentum nostrum manet intactum.

manifestum est, Christum ipsum eiusque Apostolos haud semel Vetus Testamentum mystice interpretatos fuisse atque ex mystico eius sensu in rem suam argumenta desumpsisse. Ut hoc tibi persuadeatur, sufficit repetere et inspicere exempla de Iona, de agno paschali etc., supra posita *(n. 183.)* cum locis Evangeliorum ibidem indicatis. *(Cfr. Bonfr. prae loq. c. 20. sect. 4; Serar. l. c. c. 21. q. 10; Menochius prolegomena in s. Scripturam c. 24; Patrit. l. c. c. 14. q. 4; Schouppe elementa theol. dogm. tract. IV. de regula fid. art. 4. n. 116.)*[1]

194. Unam[2] novimus difficultatem, quae cum aliqua probabilitate nostrae assertioni opponi posset. Ea ita aptissime proponitur. Sensus mysticus, qui alicui loco inest, pro vero argumento constituendo in se certo cognosci deberet. Iam vero sensus huiusmodi aut nulla omnino ratione aut saltem non cum ea certitudine, quae ad verum argumentum requiritur, cognosci posse videtur, nisi pro ea interpretatione aut auctoritas ipsius Scripturae ex sensu literali alterius loci aut unanimis Patrum consensus aut authentica ecclesiae interpretatio in medium afferatur. Porro, ut quisque videt, auctoritas Scripturae ex sensu literali, unanimis Patrum consensus aut ecclesiae doctrina per se sola firmum argumentum pro qualibet re constituunt. Quare argumentum ex sensu mystico desumptum in hoc casu aut infirmum esse cognoscitur aut inutile, cum necessario alia eaque firmiora ac per se sufficientia argumenta supponat. Pro responsione ista animadvertimus. Primo omnibus, quae hic dicuntur, admissis semper verum manet, mystica significatione alicuius loci semel constituta et explanata ex eo

[1] Demonstrationem aliam huius rei sive per exempla sive per auctoritatem Patrum ac theologorum rationemque theologicam colliges ex iis, quae dicemus in numero sequenti.

[2] Si Augustinus alicubi *(ep. 93. ad Vin. c. 8.)*, quod hic affirmamus, negare videtur, non est difficile contrariam hanc elevare auctoritatem. Nimirum Augustinus, dum in loco citato quibusdam Scripturae expositionibus vim demonstrandi inesse negat, de expositionibus loquitur, quae tum in se valde dubiae sunt tum proprio sensu mysticae dici nequaquam possunt. Re enim accuratius inspecta eae interpretationes, de quibus ibi agit Augustinus, magis accomodatae aut arbitrariae esse deprehenduntur. *(Cfr. Beelen dissert. theol. de multipl. sensu liter. part. II. sect. 4. p. 107.)* Hoc confirmatur inde, quia Augustinus aliis in locis et ipse sensu mystico ad demonstrationem usus est. *(Cfr. contr. lit. Petil. l. II. c. 22. n. 74.)*

loco seu ex mystica eius significatione desumi posse proprium ac solidum pro re, de qua agitur, argumentum. Nam in facta hypothesi argumentum primarium desumitur ex mystica illius loci significatione. Alia enim, ut sensus ecclesiae, per se solum sunt adminicula ac subsidia ad illam significationem eruendam aut stabiliendam. Deinde absolute et in universum non est concedendum, sensum mysticum per se et sine authentico Scripturae aut ecclesiae aut Patrum testimonio certo cognosci numquam posse. Adminicula enim, quae hermeneutica pro cognoscendis typis vel, quod in idem recidit, pro cognoscendo sensu mystico indigitat, non solo Scripturae aut ecclesiae et Patrum testimonio continentur, sed latius patere cognoscuntur. *(Cfr. Patrit. l. c. c. 11. q. 1.)* Desumuntur enim huiusmodi indicia nonnunquam haud spernenda tum ex rebus ipsis tum ex verbis illius loci, qui typicus aut mysticus esse demonstratur. Et revera quis v. gr. neget, characterem typicum Veteris Testamenti saltem in genere absque expresso testimonio extrinseco aliquatenus cognosci posse? Idem dic in particulari de aliquibus saltem typis, qui ceteris manifestiores sunt, ut de circumcisione, de agno paschali, de aliquibus sacrificiis et ceremoniis sacramentalibus populi Iudaici. Quod si hoc pertinaciter negare volueris, saltem concedere debebis, charactere typico Veteris Testamenti aliunde semel cognito *(cfr. I. Cor. X. 11.)* sine novo et expresso Patrum testimonio aut alio externo adminiculo neminem latere posse, circumcisionem, agnum paschalem ac similia ad res typicas pertinere. Item omnibus manifestum est, ex mystica unius rei significatione semel cognita ad similem in re simili recte ac tuto procedi posse. Ita, ut obiter hic aliquem sensus mystici usum pro re dogmatica innuamus, ex Veteris Testamenti sacerdotio, sacrificiis et sacramentis visibilibus non solum ea argumentatione, quae a pari aut a fortiori dicitur, sed praecise propter mysticam illius Testamenti indolem recte concludes, in Novo pariter Testamento particulare quoddam et visibile sacerdotium, iuge sacrificium, visibiles ritus sacramentales reperiri debere. Item ex eo, quod in Veteri Testamento ex sacrificiis et sacramentalibus ritibus effectus emundationis et gratiae, quae illi statui congruebat, lege quadam stabili sed veluti ex opere ipso, ut dicunt, operato sequebatur, et quod haec fuerit praecipua et, ut ita dicam,

characteristica harum ceremoniarum indoles; recte infertur, iis in Novo Testamento respondere sacramenta et sacrificium, quae pari efficacia mundationem producant et gratiam huic novo statui convenientem. Denique frustra opponeres, Patres et catholicos theologos nunquam aut fere numquam huiusmodi argumentis usos fuisse, aut si id aliquando factum sit, sine notabili fructu factum esse. Nam revera difficile non esset, exemplis in medium allatis contrarium ostendere et ex Patribus ac theologis non paucos indicare locos, ex quibus contrarium satis manifesto perspicitur. *(Inter alios cfr. Aug. contr. lit. Petil. l. II. c. 22. n. 74. et contra Faustum Manich. l. XII. c. 8. 27. 28.; s. Thom. 1. 2. q. 103. a 2.*[1]*; Suarez de Euch. disp. 63. sect. q. n. 2.; Bellarm. de sacram. l. 2. c. 4., de bapt. c. 13. coll. de sacram. l. I. c. 24. l. II. c. 16. de Euch. l. I. c. 3. de Missa l. I. c. 6. seqq. de Rom. Pont. l. I. c. 20.; Franzel. de Miss. sacrif. thes. XII. 1. coll. de sacram. in genere thes. I. p. 7. thes. II. p. 10.; Müllendorf, über den patrist. Beweis für die Ehe als Sacr. in d. Zeitschrift für kath. Theol. Innsbruck an. 1878. p. 642. seqq.; Selbst, die Kirche Christi nach den Weissagungen der Propheten et Ventura, la Madre di Dio passim.)* Revera auctores isti nonnisi Apostolum secuti sunt, qui hanc argumentandi rationem inter alia satis aperte praeformavit his verbis *(Hebr. IX. 13. 14.)*: «Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?» Quod adversariis concedimus, hoc est: Non adeo facile est, ex solo mystico Scripturae sensu per se spectato eruere argumentum certum et apodicticum. Ceterum incertitudo non solum ex difficultate, quam tetigimus, sed etiam ex alia causa oriri solet. Non omnia scilicet, quae in re typica inveniuntur, antitypum referunt. Quare ex ea non omnia statim ac promiscue ad antitypum transferenda sunt. Aliis verbis satis difficile est discernere, in quo praecise typica significatio consistat aut quousque ea extendatur.

[1] In 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. s. Doctor solum iis interpretationibus mysticis vim demonstrandi denegat, quae prae sensu literali aequivocationem constituunt, quod de sensu mystico stricte dicto non verificatur. Quare locus iste non per omnia liquidus solis verbis nobis contrarius est.

CAPUT SECUNDUM.

Quaestiones magis speciales.

195. In superioribus libros inspiratos aut omnino in abstracto spectavimus, aut si ad Scripturam in concreto respectum habuimus, inter libros Veteris et Novi Testamenti nihil distinximus. Exempla vero, quae hinc inde in antecedentibus adduximus, omnia ex Veteri Testamento desumpta sunt. Ex his fere per se concluditur et omnibus persuasum est, sensum mysticum saltem multo frequentius reperiri in Veteri Testamento. Sed multi his non contenti eum sensum Veteri Testamento ita proprium esse contendunt, ut in Novo non solum nullibi reperiri sed eius indoli omnino repugnare affirmetur. Quum tota res per se adeo evidens non sit, merito quaeritur, qua veritate aut certitudine haec asserantur. Haec igitur est quaestio, quam versabimus in primo articulo huius capitis. Ab initio seu in primo puncto de rei possibilitate inquirimus; in altero de facto. Insuper, prout lector recordari poterit, praeter commune genus sensus mystici supra peculiare aliquod mystici sensus genus descripsimus. Quare post omnia quaerendum manet, an etiam tale mystici sensus genus in nostra Scriptura hinc inde occurrat. Hanc quaestionem tractabimus in secundo articulo. His expeditis, quod ad nos spectat, nexus inspirationis cum sensu mystico satis expositus esse videtur.

ARTICULUS PRIMUS.

An a Novo Testamento sensus mysticus omnino excludendus sit?

Punctum primum.

Examinatur rei possibilitas in abstracto.

196. Reperiuntur, ut iam innuimus, auctores iique magni nominis, qui contendunt, mysticum sensum cum indole et charactere Novi Testamenti omnino pugnare. *(Cfr. Patrit. l. c. c. 14. q. 3. n. 380.)* Hi suam sententiam variis et, ut putant, validissimis argumentis demonstrare nituntur. Nobis vero eorum argumenta tanti esse non videntur, ut per ea, quod intenditur, invicte demonstretur. Quare contra eos statuimus sequentem propositionem.

197. Assertio generalis. *Nihil est in charactere Novae Legis vel in eius Scripturis abstracte spectatis, quod ab iisdem omnem sensum mysticum necessario excludat.* Haec propositio, ut patet, demonstrata erit, si rejecerimus argumenta, quae ex indole Novi Testamenti et velut a priori contra sensum mysticum in Novo Testamento admittendum aut ab adversariis reapse afferuntur aut afferri possunt. Igitur retento genuino mystici sensus conceptu et possibilitate eius in genere admissa argumenta omnia, quae in hunc finem afferri possunt, necessario ad duplicem classem reducuntur. Quaedam enim variis rationibus monstrare conantur, sensum mysticum necessario nexu cohaerere cum typis, qui indoli Novi Testamenti repugnant. Aliae praetendunt, sensum mysticum eam secum afferre obscuritatem, quae statui Novae Legis convenire non potest. Respondeamus igitur ad utrumque dubium.

Dubium primum.

An pro sensu mystico requirantur typi, qui cum indole Novi Testamenti pugnant?

198. Primo igitur adversarii ita argumentari solent: Sensus mysticus in typis fundatur, quibus veluti naturali fundamento superstruitur. Iam vero typi sicut Veteri Legi proprii erant, ita omnino pugnant cum natura Novi Foederis. De hoc argumento ita iudicamus. Si in eo vox typi in rigore sumitur, maior est falsa et minor saltem valde incerta. Si vero terminus iste late accipitur, maior concedi poterit, sed minor omnino est neganda. Quare adversariis opponimus duas propositiones, quae duabus partibus propositi dubii ex ordine respondent. Sit ergo prima assertio, qua continetur responsum ad primam partem dubii.

199. Resolutio primae partis dubii. *Non omnis sensus mysticus typos proprie dictos requirit.* Ut hanc propositionem tueamur, notio typi accurate exponenda est. Igitur 1. vox typi tum in sensu stricto tum in sensu latiori sumi potest. Sensu stricto typus ante omnia est res aliqua v. gr. factum historicum, persona historica, institutum sive religiosum sive politicum. Res huiusmodi 2., in quantum typus dicitur, cum alia re, quae appellatur antitypus, certam habere debet similitudinem, qua illam tum ex sese repraesentare et signi-

ficare possit tum ex divina ordinatione reipsa significet. Insuper 3. res, quae proprie typus dicitur, tum primitus ab artifice seu auctore suo ad ideam antitypi concepta tum postea si non unice saltem praecipue in eum finem condita aut instituta esse debet, ut antitypum repraesentet. Ex hoc consequitur ulterius, 4. typum in sua perfectione ac natura antitypo inferiorem esse.[1] Repugnat enim, perfectius aut aeque perfectum concipi ad ideam rei imperfectioris aut etiam aeque perfectae et rem perfectiorem ad repraesentandam rem inferiorem a suo auctore aut unice aut saltem praecipua intentione destinari. Item 5. typus antitypo notior sit necesse est aut generatim omnibus aut iis saltem, pro quibus typi officio fungi debet. Tandem 6. typus ordinarie est res, quae tum tempore tum loco realiter praesens est aut saltem per notitiam satis claram et obviam moraliter praesens sistitur; cum econtra antitypus non solum loco absens et invisibilis esse possit sed generatim etiam res in futuro posita esse soleat. His positis statim apparet, ad hoc ut una res utcumque rei alterius repraesentativa esse possit, non requiri omnia ac singula, quae modo enumerata sunt. Nominatim ea, quae sub numeris 3. et 4. sunt posita, ad simplicem repraesentationem nullatenus requiruntur. Nam etiamsi res primitus ad exemplar alterius facta non sit nec in perfectione inferior appareat, dummodo tum sufficientem cum illa similitudinem sub aliquo respectu[2] prae se ferat, tum in se satis nota sit; vere ad illam repraesentandam adhiberi poterit, et statim atque ab aliquo ad eam repraesentandam ordinatur ac proponitur, eam reapse repraesentat. Quare negari non potest, quin in hoc casu huiusmodi res imago rei alterius et latiori aliquo sensu etiam eius typus dici possit ac debeat. Neque dicas: Intelligi non potest, quomodo, prout ad rationem imaginis exigitur, res perfectior notior esse possit quam alia minus perfecta. Id enim facillime intelligitur et vel inde accidere potest, quod una, scilicet perfectior, praesens sit altera vero absens vel futura, aut quod de una per revelationem divinam claram notitiam habeamus, de altera vero nullam aut nonnisi obscurissimam.

[1] Cfr. n. 201. in nota.

[2] Sub aliquo respectu dico; nam similitudo nunquam perfecta est et semper solum in aliquibus consideratur.

200. His positis redeamus ad nostram propositionem. Negamus igitur, omnem sensum mysticum requirere typos proprie dictos. Haec assertio primo evidens est, si agitur de illo extraordinario mystici sensus genere, de quo saepius locuti sumus quodque nominatim in Novo Testamento hinc inde reperiri inferius cum sufficienti probabilitate demonstrabimus. Ille enim sensus mysticus profecto typos proprie dictos non requirit. Sed hoc omisso aliud etiam magis ordinarium sensus mystici genus sine typis stricte dictis inveniri posse contendimus. Id pluribus exemplis certum reddimus, quorum primum ex ipsa Scriptura desumptum et satis certum est. Cetera ficta quidem aut minus certa at sine dubio possibilia sunt, quod pro scopo praesenti abunde sufficit. Primo igitur in hac re pro exemplo sit lex mosaica notissima de bove triturante. Per eam legem teste Paulo *(I. Cor. IX. 9. 10. I. Tim. V. 18.)* occultiori modo ac mystice innuitur atque asseritur ius sacerdotis, quo de altari vivere ei concessum est. Profecto hic de typo proprie dicto cogitare non licet. Habes ergo sensum mysticum sine typo. Addo, hac lege probabiliter asseri ius sacerdotale tum Veteris tum Novi Testamenti. Ergo hoc eodem exemplo simul falsum ostenditur, sensum mysticum semper versari circa res futuras. Iam hic ab adversariis quaerere licet: Qua quaeso ratione ostenditur, simile quid Novo Testamento omnino repugnare? Aliud exemplum ad rem declarandam ex significatione matrimonii sumere possumus. Matrimonium, ut iam Adam in paradiso spiritu divino afflatus agnovit et Paulus *(Eph. V. 31. 32.)* suo tempore expressius declaravit, coniunctionem Christi cum ecclesia significat. Quaero: Dum de sola possibilitate agitur, an non, si Deo ita placuisset, repraesentatio potuisset fieri ratione inversa? Aliis verbis cur fieri non potuit, ut ex iis, quae teste Scriptura ex una parte Christus pro ecclesia sua agit et egit, et quod ex parte altera ecclesia pro Christo operatur et usque ad finem saeculorum operatura est, secundum Dei ordinationem manifestaretur natura matrimonii cum mutuis coniugum officiis sive pro alterutro Foedere sive pro utroque? Sic iterum haberes mysticam significationem sine typo stricte dicto. Simul habes exemplum, in quo res, quae aliam repraesentant, nimirum Christus eiusque ecclesia ac mutua eorum ad invicem relatio ex una parte rebus significatis sunt multo

nobiliores; et nihilominus simul iisdem suo modo notiores haberi possunt. Supponere enim possumus, naturam matrimonii cum mutuis coniugum officiis in revelatione ac Scriptura aut nullo modo aut minus perspicue expressam esse, dum ibidem sive in Veteri Testamento per prophetias sive in Novo per Evangelium aliosque libros canonicos coniunctio indissolubilis inter Christum et ecclesiam apertissimis verbis significata invenitur. Aliud exemplum ad tuendam huius rei possibilitatem invenire licet in significatione sabbati. Igitur per sabbatum, cum ut est quies Domini ab opere sex dierum tum ut est quies a labore septimo quoque die a Domino pro hominibus constituta, occultiori significatione repraesentari cognoscitur tum quies populi Israel in terra promissa post laboriosum iter per desertum tum quies iustorum post cursum huius vitae aerumnosum in patria coelesti. *(Cfr. Basil. in hexaem. hom. II. n. 8 et Hebr. IV.)* Cur, quaeso, si de sola possibilitate agitur, cogitare non licebit, quietem diei septimi pro hominibus in Nova demum Lege fuisse institutam, sicut reapse instituta seu sabbato substituta est dies dominica? Poterat tunc sine dubio ea institutio illam significationem retinere, per quam ex Dei ordinatione dies dominica pro Christianis illam supremam et ineffabilem portendit requiem, quam in coelesti patria exspectamus. Num haec aut mystica non essent aut Novo Testamento eiusque Scripturis adeo repugnarent? Praeterea, ut alia plus minusque probabilia et forte aliquo modo etiam realia exempla addamus, num cogitatu impossibile est, inter Neronem et Antichristum aut inter eversionem Ierusalem per Romanos et tribulationem, quae praecessura est universale iudicium, tantam intercedere similitudinem, ut unum repraesentatio et veluti typus alterius sit aut esse possit? Quod si a nemine negari potest, iterum quaerimus: Cur non item cogitare licebit huiusmodi personas ac res per divinam providentiam consulto ita ordinatas fuisse, ut typi sint futurorum? Qua suppositione facta cur non item haec ex Dei voluntate in libro aliquo inspirato Novi Testamenti eo fine narrari ac describi poterant, ut per ea Nero exhibeatur tamquam typus Antichristi et eversio Ierusalem tamquam typus dici iudicii? Imo simile quid de rebus istis, ut nobis videtur, reipsa in Scriptura occulte innuitur. Saltem inveniuntur auctores, qui de istis personis ac factis revera ita senserunt,

(Cfr. Matth. XXIV.; II. Thess. II. 7.; Apocal. XIII.; Becan. theol. schol. de Incarn. c. XXVII. n. 23. 24.; Hurter comp. theol. dogm. tom. III. n. 755 in nota; Calmet de Antichristo art. 2.) Denique quid Deum impedire potuit, ne vitam Christi atque historiam ecclesiae Novi Testamenti ita ordinaret, ut prior imago esset alterius? Quo posito Deus insuper efficere potuit, ut vita Christi in libro aliquo inspirato Novi Testamenti eo modo eoque describeretur animo, ut perpetua futurorum ecclesiae fatorum realis prophetia existeret. Et revera nonnulli Patres saltem de quibusdam vitae Christi factis, prout in nostris Evangeliis describuntur, ita sensisse videntur. *(Cfr. Aug. in Ioan. tract. 61. n. 1. serm. 200. h. e. de Epiph. 2. n. 3. et serm. seq. i. e. 201. n. 1. e 2.; Bonfrer. praeloq. c. 20. sect. 3. 7.)* Item docente ipso Paulo *(I. Cor. XV. coll. Rom. VIII.)* resurrectio Christi a mortuis, cuius Evangelistae testes existunt, revera tamquam exemplar et quodammodo prophetia realis resurrectionis nostrae haberi potest. His declaratis transeamus ad secundam dubii partem, quam per haec iam aliquo modo praeoccupavimus.

201. Resolutio secundae partis dubii. *Probabile est, cum oeconomia Novi Testamenti neque absolute pugnare typos proprie dictos.* Possemus hic ante omnia provocare ad ea, quae numero praecedenti diximus de vita et resurrectione Christi, de eversione Ierosolimarum ac de sabbato. Haec enim omnia aut veri typi sunt aut ad typi rationem proxime accedunt.[1] Sed his omissis nota, quae sequuntur. Sicut status Legis Veteris praecessit statui Legis gratiae eumque multipliciter praefiguravit, ita statum gratiae excipit status gloriae, qui et ipse statu gratiae longe perfectior esse cognoscitur. Quo posito non apparet, cur status gratiae non possit suo modo praefigurare statum gloriae. *(Cfr. Hebr. X. 1.)* Certe Ambrosius *(in Ps. XXX. n. 25.)* id non solum ut possibile habet sed ut rem in facto positam expresse asserit. Ita enim loquitur: «Primum igitur umbra praecessit, secuta est

[1] Quod in uno vel altero ex his exemplis res, quae typus dicitur, alia, quae per eam significatur, perfectior sit, id cum ratione typi satis conciliari posse videtur. Nam quod typus antitypo imperfectior esse debeat revera non essentialis sed solum accidentalis eius proprietas esse convincitur. *(Cfr. n. 199.)*

imago, erit veritas; umbra in lege, imago vero in Evangelio, veritas in coelestibus.» Similia omnino habet Bruno Astensis *(homil. in sabb. post dom. I. Quadrag.)*, qui sermonem instituens de tribus tabernaculis: «Primum, ait, synagoga, secundum ecclesia, tertium coelum; primum in umbra fuit et figura, secundum in figura est et veritate, tertium in veritate sola; in primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur.» Quid quaeso vetat in tali oeconomia inveniri typos proprie dictos; et quid prohibet, typos eosdem describi in libris inspiratis, qui pro ea oeconomia a Deo dati sunt? Et ut magis ad particularia accedamus, inter alios Ioannes Damascenus *(de fid. orthod. l. IV. c. 13.)* in ss. Eucharistiae sacramento vidit typum beatitudinis coelestis, quod his verbis asseruit: «Antitypa futurorum dicuntur *(panis et vini species post consecrationem)*, non quasi vere corpus et sanguis Christi non essent, sed quia nunc quidem participes sumus divinitatis Christi, tunc vero intellectualiter per solam visionem.» Idem sentit ecclesia, dum orat in hunc modum *(in Missa de ss. Sacram. postcomm.)*: «Fac nos quaesumus Domine divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio praefigurat.» Et ut in fine ab omni auctoritate praescindamus, reapse sacrae Eucharistiae, quae non figmentum est sed veritas et qua talis in libris Novi Testamenti satis accurate describitur, si res attente consideretur, nihil deesse videtur, quominus pro fidelibus verus typus vitae aeternae existat et ut talis ab omnibus habeatur. *(Cfr. Matth. XXVI. 29.; s. Thom. 3. p. q. 60. a. 3.; Hurter l. c. tom. III. n. 294.)*

Dubium secundum.

An et quatenus sensus mysticus obscuritatem secum afferat contrariam characteri Novi Testamenti.

202. Secundo contra nostram doctrinam ita licet instituere argumentum. Sensus mysticus ex natura sua sub quodam velut velamine latet, ideoque sensus iste semper ac necessario haud parum obscuritatis secum affert. Porro id haudquaquam cohaeret cum charactere Novi Testamenti, in quo fugatis umbris et obscuritatibus humano generi clara ac perfecta rerum divinarum notitia subministratur. Non est difficile huic argumento respon-

dere. Ad viam responsioni aperiendam hanc considerationem praemittimus. Si non tam de doctrina revelata in se et generatim spectata sive de praecipuis doctrinae christianae capitibus agitur sed de Scriptura Novi Testamenti eiusque sensu in specie et quoad singulas eius partes sive de cognitione omnium et singulorum, quae in sacris libris continentur, sermo instituatur: *claritas Novi Testamenti eiusque Scripturarum non nimis exaggeranda est.* Nam ut omittam, ab Apostolis in suis epistolis *(1. Cor. XIII. 12.; II. Petr. III. 16.; I. Io. III. 2.)*, dum plura in Scripturis Novi Testamenti obscuriora esse significant, aperte asseri contrarium; certe Apocalypsis Ioannis Apostoli et nominatim quae ibi per prophetiam de temporibus futuris dicta leguntur, non adeo clara sunt ac perspicua. Et nihilominus in his saltem maximam partem non de mystico sed de literali sensu agitur, et aliunde Apocalypsis quam quae maxime ad Novum Testamentum pertinet. Ergo, ita enim contra adversarios hic concludere licet, nec Novum Testamentum semper adeo clarum est, nec ibi sensus literalis semper obscuritatibus caret. Quo ergo iure ex hac ratione sensum mysticum penitus a Novo Testamento excludimus? Igitur quod in re praesenti ex charactere Novi Testamenti concludi potest, ad hoc unum reducitur. Praecipua fidei mysteria, sive in divina traditione sive in sacra Scriptura contineantur, ea claritate expressa sint necesse est, ut per magisterium ecclesiasticum, cui cum custodia depositi fidei et traditionis simul munus interpretandae Scripturae demandatum est, sub directione Spiritus sancti ea omnia cum sufficienti securitate erui inde et hauriri possint. Ita satis patet, in Novo Testamento pro obscuritatibus et pro sensu mystico locum satis amplum relinqui. Haec enim, quam diximus, revelatae doctrinae perspicuitas non impedit, quominus res quaedam minoris momenti, ut prophetiae de futuris ecclesiae fatis, in se obscurae et quodam velamine obtectae maneant. Quid ergo sequetur incommodi, si res huiusmodi hinc inde in mystico sensu latere supponamus? Incommodum istud eo minoris est momenti, quia, si opus fuerit, supponere possumus, ea, quae forte alicubi per sensum mysticum nonnisi subobscure adumbrantur, alibi per literalem sensum clarius inveniri expressa. Ita claritas doctrinae, quae pro Novo Testamento exigitur, per sensum mysticum nullum patietur detri-

mentum. En igitur quomodo etiam in libris Novi Testamenti locus pro sensu mystico amplissime pateat. Tandem absolute loquendo *negare possumus, sensum mysticum semper et necessario ea obscuritate involvi, ut revelatio per eum facta, praesertim Patrum interpretatione et authentica ecclesiae declaratione adhibita, pro luce evangelica nullatenus sufficiat.* Certe licet natura mystici sensus in eo sit, ut veritas, qua hic sensus continetur, non directe et mediate sed per aliud ac veluti in imagine et aenigmate proponatur; non tamen inde sequitur, ut sensus mysticus semper absolute obscursus sit; et nominatim non sequitur, ut obscurior semper esse debeat, quam quilibet sensus literalis cuiuslibet alterius loci Novi Testamenti. Inveniuntur enim in Novo Testamento loci non pauci v. gr. I. Cor. XV. 29.; Marc. VII. 11.; I. Petr. III. 19., quorum sensus literalis obscurissimus est. Quare ne in locis huiusmodi graviter fallaris, authentica Patrum ac traditionis catholicae interpretatio prae oculis habenda est. Quomodo ergo suadebis, sensum mysticum necessario his multo obscuriorem esse aut pro eo inveniendo extrinseca interpretationis adminicula non sufficere?

Scholion primum. 203. Licet, quae diximus, demonstrent, per Novi Testamenti indolem non omnem sensum mysticum excludi; nihilominus eadem simul ostendunt, cum sensum et nominatim sensum mysticum, qui typis proprie dictis superstruitur, Veteri Testamento magis proprium esse. Proinde merito concluditur, istum sensum in Novo Testamento adeo late patere non posse sicut in oeconomia veteri. Nominatim vero sequitur, praecipua fidei mysteria in oeconomia christiana non per solum sensum literalem accipienda ac demonstranda esse. Ex his simul colligitur, *quomodo ii Patrum loci sint intelligendi, qui ab adversariis in contrarium afferuntur* et quibus Patres typos et mysticum sensum a Novo Testamento penitus excludere videntur. Plurimi nimirum ex locis, qui obiiciuntur, toti in eo sunt, ut in genere indolem ac differentias utriusque oeconomiae describant, quorum unam typis et obscuritatibus aptam agnoscunt alteram vero minime. Per haec tamen Patres nequaquam a Novo Testamento omnem obscuritatem aut omnem mysticum sensum excludere intendunt. Id vel ex aliis Patrum locis manifestissime patet, ubi iidem haud semel Novum Testamentum mystice interpretati sunt. Quodsi quando iidem sensum mysticum a Novo

Testamento penitus volunt exclusum, aut sermonem habent de typis proprie dictis, qui in omnibus similes sint typis Veteris Testamenti ideoque novam iterum et perfectiorem in terris futuram post praesentem oeconomiam praefigurent, aut loquuntur de obscuritate, quae praecise huiusmodi statui intermedio ac imperfecto propria sit. In aliis iterum locis Patres non generatim de libris Novi Testamenti sed solum de determinato aliquo Novi Testamenti loco, aut de determinata aliqua fidei veritate sermonem instituunt. Quare quid mirum, si in huiusmodi locis Patres asserant, Scripturam post Christi adventum nequaquam mystice et obscure sed clare et aperte docere, quae docenda erant?[1] Haec omnia, ut patet, nostram doctrinam nequaquam destruunt.

Scholion secundum. 204. Sunt, qui, dum aut existentiam aut etiam possibilitatem mystici sensus in Novo Testamento impugnare conantur, ad tuendam sententiam suam cum Patritio *(l. c. c. 14. q. 3.) inter Evangelia et reliquos Novi Testamenti libros (l. c. n. 380.),* aut etiam *inter tempus ante et post adventum Spiritus sancti (l. c. n. 377. coll. 340.) distinguunt;* et dum pro tempore ante adventum Spiritus sancti aut pro Evangeliis possibilitatem imo et existentiam talis sensus negare non audent, pro aliis libris ac pro tempore subsequenti utramque praefracte reiiciunt. *Sed haec distinctio,* ut nobis persuasum est, *maxime quamdiu de possibilitate et convenientia rei et non de facto agitur, perperam omnino fit et sine fundamento.* Ratio manifesta est. Quia primam distinctionem quod spectat, Evangeliorum libri non solum proprie ad Novum Testamentum pertinent sed omnium tum Veteris tum Novi Testamenti librorum sanctissimi sunt ac nobilissimi. Quare et in iis fidei veritates continentur omnium subtilissimae et altissimae. Cur ergo quaeso, si Evangeliis non repugnat sensus mysticus, is aliis libris ut Epistolis, Actibus Apostolorum aut Apocalypsi adeo repugnabit?[2] Si deinde de altera distinctione quaeritur, inter res historicas

[1] Ceterum si per haec unus vel alter locus nondum satis clareat, huiusmodi locis alii opponi poterunt et numero et pondere maiores, quibus Patres, ut mox apertius monstrabimus, haud obscure Novo Testamento sensum mysticum adscribunt. *(Cfr. n. 205. seqq.)*

[2] Insuper nota, etiam extra Evangelia facta Christi et narrari posse et reapse narrata inveniri, ut patet ex initio Actuum Apostolorum. In quo quaeso huiusmodi loci aliorum librorum ab Evangeliis differunt?

tum Veteris tum Novi Testamenti omnium nobilissima et centrum totius historiae revelationis habenda est vita Christi in terra sive ante passionem et in passione mortalis sive post mortem gloriosa, quae describitur praecipue in Evangeliis. Si ergo vitae Christi, ut ab adversariis conceditur, mystica quaedam et veluti typica significatio non repugnat, et, ut postea cum magna probabilitate ostendemus, ex Patrum sententia aliisque rationibus revera inest, cur significatio similis adeo repugnabit rebus, quae postea gestae sunt et in aliis libris Novi Testamenti describuntur aut tanguntur? Ipsa effusione Spiritus sancti non exclusa cur, inquam, si rem in abstracto consideras, mystica significatio adeo repugnat vitae Apostolorum, constitutioni et vicissitudinibus primitivae ecclesiae, eversioni templi et populi Iudaici et aliis similibus? Ex his, quae directe solum de possibilitate rei dicta sunt, per modum corollarii etiam quoad factum consequentia magni momenti deducitur. Per haec nimirum concludimus, etiam ubi de facto agitur, inter libros et libros et inter tempus et tempus nullam differentiam esse ponendam, nisi ea positivis argumentis adesse demonstretur.[1]

Punctum secundum.

Novo Testamento revera hinc inde mysticus sensus inest.

205. Assertio prima. *Vitae Christi cum ceteris factis, quae in Evangeliis narrantur, interdum significatio mystica et velut typica inesse dicenda est.* Hanc assertionem multiplici demonstramus argumento. Pro *primo argumento sit expressa Patrum doctrina.* Igitur quod nos hic docemus, in pluribus locis ut certum docetur ab *Augustino.* «Nec tamen sufficit, ait s. Doctor *(in Ioan. tract. 24. n. 2.)* haec *(h. e. simplicem historiam)* intueri in miraculis Christi. Interroga *ipsa miracula Christi,* quid nobis loquantur de Christo: *habent enim, si intelligantur, linguam suam* . . . Quemadmodum si literas pulchras alicubi inspiceremus, non nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quoniam eas pariles decorasque fecit, nisi etiam legeremus, quid nobis per illas indicaverit: ita factum hoc *(de multiplicatione panum loquitur)* qui tantum inspicit, delectatur

[1] Quoad factum insuper conferenda sunt dicta n. 200. et 201. et quae hic sequuntur maxime n. 208., ubi de hoc facto ex professo agemus.

pulchritudine facti, ut admiretur artificem: qui autem intelligit, quasi legit.» *(Cfr. sequentia, ubi mysticam facti significationem exponit.)* Item *(libr. de div. quaest. q. 65.)* «quamquam, ait, *secundum evangelicam historiam resuscitatum Lazarum plena fide teneamus:* tamen *in allegoria significare aliquid non dubito.* Neque *(ad cautelam addit)* cum res factae allegorizantur, gestae rei fidem amittunt.» *(Cfr. in Ioan. tract. 4. n. 6. tract. 9. n. 1. tract. 44. n. 1. serm. 98. alias de verb. Dom. 44. n. 1. et 3. serm. 248. seu de pasch. 19. alias de temp. 148. n. 1. serm. 252. de pasch. 23. alias de div. 5. n. 1.)* Similia habet *Gregorius M. (in Evang. hom. 17. n. 1.)* «Dominus et *Salvator noster,* inquit, aliquando nos sermonibus, *aliquando vero operibus admonet.*» Et iterum *(ibid. hom. 2. n. 1.)* «*miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt,* ut et in veritate credantur facta et tamen *per significationem nobis aliquid innuant;* opera quippe eius et per potentiam aliud ostendunt et *per mysterium aliud loquuntur.*» *(Cfr. hom. 22. n. 2. et 8. hom. 31. n. 1.)* Similiter loquuntur alii Patres ut *Ambrosius (in Luc. l. IV. n. 46. h. e. in c. IV. v. 24.)* et *Petrus Chrysologus. (serm. 50.)* Idem sentit *ecclesia* dum non solum diversa Christi facta mystica ratione interpretatur, sed et, iure id a se factum, aliquando expressis verbis significat. Testimonium huius rei inter alia habes in solemni benedictione palmarum, quae in Missali Romano legitur. *(Dom. Palm.)* Ibi ecclesia ea, quae in Christi ingressu in Ierusalem gesta leguntur, mystice interpretatura exorditur his verbis: «Deus, qui miro dispositionis ordine ex rebus etiam insensibilibus dispositionem nostrae salutis ostendere voluisti» etc. et mysterio illius rei, quod non solum in rebus inanimatis sed et in iis, quae populus tunc agebat, inclusum esse intelligitur, patefacto ac declarato ita concludit: «Quod nos quoque *plena fide et factum et significatum retinentes* . . . exoramus» etc.

206. Hoc confirmatur secundo ex *praxi* communissima et *fere universali Patrum antiquiorumque catholicorum interpretum.* Ut sensum nostrum de hac re bene perspicias, haec nota. Nos non negamus, plures ex moralibus ac mysticis interpretationibus, quae apud Patres posterioresque catholicos interpretes leguntur, minus certas esse, neque contendimus, omnes posse vere ac proprie mysticas dici, sed multas magis pro accommodationibus aut conclusionibus logicis sive pro argu-

mentationibus ab exemplo habendas esse ultro concedimus. *(Cfr. Ambros. in Luc. c. IV. v. 38. et c. VI. v. 17.; Aug. in Ioann. tract. 15. n. 3. et 6.; Greg. M. in Evang. homil. 17. n. 2.)* Sed simul verum manet, esse quam plurima facta evangelica, quae Patres eo modo interpretantur, qui vere mysticus dici debet. Imo id adeo constanter occurrit penes veteres, ut saltem in genere tota interpretandi methodus aut communi suffragio approbata aut saltem non tam facile spernenda merito videatur. Plura exempla afferenda censemus, tum ut clarior huius sensus et interpretationis notio efformetur in mente illius, qui haec legit, tum ut appareat, quam late hic interpretandi usus in ecclesia catholica pateat. Igitur Bonfrerius *(l. c. c. 20. sect. 3. n. 7.)* ita scribit: «Lotio pedum, quam adhibuit Christus ante confectionem sui corporis et sanguinis, ad moralem sensum trahi potest de expurgandis animi inordinatis affectibus et labeculis per eos contractis, maxime ubi ad hoc sacramentum accedendum est. Navicula Petri fluctibus iactata concitatas in ecclesiam persecutiones allegorice iuxtra Patres et ecclesiae sensum indicavit. *(Cfr. Bedam in Marc. VI. 1.)* Christus ex Petri navicula docens *(Luc. V. 3.)* significavit, in sola Petri navicula seu ecclesia veram Christi doctrinam contineri. Augustinus *(in Ioan. tract. 122.)* allegorice exponit illam capturam piscium, quae habetur Luc. V., in qua rete rumpebatur, alteram, quae habetur Ioan. XXI., factam post resurrectionem, in qua rete non rumpebatur, anagogice.» Haec Bonfrerius. *(Cfr. Bellarm. de Rom. Pontif. l. I. c. 20.)* His nos alia quam plurima addere possumus. Probatica piscina *(Ioan. V. 2.)* Patribus symbolum est baptismi, *(Cfr. Maldonat in Ioan. V. 4. et Hurter l. c. tom. III. n. 209.)* Lazari resuscitatio iisdem praefigurat poenitentiam christianam cum sacramentali absolutione. *(Maldon. in Ioan. IX. 44.; Hurter l. c. n. 472.)* Quam plurimi in surdo et muto figuram humanitatis aegrotantis post peccatum agnoscunt *(Allioli in Marc. VII. 32.)*; alii in digito Christi, quo in satano eiiciendo est usus, virtutem Spiritus sancti *(Maldonat et Calmet in h. l.)* et in sanatione caeci, quae per passus progreditur, significatam vident revelationem hominibus per gradus successivos concessam *(Maldonat in Marc. VIII. 22—26.)*; Martha et Maria soror eius *(Luc. X. 38. seqq.)* Augustino repraesentant duplicem vitae rationem, quarum

unam vocant activam, alteram contemplativam *(serm. 104. alias serm. 27. de verb. Dom. n. 4.)*; Petrus et Ioannes currentes ad Domini sepulchrum eidem Augustino *(in Ioan. tract. 124. n. 5.—7.)* indicant vitam hominum ante et post glorificationem, Gregorio M. *(in homil. 22. n. 2.)* vero synagogam et ecclesiam; in exsecratione fici a Christo facta omnes fere significatam intelligunt futuram synagogae reprobationem. *(Maldon. in Matth. XXI. 18. 19.)*; in animi turbatione, qua, dum Iudas exiret a coenaculo, Christus affectus fuisse scribitur, Augustinus *(in Ioan. tract. 21. n. 1.)* praemonstratam videt turbationem ecclesiae fere continuam, quae per haereses et schismata futura erat; in iis, quae acciderunt Magis, et quae de titulo cruci Christi apposito acta et dicta leguntur, idem s. Doctor *(serm. 200. alias serm. 30. de temp. n. 3. et serm. seq. n. 1. et 2.)* tum mysterio praesignatam agnoscit reprobationem Iudaeorum et gentium vocationem, tum praenuntiata servitia, quae Iudaei ecclesiae Christi maxime circa conservationem sacrorum librorum vel inviti praestare coguntur; in eo, quod puer Iesus ab Herode fugiens in Aegyptum se contulit ibique per aliquot tempus habitavit in abscondito, nonnulli praenotatam credunt vitam monasticam, quae in Aegypto primum florere coepit *(cfr. Leo M. de Epiphan. serm. VIII. n. 1. et de pass. Dom. serm. VIII. n. 5. et 7.)*; Ioannem, dum staret sub cruce Domini, omnium hominum vel omnium christianorum mysticam gessisse personam et in Ioanne omnes homines vel omnes christianos Mariae tamquam filios spirituales commendatos a Christo fuisse, inter alios per longum docet Ventura *(La Madre di Dio madre degli uomini c. 2.—6.)* et Scheeben plene consentit *(Handbuch d. Dogm. B. 3. n. 1816 et 1826)*; qui insuper ambo hanc interpretationem haud levibus rationum momentis confirmant; scissio veli post Christi mortem in templo facta manifesto Veterem Legem tunc abolitam esse indicavit *(Leo M. de pass. Dom. serm. VIII. n. 7. et X. n. 6.; Maldon. in Matth. XXVII. 51.)*; in sanguine denique et aqua, quae ex Christi mortui latere fluxerunt, aliquod mysterium indicari, Patres et interpretes catholici fere unanimiter affirmant. *(Maldon. in Matth. XXVII. 56.)* Repetimus, nolle nos omnes et singulas huiusmodi interpretationes ut veras aut certas defendere. Quod contendimus et iure contendi posse credimus, illud est, in huius-

modi interpretandi methodo, quae inter veteres adeo late patet, communem omnibus manifestari persuasionem, quae tenet, factis evangelicis seu, quod idem est, Evangeliis ipsis hinc inde mysticum sensum inesse. Porro communem Patrum et probatorum interpretum persuasionem spernere haud licere, nemo catholicus negabit.

207. In fine idem suaderi posset *exemplis*. Potest enim ex Evangeliis saltem unus aut alter afferri locus, in quo vel juxta eas hermeneutices regulas, quae internae dicuntur, praeter sensum literalem etiam mysticus sensus admittendus videtur. Nobis hoc argumentum longius prosequi non licet. Sufficiat unum aut alterum indigitasse locum, in quo omnibus diligenter perpensis revera certis rebus aut factis evangelicis sensum aliquem mysticum subesse vir cordatus negare vix poterit. Huc referimus lotionem pedum *(Maldon. in Ioan. XIII. 7.; Calmet in Ioan. XIII. 8.)*; ficum a Christo maledictam et e vestigio arefactam *(Maldon. in Matth. XXI. 18.; Calmet in Matth. XXI. 19. et Marc. XI. 13.)*; transfixionem lateris Christi crucifixi *(Maldon. Matth. XXVI. 56.; Calmet Ioan. XIX. 34. et 35.)*; ea, quae circa titulum crucis acta ac a Pilato dicta sunt *(Maldon. Matth. XXVII. 37.)*; verba, quae Christus e cruce ad matrem discipulumque suum Ioannem dixisse refertur; ac tandem duplicem piscium capturam in Evangeliis accuratissime descriptam *(cfr. Aug. in Ioan. tract. 122. n. 6. et 7.[1] coll. serm. 284—252. alias de divers. serm. 4. seqq. et serm. 270. alias de Sirmond. serm. 22. n. 7.; Bellarm. de Rom. Pontif. l. I. c. 20. et supra n. 184. et 185. in notis.)*

[1] Temperare nobis non possumus, quin hunc locum pulcherrimum Augustini integre adscribamus. Ita igitur ibi legimus: «Ibi ecclesia in hoc saeculo, hic vero in fine saeculi figurata est: ideo illud ante hoc autem post resurrectionem Domini factum est, quia ibi nos Christus significavit vocatos, hic resuscitatos. Ibi retia non mittuntur in dexteram, ne solos significent bonos, nec in sinistram, ne solos malos: hic autem inquit: Mittite in dexteram navigii rete, ut significaret eos, qui stabunt ad dexteram, solos bonos. Ibi rete propter significanda schismata rumpebatur; hic vero, quoniam tunc iam in illa summa pace Sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad Evangelistam dicere: Et cum tanti essent i. e. tam magni, non est scissum rete.... Postremo in illa piscatione numerus piscium non exprimitur, tamquam illud ibi fiat, quod praedictum est per Prophetam: Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum: hic vero non sunt aliqui super numerum, sed certus est numerus centum quinquaginta tres; cuius numeri ratio Domino iuvante reddenda est.»

208. Assertio secunda. *Idem, licet non adeo certo, de nonnullis rebus et factis dici potest, quae post Christi ascensionem acciderunt et non in Evangeliis sed in aliis Novi Testamenti libris relata leguntur.* Qui in hac re contrarium sentiunt, non sunt ii soli, qui aut sensum mysticum Novo Testamento omnino inconvenientem et impossibilem iudicant aut eidem sensum istum ob alias rationes de facto abiudicant. Scilicet non desunt auctores, qui, ut diximus *(n. 204.)*, Evangeliis mysticum sensum concedentes eundem ab aliis Novi Testamenti libris penitus exclusum esse volunt. Contra omnes, qui quacumque demum de causa assertionem nostram in dubium vocant, possumus ante omnia in rem nostram ponere praeiudicium, quod iam supra *(l. c.)* tetigimus. Conceditur aut contra negantes in superioribus demonstratum est, tum in Veteri Testamento tum etiam in Evangeliis Novi Testamenti identidem sensum vere mysticum reperiri. Cur ergo non idem de ceteris Novi Testamenti libris coniicere licebit? Haec coniectura confirmatur per id, quod supra *(n. 204.)* dictum est. Ibi primo monuimus, nihil esse, quod ostendat, huiusmodi sensum magis Evangeliis quam ceteris libris Novi Testamenti congruere, deinde alterum adiunximus, quod consideratione dignum est. Scilicet si quae sunt, quae contra sensum mysticum ex indole Novi Testamenti afferri posse videntur, ea potiori iure valent de Evangeliis quam de ceteris libris. Nam Evangelia tum doctrinae perspicuitate tum rerum sublimitate inter omnes Scripturae libros primum locum occupant. Item ex dictis adversarii fateri coguntur *(Patrit. l. c. n. 379.)*, Patres de hac quaestione aut nihil certi definivisse aut magis favere sententiae nostrae. Ad haec s. Thomam, qui merito lumen scholae ac theologorum princeps habetur, item non pro ipsis stare sed pro nobis adversarii ultro concedunt. *(Cfr. Patrit. l. c. n. 381.)*[1] Ut pondus

[1] Revera clarissima sunt verba s. Thomae *(Quodlib. VII. art. 15. ad 5.)*, quibus docet, ea, quae dicuntur de Christo, posse exponi de ecclesia. Et doctrina, quae ibi proponitur, Ea, quae Christo in vita mortali acciderunt, sunt figura corporis mystici; et quae secundum literam de ecclesia primitiva dicuntur, non solum moraliter et anagogice ad posteriora ecclesiae tempora transferri possunt, sed aliquando expositionem, quae vere allegorica et quasi typica est, admittere videntur. Haec quoad rei substantiam s. Thomas. Iam vero de primitiva ecclesia non tam Evangelia sed alii Novi Testamenti libri et maxime Actus Apostolorum et Apocalypsis agere in-

hoc auctoritatis pro sententia nostra magis appareat, his auctoribus eos theologos ac interpretes addere possumus, qui Evangelia hinc inde mystice interpretantur. Sunt autem numero omnino plurimi imo ex antiquioribus fere omnes. Hi enim communiter inter Evangelia ceterosque libros nihil solent distinguere sed generatim docere vel supponere videntur, Scripturis tum Veteris tum Novi Testamenti haud raro sensum mysticum inesse. Concedendum tamen est, eos pro Novo Testamento exempla ex solis Evangeliis sumere consuevisse.[1] *(Bonfrer. l. c. c. 20. sect. 3. n. 7.; Patrit. l. c. n. 380.)* Ita tandem *ex auctoritate non solum validum praeiudicium sed haud spernendum argumentum* pro sententia nostra desumi posse videtur.

209. Post haec deveniendum est ad proprii nominis argumenta. Primum argumentum, quod satis aptum videtur, ducimus ab *exemplis*. Inveniuntur enim, ut nobis videtur, in libris Novi Testamenti etiam praeter Evangelia loci aliqui, qui cum sufficienti probabilitate pro re nostra facere videntur. Reperiuntur nimirum in Novo Testamento etiam extra Evangelia nonnulli loci, in quibus aut describuntur aut tanguntur res post Christi ascensionem in coelum gestae aut factae, quibus mysticam significationem subesse si non invicte demonstratur saltem magnopere suadetur. Quare locis illis, in quibus haec leguntur, sensum mysticum subesse pari probabilitate admittendum erit. Quo posito veniamus ad exempla.[2] Hic tamquam exemplum

veniuntur. Ergo etiam isti libri iuxta s. Thomam aliquando allegorice exponi possunt.

[1] Haec auctoritas munitur etiam ex iis, quae alia occasione infra *(n. 210.)* de reconciliandis variis variorum interpretationibus dicturi sumus.

[2] Ad allegoricam Petri visionem *(Act. X. 11. seqq.)* et alia similia non provocamus. Persuasum enim nobis est, in huiusmodi locis proprie nonnisi unum sensum reperiri, quem in rigore non sensum mysticum sed symbolicum aut allegoricum appellandum et tandem sensui literali accensendum credimus. *(Cfr. n. 184. in nota.)* Neque insistimus in iis, quae supra *(n. 201.)* de typis in Novo Testamento inveniendis adduximus et aliquatenus in rem praesentem derivare possemus. Ibi nimirum diximus, Eucharistiam non solum constituere signum efficax gratiae sed simul esse signum prognosticum futurae gloriae, quod theologi in universum docent de sacramentis Novae Legis. *(Cfr. Franzelin de sacram. in gen. thes. II. n. II.)* Quo posito ita quis posset in rem nostram argumentari. De institutione et usu sacramentorum non solum in Evangeliis sed et in aliis libris Novi Testamenti sermo est. *(Act. II. 41. 42. VIII. 14. seqq. XIX. 5.;*

omnium probabilissimum nobis occurrit *donum linguarum,* quod teste Scriptura *primitivae ecclesiae in prima die Pentecostes concessum fuit.* In hoc enim dono adeo splendido atque extraordinario s. Augustinus constanter et certo significationem aliquam propheticam invenisse sibi visus est. Significatio illa, quae, si vera est, in sensu stricto mystica dici debet, iuxta Augustinum in eo est, ut donum linguarum futuram ecclesiae catholicitatem praefiguraverit ac veluti in nuce continuerit. Igitur quia futura Christi ecclesia omnes omnium linguarum populos complexura et omnibus linguis Deum laudatura erat, ideo iam tunc ex mystica Dei dispositione in primis suis membris per miraculum linguarum Deum omnium gentium linguis glorificabat. Sed audiamus Augustinum: «Nemo, ita quaerit s. Doctor *(serm. 267. alias de temp. 168. n. 3.)*, loquitur *(modo)* linguis omnium gentium, sicut loquebatur, qui tunc *(in die Pentecostes)* Spiritu sancto implebatur? Quia, ita enim idem s. Doctor reponit, quod illud significabat, impletum est.» Prosequitur: «Quid est illud?... Ecclesia tunc in una domo erat. Accepit Spiritum sanctum: in hominibus paucis erat; in lingua totius orbis erat. Ecce quod praetendebat modo. Nam quod illa ecclesia parva linguis omnium gentium loquebatur, quid est, nisi quod ecclesia ista magna a solis ortu ad occasum linguis omnium gentium loquitur? Modo impletur, quod tunc promittebatur.» *(Cfr. serm. 71. alias de verb. Dom. serm. 11. n. 28.; serm. 268. al. de temp. serm. 169. n. 1. et serm. 269. al. de temp. serm. 170. n. 1. in Ioan. tract. 32. n. 7. contr. lit. Petil. l. II. n. 74. et Breviar. Rom. Pentecost. Hym. ad Laud.)* En igitur prophetia realis in Actibus Apostolorum descripta! Et nota, s. Augustinum hanc interpretationem ita certam habuisse, ut ea non semel pro argumento contra Donatistas usus sit. In simile fere exemplum trahi possunt alia charismata extraordinaria, quae vigebant passim in ecclesia primitiva et tum in Actibus Apostolorum *(II. 2. seq. VIII. 17.—19. XIX. 6.)* tum

I. Cor. XI. 20. segq.; *I. Petr. III. 21.)* Ergo in iis libris agitur de rebus, quae characterem typicum habent. Iam vero per typos ex dictis necessario sensus mysticus in respectivos locos derivatur. Sed, ut diximus, his nos non insistimus, tum quia iis non indigemus, tum propterea etiam, quod reponere quis posset, sacramenta a Christo ante ascensionem suam fuisse instituta. Solum monemus, hanc evasionem satis futilem nobis videri.

in epistolis Pauli *(I. Cor. XIV.)* describuntur. Negari enim vix poterit, illum non multum a vero aberrare, qui crediderit, his charismatibus, quibus fideles adhuc in hac vita mortali degentes aliquatenus vinculis mortalitatis absoluti ac Deo et eius superna gratia quodammodo inebriati apparebant, anticipatum simul ac praefiguratum fuisse statum gloriae, de quo scriptum legimus: «In resurrectione erunt sicut Angeli Dei in coelo» *(Matth. XXII. 30.)* et in alio loco: «Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis potabis eos» *(Ps. XXXV. 9.)* et iterum: «Ut sit Deus omniain omnibus.» *(I. Cor. XV. 28.)* En «virtutes sacculi venturi.» *(Hebr. VI. 5.)*

210. Postremo *suasivum saltem argumentum* addere possumus ex *II. Thess. II. 7.*, ubi ita legimus: *„Nam mysterium iam operatur iniquitatis."* Ex hoc loco, quem ceterum satis difficilem esse concedimus, ita argumentamur. In versiculo octavo, qui nostrum immediate sequitur, iuxta unanimem fere interpretationem Apostolus loquitur de Antichristo proprie dicto seu de persona illa singulari, quae in fine mundi ventura est et impugnatura regnum Christi i. e. ecclesiam. Econtra in nostro versiculo Apostolus de sua aetate manifesto loquitur et iniquitatem suo tempore grassantem omnibusque notam commemorat. Praeterea in eo etiam fere omnes consentiunt, quod Apostolus in hoc etiam versu ad personam aliquam in particulari respiciat puta ad Neronem, qui ut adversarius Christi eiusque ecclesiae christianos impugnare per id tempus animo agitabat, et quod dictus imperator ab Apostolo consideretur ut praecursor Antichristi. Quo posito haec notamus. Apostolus, dum de persona illa eiusque in Christum inimicitia tamquam de re omnibus nota loquitur eamque abstracto nomine iniquitatem appellat, vocabulo mysterii utitur. «Mysterium, inquit, iam operatur iniquitatis.» Merito ab interprete quaeritur: Quid sibi vult hic vox mysterii? Ad quaestionem istam facile respondebis, si ponis, Apostolum ibi non habere sermonem de persona aliqua vel re, ut simplex persona vel res est, sed de re aut persona illa loqui, qua est typus et imago mysteriosa alterius personae aut rei alterius, nimirum Antichristi et eius saevitiae in ecclesiam, de qua re Paulus mox plura subiicit. Extra hanc hypothesim vero ista vox sive istud mysterium convenientem expositionem vix admittit. *(Cfr. Estius in h. l.; Calmet diss. de Antichristo; Becanus*

theol. schol. de Incarn. c. 27; Hurter l. c. tom. III. n. 755. in nota.) Sufficienti ergo probabilitate concluditur, Apostolum Neronem eiusque persecutionem in Christianos considerasse ut typum proprie dictum Antichristi eiusque persecutionis in ecclesiam in fine temporum. Quibus semel admissis nostro loco, in quo haec tanguntur, ad sensum typicum nihil deesse videtur. Praeterea aliud inde inferimus. Si forte persona Neronis eiusque persecutio in alio praeterea loco Scripturae inveniatur descripta, illi etiam descriptioni pronum est mysticum sensum tribuere. Iam vero, ut plurimi credunt *(Calmet l. c. et in II. Thes. II. 37.)*, reapse aliud non est quam Nero eiusque saeva in Christi fideles crudelitas, quod in Apocalypsi *(XIII. 18.)* sub imagine bestiae descriptum legitur. Quid igitur typica ratione semel admissa probabilius, quam in ea descriptione rationem typicam ab auctore sacro penitus exclusam non fuisse? Et en aliud exemplum haud improbabile pro re nostra. Itaque revera innuente ipsa Scriptura cum sufficienti probabilitate in uno vel altero ex libris, de quibus quaerimus, sensum mysticum invenire conceditur. Ut has interpretationes etiam aliunde et ab extrinseco fulciamus, novam considerationem addimus. His interpretationibus admissis multo facilius ad unitatem revocari possunt variae interpretationes, quae apud Patres et catholicos interpretes passim reperiuntur. Nam v. gr. citatum ex Apocalypsi locum, quem plurimi de Nerone accipiunt, simul a non paucis de Antichristo expositum videmus. Igitur si verum est, quod nos hic proposuimus, hae duae interpretationes se invicem non excludunt, sed simul retineri seu in unam, quae completa sit, conflari poterunt. Simul hoc modo facilius intelligitur, quomodo Hieronymus *(epist. 53. n. 8.)* de Apocalypsi dicere potuerit: «In verbis singulis multiplices latent intelligentiae.»[1] Quod igitur

[1] Simile quid dicatur de decem cornibus eiusdem bestiae in Apocalypsi *(Apoc. XIII. 1. XVII. 12. cfr. Calmet in hh. ll. et Becan. l. c.)* et de duobus testibus inductis in eodem libro *(XI. 3.)*, quae a variis varie exponuntur. Calmet *(in h. l.)* videns tantam in hoc loco exponendo etiam inter bonos auctores diversitatem, dum alii locum istum de Henoch et Elia, alii de Moyse et Elia *(cfr. Becan. l. c.; Maldon. in Matth. XVII. 3.)*, alii de martyribus ex oriente et occidente, alii de martyribus ex clero et populo aut ex populo hebraeo et ex gentilitate intelligunt, ita scribit: «Patres et interpretes in geminis his Prophetis Henoch et Eliam agnoverunt; quos revera fatemur in mundi exitu ante iudicium superventuros,

tandem ex ista tractatione concludendum ducimus, hoc est: Nobis neque iustum videtur esse neque prudens, si absque ratione necessaria[1] catholico interpreti eripiatur libertas, quantum res patitur *(cfr. supra n. 189.)*. quaerendi in omnibus Scripturae libris aliquo modo sensum mysticum. Item imprudenter agit, qui sine causa viam praecludere conatur, qua, quantum fieri potest, discordantes Patrum et bonorum interpretum sententiae amice concilientur et ad unitatem revocentur.[2] Porro id facere cognoscuntur ii, quos in superioribus impugnavimus.

211. Assertio tertia. *Nihilominus non solum gratuitum sed vitiosum esset, si quis omnia aut fere omnia, quae in Novo Testamento sive de vita Christi sive de fatis primitivae ecclesiae scripta leguntur, ad mysticum intellectum figuramque futurorum trahere conaretur.* Primo rem de qua agimus, paululum declarare libet. Adoptatis semel principiis, quae modo posita sunt, contendere quis posset, vitam Christi et vicissitudines primitivae ecclesiae ut typum perpetuum perpetuamque prophetiam realem futurorum ecclesiae fatorum habendam esse. Quare — ita aliquis dicere posset — sicut in vita Christi et in primitivae ecclesiae historia nihil inveniri supponitur, quod typica pro futuro significatione destituatur; ita et in publica posterioris ecclesiae historia singulis factis ac vicissitudinibus vitae Christi facta similia vicissitudinesque similes respondeant necesse est, ac singulis ecclesiae apostolicae fatis ac vicissitudinibus similia item posterioris ecclesiae fata ac vicissitudines. Imo omnia fata eodem semper ordine in ecclesia sibi succedere supponendum est, quo ordine singula primitus in eorum typo, quae est vita Christi ac historia ecclesiae primitivae, mutuo sibi

ut fideles ab Antichristo vexandos tueantur et regant. Sed antequam rei huius veritas contingat, adumbrationes nonnullae praecesserunt in viris illis sanctissimis, qui pressa frequenter variis calamitatibus ecclesia fidem virtutemque animi in adversarios veritatis exercuerunt.» En expressa ab hoc auctore sententia, quam nos proposuimus.

[1] Argumenta, quae in contrarium afferuntur, aut nullam omnino vim habent aut supra soluta sunt *(n. 198. seq.)*, ut consideranti patebit. Praecipua habes penes Patritium. *(l. c. n. 378.—382.)*

[2] Si quaeris, cur in Evangeliis magis quam in aliis Novi Testamenti libris reperiatur sensus mysticus, notanius ista. Primo manifeste libri historici prae aliis libris ratione materiae tali sensui aptiores inveniuntur. Iam vero praeter Actus Apostolorum in Novo Testamento sola Evangelia

successisse deprehenduntur.[1] Haec est theoria, quam improbamus. Igitur huiusmodi suppositionem seu theoriam nos ante omnia plane gratuitam dicimus. Ratio est manifesta. Non enim perspicimus, quibus rationibus huiusmodi theoria, quae Novo Testamento rebusque evangelicis atque apostolicis adeo amplam et adeo determinatam significationem mysticam inesse supponit, aut demonstrari aut etiam utcumque suaderi possit. Legimus quidem penes Augustinum (*in Ioan. tract. 9. n. 1.*): «Omnia, quae fecit Dominus Iesus, non solum valent ad excitanda corda nostra miraculis sed etiam ad aedificanda in doctrina fidei.» Sed sanctus Doctor, dum ita scriberet, non unice sensum mysticum sed insuper etiam illum prae oculis habuit, qui derivatus dicitur quique aut ab exemplis aut a contrariis etc. ducitur vel rectius a vero ac primitivo sensu per quandam consequentiam infertur ac concluditur. Quare licet ea suppositio, quam impugnamus, reiiciatur, verba Augustini verissima manent. Idem dic de aliis aliorum Patrum aut doctorum, si qui reperiuntur, locis ac sententiis, quae huic locutioni Augustini similes esse videantur. Alioquin, quod nos scimus, nemo ex theologis et interpretibus catholicis alicuius nominis, ex iis dico, qui, quod asserunt, etiam demonstrare conantur, tale aliquid aut pro certo defendit aut probabile utcumque dixit. Imo omnibus persuasum esse videmus, sensum typicum ac mysticum multo latius patere in Veteri Testamento et in historia

historica esse deprehenduntur. Si deinde Evangelia cum Actibus Apostolorum comparaveris, invenies praecipue in Evangeliis referri vitam Christi. Haec autem, cum centrum sit totius historiae sacrae, sicut in Veteri Testamento variis typis praefigurata fuit, ita vicissim aptissima est, quae sit exemplar et prototypon futurorum. Aliis verbis, quae in corpore Christi mystico suis temporibus sunt agenda, per vitam Christi mortalem satis apte in antecessum praefigurantur ac praemonstrantur, quod de historia Apostolorum pari iure dici non potest.

[1] Simile quid revera in fine saeculi elapsi in Gallia nonnulli, qui Iansenistarum sectae favebant, fecisse videntur. Illi enim, qui Figuristae appellantur, aut vitam Christi aut historiam Machabaeorum per abusum allegorice interpretabantur, ut per haec et suos errores firmarent et veram ecclesiam calumniarentur et se solos in oppositione ad alios, qui Sedi Romanae obedientes erant, veram ecclesiam esse imprudentibus persuaderent. *(Cfr. Stimmen aus Maria-Laach a. 1877 i. c. tom. XIII. p. 240 sqq.; Hammelauer Schöpfungsbericht p. 68.)* Etiam nonnulli scriptores ascetici nostri temporis ab hac suppositione hinc inde non longe abesse videntur.

sacra ante Christum, quam in Testamento Novo i. e in vita Christi atque in primitiva ecclesiae Christi historia. Nihilominus auctores cordatiores neque in historia Veteris Testamenti ubique mysteria ac mysticas significationes aucupari licitum duxerunt. Quare haec sententia contra communem theologorum sensum esse merito videtur. Certe s. Thomas *(Quodl. VII. art. 15. n. 5. cfr. hic n. 208. in nota)*, licet satis aperte doceat, historiam primitivae ecclesiae ac vitam Christi significatione typica non carere; in hac re ita caute loquitur, ut id non de omnibus, nec de multis sed de paucis admodum rebus supposuisse dicendus sit. Idem confirmatur factis hoc modo. Certe magna aut saltem haud exigua historiae ecclesiasticae pars nostris temporibus iam effluxit. Iam vero quis quaeso inter historiam ecclesiasticam octodecim saeculorum elapsorum et inter vitam Christi aut primitivae ecclesiae vicissitudines tantam harmoniam monstrare poterit, quantam adversariorum sententia comminiscitur? Imo quis non in multis apertam dissimilitudinem seu defectum praetensae illius similitudinis vel invitus agnoscere cogitur? Praeterea sententiam istam etiam vitiosam diximus. Ratio est in promptu. Si enim supponis, sententiam hanc tum ab omnibus pro certa retineri tum in toto rigore sumendam esse, inde tam pro historia ecclesiastica recte intelligenda quam pro diiudicandis rebus, quae ab ecclesia eiusque ministris pro occasione temporum aguntur, necnon pro habenda in futurum providentia incommoda haud levia enasci posse ac debere facile perspicies.

ARTICULUS SECUNDUS.

An aliud praeterea magis absconditum sensus mystici genus in Scriptura inveniatur?

212. Assertio unica. *Praeter illud sensus mystici genus, quod solis rebus superstruitur et ordinarium dici potest, aliud interdum in Scripturis nostris reperitur, quod non rebus solis perfecte inesse intelligitur, sed per modum ordinemque tractandi ac rerum delectum completur nec immerito extraordinarium appellatur.* Notionem distinctam hujus sensus supra *(n. 185.)* iam dedimus, per quam etiam rei possibilitas patefacta ac demonstrata haberi potest. Simul ibi indicatum est, in quo hoc sensus mystici genus tum a sensu literali tum ab

ordinario mystici sensus genere differat, et cur talis sensus merito sensui mystico adnumerandus sit. Ceterum haec omnia exemplis, quae pro re demonstranda afferemus, magis illustrabuntur. Quare continuo ad rei demonstrationem accedimus. Igitur

213. Assertionem nostram ante omnia demonstramus per *exempla. Luculentum huius rei exemplum,* quodque adhibito interprete Paulo Apostolo indubium esse videtur, habemus in loco Genesis *(XIV. 18.—20.)*, ubi de *Melchisedech* agitur. Notissimum est, Apostolum *(Hebr. V. 10. 11. VII. 1. seqq.)*, dum de Christo eiusque sacerdotio loquitur, provocare ad Melchisedech, quod per illum in Veteri Testamento Christus eiusque sacerdotium adumbratum fuerit. Iam vero in hoc Christi typo exponendo Paulus eo interpretandi modo usus est, qui, si semel admittitur, necessario illud, de quo hic quaeritur, sensus mystici genus supponit atque postulat. Id ostendimus hoc modo.[1] Penes Apostolum de Melchisedech haec praecise verba dicta inveniuntur: *„Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum“ (l. c. VII. 3. coll. 8. 16. 23. 24.).* Haec verba Apostoli multa iam torserunt ingenia et in diversissimas fecerunt interpretes abire sententias. *(Cfr. Calmet dissert. de Melchis.)* Nihilominus hoc indubitatum esse debet et penes optimos interpretes constare iam invenitur, qualitates illas et characteres, qui hic Melchisedech tribuuntur, et per quos Melchisedech teste Apostolo praefigurabat Christum, ipsi Melchisedech minime convenire vel convenisse realiter

[1] Plura hic tanquam certa supponimus. Supponimus 1. huius epistolae auctorem in loco, de quo agitur, respicere ad Genesim, 2. eam epistolam esse canonicam. Proinde dici non potest, auctorem epistolae non interpretari Genesim, sed potius ludere verbis ac sententiis sine rerum veritate et sine obiectivo fundamento. Ceterum id auctor ipse excludit his verbis *(v. 11.)*: «De quo *(i. e. de Melchisedech eiusque cum Christo comparatione)* nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.» Ex his concluditur, tantum abesse, ut auctor plus dicere intendat, quam quod rerum veritas habet, ut timeat, ne omnia, quae locus ille continet, explicare non sufficiat. Insuper haec Apostoli interpretatio iam per Psalmistam *(CIX.)* in nuce praeformata fuit. Psalmista enim Christum non solum generatim per Melchisedech praefiguratum fuisse significat sed in eo praecise Christum Melchisedech assimilatum esse commemorat, quod aeternum habeat sacerdotium. «Tu es, inquit, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.»

et prout in se est vel fuit persona historica. Haec eidem solum conveniunt attento modo, quo Scriptura de eo loquitur. Aliis verbis Melchisedech non prout simpliciter historica persona est, sed prout in Scriptura repraesentatur et eius, qui Scripturam legerit, conspectui offertur, eo modo, quo loquitur Apostolus, aeternum Christi sacerdotium praefigurare seu repraesentare cognoscitur. *(Cfr. Calmet l. c. et in h. l; Estius et Bisping ibid.)* Quodsi ita est, iuxta Apostolum mysterium praecise in eo inesse dicendum est, quod Scriptura circa hunc virum tum patrem tum matrem tum generatim genealogiam, necnon et initium ac finem totumque vitae ordinem tacuisse inveniatur, acsi vir fuerit, qui cum rebus humanis nullo prorsus vinculo necteretur. Brevi in hoc loco Genesis iuxta Apostolum non tam in rebus per se spectatis sed in modo narrandi mysterium latet. Iam vero, ut quisque facile intelligit, in hoc praecise ille sensus consistit, quem hic nos cum tanto studio Scripturae vindicare intendimus. Ergo Paulum ipsum istius sensus assertorem habemus.

214. Hanc rem nos hic adhuc paulo amplius declarandam censemus. Igitur ne credas, ad istum sensum in dicto Genesis loco inveniendum Apostolo vel alteri interpreti omnia omnino indicia defuisse, illamque interpretationem per se et sine auctoritate Apostoli adeo improbabilem videri. Quod ut intelligas, nota, quae sequuntur. In loco citato ante omnia inter medios idololatras videmus nobis occurrere virum fidelem, qui rex est iuxta et sacerdos, isque sacerdos Dei altissimi. Deinde tum homo ipse tum locus, ubi regnat, insignitus apparet nomine splendidissimo. Dicitur enim vir ipse Melchisedech i. e. rex iustitiae, et locus, ubi regnat, Salem i. e. pax vocatur. Est ergo vir ille ex nomine rex pacis. Notum porro est, nominibus in Scriptura saepissime mysteria subesse i. e. in Scriptura haud raro nomini respondere rem, quae tali nomine significatur. Praeterea Melchisedech Abraham benedixisse narratur, qui et ipse pater erat credentium et in quo omnes gentes benedicendae sperabantur. Et quod auget miraculum, Abraham benedicitur in terra, quae illi in perpetuam possessionem promissa erat; benedicitur, dum parta victoria splendidissima a caede quatuor regum spoliis atque praeda onustus revertitur. Statim Abraham quasi in signum subiectionis Melchisedech decimas offert ex

omnibus, quae attulerat, quas iste quasi rem sibi debitam accipit. Quasi dixerim: Ubi in tota historia Veteris Testamenti vir similis occurrit? Si quis alius nonne prae primis iste aptus erat, qui typus sit Christi, quem tota historia antiqua praenuntiabat? Et nihilominus, dum Scriptura aliorum parentes et genealogiam, ortum vitae et interitum diligenter persequitur, dum huius etiam et sacerdotium et nomen et urbem, in qua regnabat, solerter refert, de parentibus tanti viri aliisque vitae circumstantiis altum tenet silentium. Nec alibi deinceps in Scriptura de ipso aut de eius posteris aliquid legimus. Non legimus v. gr. aut ipsum Melchisedech aut eius posteros, quod per se pronum ac fere necessarium videbatur, Abraham vel posteris eius sive in longa eorum peregrinatione in terra Chanaan sive in occupatione eiusdem terrae promissae unquam occurrisse.[1] Nonne haec omnia valde mira videntur? Nonne haec ei, qui Scripturae indolem perspectam habuit, sufficiens indicium praebere poterant, ut in isto agendi modo, quam Scriptura hic tenuisse invenitur, mysterium altius rimaretur? Si Melchisedech, ut in se probabile videtur, typus et figura est Christi, numquid silentium adeo eloquens circa virum istum sine mysterio erit? Nunc autem quod in se solam suspicionem de mysterio aliquo ingerere poterat, per Apostolum authentice declaratum habemus.[2]

215. *Alterum exemplum* minus tamen luculentum minusque certum habes in Novo Testamento penes Matthaeum *(I. 1. seqq.)*

[1] Ad haec infirmanda quidam notant, etiam de aliis personis distinctis, ut de Elia Prophета, in Scriptura silentium simile reperiri. Respondemus primo: Quis certo scit, nullum ibi latere mysterium? Deinde quantumvis magnus fuerit Elias, tamen sub certo quodam respectu tantus non fuit, quantum Apostolus facit Melchisedech *(Hebr. VII. 7.)* Quare ratio in utroque non est perfecte eadem. Denique de Elia saltem patria indicatur *(III. Reg. XVII. 1.)* et haeres spiritus non tacetur *(IV. Reg. II.)*. Itaque neque in ipso silentio quoad utrumque exemplum perfecta paritas observatur.

[2] Etiam auctor libri Sapientiae in eo, quod Moyses in narranda mundi creatione circa certam classem animalium consuetae benedictionis mentionem intermisit, mysterium aliquod seu significationem occultiorem agnovisse videtur. *(Sap. XV. 18. 19. coll. Allioli in h. l.)* Ita cum quadam probabilitate in narratione creationis aliud nostrae rei exemplum ponere liceret, cuius Scriptura ipsa sive posterior auctor inspiratus interpres et testis existit. Sed in his ex certis rationibus non admodum insistimus.

ubi ponitur *genealogia Christi.* Videamus, quid mysterii ibi sit. In ea genealogia, tum si res spectetur in se ipsa, tum ex sententia satis communi Patrum catholicorumque interpretum duo non sine mysterio esse videntur. Primum igitur, quod non videtur carere mysterio, est determinatus numerus generationum earumque distributio in tres classes numero perfecte aequales. Nam tum ab Abraham ad David tum a David ad captivitatem tum a captivitate ad Christum ab Evangelista praecise quatuordecim generationes numerantur. Attendatur vero in hac re, quomodo Evangelista ipse tum numerum generationum tum divisionem diligenter notaverit. Quae quaeso huius rei ratio esse potest, quam mystica quaedam eius significatio? Ita reapse multi auctores optimae notae hanc rem interpretantur. *(Cfr. Maldonat. in h. l.; Allioli in h. l.; Hummelauer Schöpfungsbericht c. 4. p. 66; Wieser Zeitschrift für kathol. Theolog., Innsbruck 2. Jahrg. p. 131; Ambros. in Luc. l. III. n. 16.)*[1] Deinde in hac genealogia item non videtur carere mysterio, quod ibi ex mulieribus non introducantur nisi quatuor, quae omnes alienigenae et excepta Ruth simul peccatrices fuisse deprehenduntur. Nolumus certe contradicere Maldonato, dum scribit *(in v. 3. h. l.):* «Praetermisit Evangelista, quod ordinarium erat quodque per se intelligi poterat, quod autem singulare et dubium erat, exposuit.» Sed hoc per se solum non videtur sufficere, nec possumus improbare Calmet *(in v. 3. h. l.)*, qui plures secutus Patres: «Docuit, ait, his exemplis Matthaeus, Iesum, qui peccatores servaturus venerat, tales non dedignari in maiorum suorum censu, omnesque ab illo indiscriminatim ad salutem vocari, iustos et iniquos»[2] *(cfr. Allioli ad v. 17. h. l.)* et addere po-

[1] Quale reapse sit mysterium, nos hic accuratius inquirere nolumus. Nobis sufficit, si adesse concedatur, qualecumque demum sit. Allioli illo numero miram Dei de Messiae prosapia providentiam indicari autumat. Origenes et Hieronymus numerum generationum ad Christum pertingentium conferunt cum quadraginta duabus stationibus populi Israel in deserto, ut, quot stationibus populus ille pervenerit ad terram promissam, tot generationibus perveniatur ad Christum. Maldonatus ita habet: «Medici quartum decimum diem criticum vocant et omnium in morbis periculosissimum esse dicunt. Videtur igitur Deus congruenter naturae decimo quarto quoque saeculo populi sui statum mutare voluisse, ut una republica quodammodo mortua alia nasceretur melior.»

[2] Maldonatus contra hanc interpretationem, quae eum minime latuit, haec objicit. Iuxta multos supponendum est, etiam ex viris tres reges ob

tuisset: Iudaeos et gentiles. Imo horum interpretum vestigio insistentes non sine magna probabilitate ulterius procedere possumus. Dicimus ergo: Per haec item mystica significatione innuitur, fore, ut in novo Christi regno Iudaeis gentiles et illis, qui iustos se arbitrarentur, anteponantur ii, qui peccatores se confiteri haud gravantur. *(Cfr. Rom. IX. seq. Marc.; II. 17.)* Ita hic praeter sensum literalem alius probabiliter isque multiplex reperitur sensus, qui oppido mysticus est dicendus. Quare pro scopo nostro adhuc demonstrandum manet, sensum istum ad illud genus pertinere, de quo hic agimus. Hanc demonstrationem ita absolvimus.

216. Secunda et tertia ex significationibus mysticis, quas numero superiore circa genealogiam Christi recensuimus, aperte non in obiectiva rerum veritate sed in rerum delectu modoque narrandi fundatur, quem Evangelistae in recensenda Christi genealogia tenere placuit. Si enim Evangelista mulieres omnes, quae per se genealogiam illam ingrediuntur, in textum sacrum introduxisset, sicut nemo mysterium in iis quaesivisset, ita illud mysterium, quod supra secundo loco innuimus, nullo modo significare potuisset. Tunc enim in ea genealogia feminae exterae hebraeis bonaeque malis sine discrimine ac mysterio permixtae invenirentur. Idem valet de significatione mystica, quam primo loco innuimus. Nemo negabit, mysterium, quodcumque demum sit, ibi in pari generationum numero et in parili earum dispositione positum esse. Iam vero inter interpretes nunc certum habetur et ex Scriptura ipsa perspicitur, non omnes absolute generationes ibi ab Evangelista recensitas esse sed inter Ioram et Oziam *(v. 8.)* tres omnino generationes excidisse. *(Cfr. Ambros. in Luc. l. III. n. 45; Maldonat et Calmet in h. l.; Can. l. c. l. II. c. 18. ad 6; Allioli ad Matth. I. v. 5; Hummelauer*

peccata sua in hac genealogia fuisse omissos. Quomodo ergo mulieres ob peccata credi possunt introductae, cum viri ob peccata excludantur? Reponimus: Cur non potuit Evangelista in seligendis mulieribus alia ratione duci, alia in seligendis viris; cum diversum utrisque vellet subjicere mysterium? Ad haec aliam considerationem addimus. Evangelistae certe genealogiam suo modo completam texere propositum erat. Quare in viris non omnes peccatores omittere potuit vel solos peccatores assumere. In mulieribus vero id facere licuit. Igitur si per delectum personarum Evangelistae tale aliquid significandum erat, pro eo scopo solae mulieres aptae esse poterant.

Stimmen v. Maria-Laach an. 1874. Heft VI. p. 164 seqq. et 358 seqq.)[1] Ergo quaecumque demum aliunde ratio fuerit vel fingatur, cur Evangelista in libro generationis Christi nonnullos gradus omiserit, semper verum manet, distributionem parilem aequalitatemque generationum, prout ea ab Evangelista ipso expressis verbis ponitur, non secundum obiectivam rei veritatem sed mere secundum rerum statum, qui ab Evangelista exhibitus invenitur, accipiendam esse. Si ergo ibi mysterium latet, sicut saltem probabilissime latere diximus, illud non ex solis rebus, prout in se sunt aut fuerunt, sed potius ex rerum delectu ac ordine, prout occulto consilio ab Evangelista positus invenitur, colligendum erit. Ergo etiam hic vestigium saltem haud dubium illius sensus invenitur, de quo hic quaerimus.[2]

217. Postremo doctrinam nostram *auctoritate Patrum* confirmare possumus. Igitur sic penes Augustinum *(in Ioan. tract. 49. n. 3.)* legimus: «Bene intelligimus, *tres illos mortuos,* quos in corporibus suscitavit *(Christus cfr. Matth. IX. 18. seqq. cum parall.; Luc. VII. 11. seqq.; Ioan. XI.), aliquid significare et figurare* de resurrectione animarum, quae fit per fidem.» Hoc deinde s. Doctor statim latius exponit simul congruentiam suae assertionis ostendens his verbis: «Resuscitavit filiam archisynagogi adhuc in domo iacentem, resuscitavit iuvenem filium viduae extra portam civitatis elatum, resuscitavit Lazarum sepultum quatriduanum. Intueatur quisque animam suam; si peccat, moritur... aliquando in cogitatione peccatur. Intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animam resuscitare se significans Dominus resuscitavit illam puellam, quae nondum erat foras elata, sed in domo mortua iacebat: quasi peccatum latebat. Si autem non solum malae delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti, quasi mortuum extra portam extulisti: iam foris es et mortuus elatus es. Tamen et ipsum Dominus resuscitavit... Tertius mortuus est Lazarus. Est genus mortis immane: mala con-

[1] Idem et inter alias generationes factum esse, saltem suspicari licet. Nam v. gr. incredibile fere est, inter Naasson, qui vixit tempore egressionis ex Aegypto *(Num. II. 3. X. 14.)*, et Iesse patrem David solas quatuor istas generationes intercessisse, quae hic enumeratae habentur.

[2] Alia exempla habes penes Hummelauer *(Schöpfungsbericht 1. Abschnitt n. 5. p. 16. seqq.)*

suetudo appellatur. Qui peccat et continuo corrigitur, cito reviviscit: quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consuevit, sepultus est et bene de illo dicit: Foetet; incipit enim habere pessimam famam, tamquam odorem teterrimum. Dicis ei: Noli facere. Quando te audit, quem terra sic premit et tabe corrumpitur? Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit virtus Christi.» *(Cfr. serm. 67. al. de verb. Dom. serm 8. n. 2. serm. 98. al. de verb. Dom. serm. 44. n. 5.)* His simillima reperis penes Gregorium M. *(Moral. l. IV. c. 25. in fine).* Ergo ex sententia horum aliorumque Doctorum in narratione evangelica de tribus mortuis a Christo resuscitatis aliquod mysterium latet, prout hi Patres non solum per interpretationem suam factis ipsis docent sed insuper simul expressis verbis affirmant. Iam vero, quod ad rem praesentem spectat, mysterium istud non rebus per se solis inesse intelligitur, sed, ut illud ex narratione evangelica erui possit, simul totus rerum delectus, prout in Evangeliis se offert, nec non et ratio, qua singula narrantur ac describuntur, attente consideranda sunt. Id clarius ostenditur per sequentes observationes. Certum ad minimum non est, praeter illos tres, quorum resuscitatio in Evangeliis narratur, neminem alium a Christo fuisse resuscitatum. Et tamen etiam numerus in re nostra quam maxime ad mysterium pertinet. Nec Augustinum aliosque Patres id latuit.[1] Unde apposite ad rem nostram Augustinus *(serm. 98. n. 3.): „Multi ergo sunt alii sine dubio resuscitati sed non frustra tres commemorati.“* Insuper, prout perspicitur ex supra citatis Augustini verbis, quibus a s. Doctore trium mortuorum a Christo suscitatorum mysticam significationem assertam declaratamque audivimus, illae praecise in hisce factis ab Evangelistis circumstantiae relatae atque notatae inveniuntur, quae mysticae significationi apprime congruere videntur. Ita v. gr. solerter notatur in Evangelio, quod filia archisynagogi adhuc in domo paterna iacuerit, filius viduae in eo fuerit, ut extra civitatem efferretur, Lazarus vero iam in sepulchro latuerit. Notatur, quod Lazarus

[1] Augustinus *(serm. 98. n. 3.)* interpretationi suae haec verba praemittit: «Quot autem mortuos ... suscitaverit *(Christus)* ... quis novit? Non enim omnia, quae fecit, scripta sunt *(Ioan. XXI. 25.)*. Multi ergo sunt sine dubio resuscitati.»

institis ligatus foetere iam inceperit, aliaque huiusmodi, quae ad mysticam significationem faciunt. Econtra circumstantiae, quae minus ad rem fuissent significationemque mysticam turbare aut obscurare potuissent, ab Evangelistis praetermissae fuerunt. Ad haec in describendis rebus sensibilibus ac corporalibus talia plerumque adhibentur verba, quae simul rebus spiritualibus sensuique mystico optime conveniunt. Ex istis merito concludimus, Augustinum aliosque Patres illud genus sensus mystici, quod hic asserimus, et agnovisse et probasse. Ut hoc argumentum, quod ex Patrum auctoritate ducimus, magis roboretur, aliqua notanda sunt. Primo haec interpretandi methodus, quae vel ex rerum tractandarum selectione atque ordine, vel ex modo narrandi, vel ex Scripturae silentio significationem aliquam aut mysterium elicere conatur aut saltem mysticas alterius generis interpretationes inde magis confirmat atque illustrat et per haec cum ordinario mystici sensus genere aliqua ratione miscet hoc aliud, penes Patres satis frequens est. *(Cfr. Ambros. in Luc. l. II. n. 30. Breviar. Rom. die 24. Iunii. l. III. n. 19. 47. 48. l. IV. 12. 31. seqq. et n. 57. seq. l. V. n. 1. 27. 30. l. VI. n. 79. 82. 83; Hieronym. epist. 64. n. 21. 22. et Matth. c. 2. v. 13. Brev. Rom. in fest. Innocent.; Bernard. de Assumpt. Virg. serm. 2. Brev. Rom. die 22. Aug.; Bernardin. Senens. serm. 9. de Visit. Brev. Rom. festum Cord. Mariae Dom. post Octav. Assumpt.)* His addimus, non facile aliquem saltem inter antiquiores reperiri posse auctorem, qui hoc interpretandi genus aperte improbaverit. Ex his recte concludi posse censemus, sententiam, quae docet huiusmodi mysticas interpretationes interdum Scripturae convenire atque aptari posse, inter catholicos satis communem esse vel saltem aliquando fuisse. Haec sit ergo conclusio nostra: Solertia, qua quis hinc inde in Scriptura huic similem sensum scrutari conaretur, nemini probro vertenda nec in genere vituperanda videtur.[1]

[1] Libenter concedimus, penes asceticos, oratores sacros, imo forte etiam penes interpretes et Patres hoc interpretandi genus haud raro nimis ampliatum fuisse. Item persuasum nobis est, eosdem, dum hoc interpretandi genere utuntur, non semper id intendere, ut, quod dicunt, revera pro sensu, qui vere ac proprie Scripturae insit, suscipiatur. Potius auctores isti haud raro ad rem quampiam magis illustrandam solum accommodatione aliqua usi aut sensum, quem derivatum diximus, persecuti esse

Corollarium. 218. Quae de inveniendo sensu mystico per hermeneuticam in genere praescribuntur et a nobis obiter supra *(n. 194.)* indicata sunt, huc etiam transferenda apparent. Quare in hoc sensu eruendo ne a vero aberremus, tum auctoritate Scripturae in locis aliis tum interpretatione ecclesiae ac Patrum tum internis etiam indiciis utendum nobis erit. Deinde magis in specie haec notamus. Primo in hoc extraordinarii generis sensu inveniendo ac statuendo magis adhuc quam in aliis recurrendum esse ad Patrum interpretationem, ecclesiae sensum catholicorumque interpretum consensum, per se manifestum esse videtur. Sine his enim extrinsecis adminiculis in hoc genere vix unquam aliquid, quod, ne dicam, certum sed nec quod satis probabile sit, assequi poteris. Secundo ea, quae supra *(n. 192. seqq.)* circa vim demonstrandi de sensu mystico in genere diximus, in rigore etiam quoad hoc genus magis extraordinarium valere debent. Nihilominus sensus huiusmodi, quem ultimo loco exhibuimus, manifesto cum minore adhuc vi et efficacia ad res demonstrandas adhibebitur quam sensus mysticus in communi. Dum enim sensus mysticus in communi ab omnibus sine haesitatione admittitur atque admittendus esse certo demonstratur; ille, de quo ultimo loco sermonem instituimus, et minus certis exemplis et argumentis per se adesse ostenditur et forte multis aut nullo modo aut nonnisi cum magna tergiversatione admittendus videbitur.

---

videntur. Ita v. gr. iudicare licebit, si videmus, Basilium *(Regul. fusior. interrog. 17.)* modestiam in ridendo inde commendare, quod Christus nunquam in toto Evangelio risisse legitur; vel si Ludovicus da Ponte *(Meditat. p. I. medit. 23. punct. 2. et 4.)* ad verba Evangelistae *(Matth. II. 11.)*: «Invenerunt puerum cum Maria matre eius» ei, qui haec legerit, istud meditandum proponit: Per haec nos docemur, Christum nonnisi cum Maria et per Mariam inveniri a nobis posse; vel si idem in alio loco observat: Magi per absentiam Ioseph admoniti fuerunt, puerum Iesum non via ordinaria sed per miraculum ac sine patre esse genitum. Sed unum hic notandum est. Non facile intelligi potest, quomodo Patres et catholici scriptores optimae notae hoc genere interpretationis aut etiam accommodationis tam frequenter uti consueverint, nisi persuasum illis fuisset, hoc genus sensus mystici, quod hic descripsimus ac tuemur, tum in se possibile apparere tum Scripturae nostrae hinc inde revera a Deo inditum fuisse.

LIBER QUINTUS.

De nexu inter inspirationem et multiplicem sensum literalem.

INTRODUCTIO.

219. Inter veteres haud paucos docuisse, sacram Scripturam hinc inde habere duplicem vel etiam multiplicem sensum literalem, notissimum est. Nostra aetate haec sententia penitus obsoleta esse videtur. Quare erunt, qui intelligere vix poterunt, qua de causa nos hanc quaestionem refricare velimus. Nihilominus nos hanc rem pro nostra etiam aetate attentione haud indignam censemus. Nec quaestio ista adeo certo decisa nobis videtur, sicut multi autumant; quod neminem negaturum speramus, qui, quae dicturi sumus, attente legerit et sine praeiudicio lance aequa perpenderit.[1] Quare nos notione sensus literalis in antecessum accurate definita primo iterum cum debita tamen moderatione velut in abstracto inquiremus, an res in se possibilis appareat i. e. an absolute loquendo humanum sermonem seu librum humano sermone conscriptum cogitare liceat, cui multiplex subsit sensus literalis. Deinde possibilitate rei in abstracto demonstrata cum eadem modestia videbimus, an de facto multiplex sensus literalis in nostris libris admittendus sit necne. Aliae quaestiones, v. gr. an habere multiplicem sensum literalem libro inspirato essentiale sit, aut an et quatenus id Scripturae sit conveniens, item an haec res libris inspiratis prae non inspiratis exclusive propria dicenda sit etc., et quaecumque de re praesenti non minus ac de sensu mystico quaeri possunt, aut similem fere ac in sensu mystico solutionem habent aut post declarationem ceterorum per se facillime intelliguntur. Quare de iis aut nihil omnino dicemus aut data occasione in corollariis sententiam nostram paucis indicabimus.

[1] Qui his nihil movetur, istum librum sine gravi damno praetermittere et ad sequentem transire poterit. Nihilominus iterum addimus: Sequentia legisse haud pigebit.

CAPUT PRIMUM.

An multiplex sensus literalis in abstracto sit possibilis.

ARTICULUS PRIMUS.

Notio sensus literalis.

220. Quis sit sensus literalis, partim per se notum videtur partim supra *(n. 179. seqq.)* data occasione plus minus declaratum est. Nihilominus quia in quaestione praesenti, ut iusta notio sensus literalis menti informetur, maximi referre deprehenditur, hoc loco, quae ibi sparsim dicta sunt, in unum colligere et magis explicare necessarium ducimus. Igitur *per sensum literalem seu verbalem intelligitur ab omnibus res illa sive veritas, quam, qui scribit vel loquitur, mente prius conceptam scribendo vel loquendo per orationis verba non solum vere, proprie ac per se sed suo modo directe et immediate manifestare intendit et animo illius, qui legit vel audit, curat suggerendam.* Haec definitio paulo magis declaranda est. Homo, dum loquitur, non semper eodem modo loquitur. Saepissime loquens *verbis omnino propriis* utitur. Exemplum ex Scriptura habes in praecepto illo notissimo: «Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua.» *(Cfr. Deut. VI. 5.)* Sed haud raro homines *tropice* seu *figurate* loqui consueverunt, atque orationis tropi ac figurae, ut tradunt rhetorici, multiplices sunt ac variae. Exemplo esse potest, quod legitur in Genesi *(XLIX. 9.)*: «Catulus leonis Iuda.» Denique interdum licet rarius homo loquitur *allegorice* i. e. per parabolas, allegorias et alia huiusmodi *(Cfr. n. 184.)*. Exemplum habes inter alia in Nathan Propheta *(II. Reg. XII. 1. seqq.)*, qui per narrationem in eum finem confictam regi David ostendit, quantam iniuriam ipse Uriae Hethaeo intulerit *(Cfr. Iud. IX. 8. seqq.; Ezech. XIX. 1. seqq.; Matth. XIII. etc.)*. Dicimus ergo primo: In his omnibus loquendi modis per se unicus est sensus. Id in locutione propria omnino est manifestissimum. Sed idem et de locutione tropica et allegorica dicendum esse per haec, quae subiicimus, facile demonstratur. Qui tropice v. gr. per metaphoram loquitur, non rem, quae metaphoram constituit, sed unice quod per metaphoram significatur, asserere intendit. Quare semper tropica locutio sensu

minime mutato aut diminuto in convenientem locutionem propriam converti potest, quae, ut diximus, unicum habet sensum. Nam si legimus: «Catulus leonis Iuda» quoad sensum idem est, ac si legeremus: Iudas similis catulo leonis, in fortitudine nimirum. Idem est de similitudinibus et parabolis ac similibus quibuscumque orationis ornamentis. Nam qui illis ornamentis utitur, non intendit dicere, id, quod parabola aut fabula continetur, aliquando reapse esse factum; nec ullo modo vult, ut parabola ab eo, qui audit, pro vera historia accipiatur. Quare etiam locutio allegorica aut similis quaecumque facile sensu haud mutato aut diminuto in proprium sermonem commutari potest. Nam dum Nathan Propheta illa similitudine ad David uteretur, in fine aliud dicere non intendebat, quam iniuriam regis haud esse minorem illa, quam modo ipse in alio fingebat.[1] Sed non sufficit nobis monstrasse, in his omnibus loquendi modis nonnisi unicum per se sensum reperiri. Contendimus insuper, talem sensum, etiam ubi de locutione tropica aut allegorica agitur, recte dici sensum literalem. Quod ita ostendimus. Dum sensum literalem dico, naturalis vis huius locutionis certe ea est, ut praecise illud significet, quod quis per voces aut scripturam suam seu per literam directe significare intendit. Porro hoc in tropis, allegoriis et huiusmodi aliud non est, quam quod per res, quae tropum aut allegoriam constituunt, naturaliter exprimitur. Quare nos iure hunc sensum literalem esse contendimus. Insuper penes omnes per modum axiomatis receptum est, fieri non posse, ut sermo aliquis humanus aut liber humano sermone conscriptus alicubi destituatur sensu literali. Quare ubi nonnisi unicus est sensus, is dicendus est sensus literalis. Hoc autem in re nostra manifesto accidit. Idem demum ex dictis alio modo suaderi potest. Sensus literalis per se immediate ac directe opponitur sensui mystico. Iam vero, ut supra *(n. 184.)* ostendimus, sensus ille, qui latet in parabolis et aliis eius generis similitudinibus, non est sensus ille, qui proprie mysticus dicitur. Erit ergo sensus ille, qui ob rationem om-

[1] Ex his vides, vim praesentis et praecedentis quaestionis ab iis minime intelligi, qui pro demonstrando in sacris libris multiplici sensu literali vel etiam solum pro multiplicitate sensus in genere tuenda ad similes Scripturae locos provocare inveniuntur.

nibus notissimam tropicus aut allegoricus dicitur, species sensus literalis.[1]

221. Ex his plura colligimus 1. Sensus literalis recte dividi potest in sensum *proprium*, h. e. qui subest verbis sumptis in sensu proprio, in sensum *tropicum seu figuratum*, h. e. qui proponitur per tropicum seu figuratum loquendi modum, et in sensum *parabolicum seu aenigmaticum*, h. e. qui significatur per parabolas, fabulas et alia similia humanae orationis adminicula. 2. In definitione supra posita non frustra dictum est, rem, quae sensum literalem constituit, *vere, proprie ac per se intentam* esse debere. — Nam quae ad metaphoram constituendam seu per modum similitudinis ac parabolae a quopiam afferuntur, ea non per se ideoque nec vere ac proprie sed mere propter aliud ac per accidens sub intentionem loquentis aut scribentis cadere cognoscuntur. 3. Ubi oratio est propria, veritatem illam, quae sensum literalem constituit, directe et immediate enuntiari ac

[1] Attentione digni et omnino sui generis sunt loci, in quibus narrantur visiones propheticae. Talia sunt v. gr. somnia Ioseph *(Gen. XXXVII.)*, Pharaonis *(Gen. XL.)*, Danielis *(Dan. VII.)*, Nabuchodonosor *(Dan. IV.)*. Circa ista 1. quaeri posset, an in iis revera duplex inveniatur sensus, unus, quo narratur visio per modum facti, alter, quo continetur visionis significatio. Quo concesso 2. oritur dubium, utrum tam unus quam alter habendus sit tamquam sensus literalis. an vero alter mysticus dici debeat. Ad haec ita respondere possumus. Isti. ut apparet et iam diximus, sunt loci sui generis. Habent tamen haud parvam affinitatem cum parabolis. Quod ita ostenditur. Negari vix potest, quin illa visa somniorum. sicut ob solam significationem suam a Deo immissa fuerunt. ita ob eandem solam a Scriptura sacra referuntur. Quare non omnino sine ratione dicere quis posset: Hic revera nonnisi unicus invenitur sensus, qui merito literalis dicitur. Nam visorum narratio in his manifesto merum vehiculum esse videtur. Melius forte conceditur. duplicem in his locis sensum reperiri, unum, quo narratur visio ut factum historicum, alterum, quo eius significatio aut innuitur aut expressis verbis declaratur. Quo concesso sensus primus sine dubio literalis est. Alter vero, si solum sub imaginibus latet nec expressa declaratio additur, aut mystico sensui accensendus est aut saltem proxime ad eum accedit. Quodsi alicubi visionis significatio expressis verbis declaratur, haec declaratio utique dabitur et accipietur secundum sensum literalem; sed tunc pro re nostra unum hic accurate notandum est. In hoc casu nullibi reperies verba seu orationem cum duplici sensu literali et potius dicendum est. orationem integram duabus partibus constare, quarum prima in sensu literali exhibet visionis narrationem. altera item in sensu literali in eo est. ut visionis significationem expressis verbis explicet.

proponi, per se patet. Ubi vero oratio tropica est, res, quae orationis sensum constituit, utique paulo occultius et nonnisi mediis metaphoris invenitur expressa. Nihilominus, cum haec mera sint orationis adminicula, tum absolute loquendo tum multo magis in oppositione ad sensum mysticum dicendum est, rem illam etiam in hoc casu suo modo directe ac immediate expressam esse. Ubi denique oratio allegorica est, sensus, qui allegoriae subest, utique adhuc occultius significatur quam in simplici metaphora et nonnisi mediante similitudine aliqua et suo modo indirecte proponitur. At si huiusmodi sensus conferatur cum sensu mystico, statim manifesto apparet, magnam esse inter utrumque casum differentiam. Nam in sensu mystico res, quae primo legenti occurrit et aliam rem significat, etiam propter se ipsam in medium affertur et in se ipsa asseritur verumque loci illius sensum, qui merito literalis dicitur, constituit. Neque enim typus, vel quod typo comparatur, merum orationis adminiculum dici potest. Quae omnia in sensu allegorico e contrario accidunt. Hic enim res, quae menti illius, qui legit, primo occurrit, tum ab eo, qui scribit, ut merum orationis adminiculum intenditur, tum a legente qua tale facile cognoscitur. *(Cfr. Patrit. l. c. c. 1. n. 2.)* Quare licet veritas, quae tandem per parabolam dicenda atque intelligenda est, per aliam rem obumbrata et veluti aenigmatice significata sit; nihilominus sensus parabolicus praecipue in oppositione ad sensum mysticum et certo quodam sensu etiam absolute loquendo sensus directus et immediatus dici potest ac debet. In parabola enim et in iis, quae parabolae aequiparantur, sensus parabolicus haudquaquam latet sub alio sensu proprie dicto i. e. sub alia re, quae et ipsa proprium et magis primarium ac immediatum illius orationis sensum constituit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Multiplex sensus literalis absolute impossibilis non est.

222. Assertio unica. *Non apparet absolute impossibile cogitare orationem humanam seu librum humano sermone conscriptum, qui hinc inde multiplicem sensum literalem exhibeat.* Priusquam ad demonstrationem huius assertionis accedamus,

non solum libenter concedimus sed simul expressis verbis monemus, communiter humanae orationis sententias in se ita comparatas esse, ut apertissime nonnisi unicum sensum literalem admittere possint. Nam in propositionibus, quales sunt, quae sequuntur: «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;» «Honora patrem et matrem;» «Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham,» etc. praeter illum, qui primo intuitu sese offert, qualem quaeso alium sensum invenire poteris? Concedimus insuper, illas propositiones, quae sensum, quem fundunt, omnino determinate et sine ulla ambiguitate significant, ut plurimum tales esse, quae nonnisi unum sensum literalem admittant. Ulterius concedendum certe est, fieri saepissime, ut propositiones, quae per se et avulsae a contextu multiplicem sensum admittunt, in contextu ad unicam significationem coarctentur. Ex his denique per modum corollarii colliges sequentem propositionem: *Modus ille loquendi,* quo verbis sive ubique sive etiam solum subinde *multiplex subsit sensus literalis,* certe *non est hominibus modus* loquendi et scribendi *ordinarius.* Neque hic modus loquendi post dicta ullo modo *divinae Scripturae necessarius* aut quovis alio *convenientior* aut utcumque *valde communis* dici potest. His declaratis ad demonstrationem assertionis accedimus. Triplici veluti gradu ad scopum pertingere conabimur.

223. Primus demonstrationis gradus. *Inveniuntur in humana oratione propositiones sive per se spectatae sive etiam in longiori contextu positae, quae duplicem vel etiam multiplicem sensum literalem admittunt.* Haec assertio sicut alia ratione quam per exempla demonstrari vix poterit, ita per exempla invictissime demonstratur. Igitur Bonfrerius *(l. c. c. 20. sect. 3.)*, dum de hac re suo loco tractat, praeter oraculorum responsa omnibus notissima[1] inter alia sequens affert exemplum: «Lege facienda disces» i. e. stude legibus, nam in lege disces, quae facienda sunt, aut lege *(libros bonos sive varios)*, legendo enim disces, quae facienda sunt. His nos alia addimus exempla, quae et in se graviora apparebunt et ex Scriptura ipsa desumpta sunt. Verba Caiphae *(Ioan. XI. 50.)*: «Expedit, ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat» certissime duplicem sensum admittunt, quorum uterque

[1] Aio te Aeacida Romanos vincere posse. Ibis redibis nunquam morieris in armis *(sine interpunctatione).*

literalis est et nihilominus ab altero longissime distat. Significare enim primo ea verba possunt: Satius est, unum hominem occidi invitum, quam quod eidem parcatur, si secus propter ipsum tota gens in interitum traheretur. Sed nihil secius eadem verba exprimere possunt et hunc alium sensum: Bonum est, unum hominem sponte vitam profundere, ut merito huius mortis totus populus ab extremo discrimine liberetur.[1] Alia duo exempla nobis suppeditat Augustinus qua sacrae Scripturae interpres celebratissimus. Is enim data occasione ex professo agit de verbis Ioannis Baptistae *(Ioan. III. 30.)*: «Illum *(i. e. Christum)* oportet crescere, me autem *(i. e. Ioannem)* minui.» In hoc negotio occupatus primo s. Doctor *(in Ioan. tract. 14. n. 5. serm. 307. alias ex Parisiens. serm. 10. n. 1. et cfr. Maldon. in h. l. Evangel.)* ponit sensum consuetum, iuxta quem in his verbis sermo est de externa amborum, Christi videlicet et Ioannis Baptistae, fama ac gloria, quae in numero discipulorum et aliis huiusmodi consistere existimatur. Ita istis verbis Christus abhinc in gloria ac numero discipulorum crescere et Ioannes minui debere dicitur. Sed praeterea s. Doctor ea verba etiam de genere mortis ab ambobus suo tempore subeundae accipi posse contendit. Ita ad modum prophetiae per ea verba Christus in cruce exaltandus Ioannes vero sub ictu securis capite plectendus ac minuendus proponitur. Abstrahendo nunc a contextu et generalius abstrahendo a probabilitate sive extrinseca sive intrinseca huius interpretationis, certe nemo facile negabit, 1. ista verba in locutione prophetica per se et in se utrumque sensum admittere, et 2. utrumque sensum, posito, quod revera istis verbis insit, dicendum fore sensum literalem. Aliud exemplum habes in verbis Geneseos *(II. 15.)*: «Posuit *(Deus)* eum *(i. e. primum hominem)* in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.» Haec igitur Augustinus *(de genes. ad. lit. l. VIII. c. 10. n. 23.)* censet duplici modo satis

[1] Reapse Caiphas per se in priori sensu locutus est. Et tamen teste Evangelista Caiphas illis verbis prophetavit i. e. magnum mysterium enuntiavit. per alterum scilicet, quem innuimus, sensum. Irrito, ut nobis videtur, laboraret conatu, qui duplicem hunc sensum in unam communem sententiam conflare vellet. Sunt enim duo isti sensus non solum diversi sed certo modo sibi oppositi. Quod si in hoc contrarium tibi videtur, hoc omisso ad alia exempla transire poteris.

diverso intelligi posse, prout pronomen *illum* aut ad Adamum refertur aut ad paradisum. Ita iuxta unum sensum Dei voluntas fuisse dicitur, ut Adam certa ratione operaretur et custodiret paradisum. Iuxta sensum alterum Deus, dum primum hominem in paradiso posuit, id sibi propositum habuit, ut ibi ipse Adamum veluti plantam pretiosam per gratiam suam custodiret atque virtutibus excoleret. Certe verba latina sicut optime et naturaliter priorem sensum exprimunt, ita et hunc posteriorem sensum non respuunt. Porro in utraque interpretatione sine dubio respectivus sensus dicendus foret literalis. Aliud iterum exemplum ex Scriptura poni potest in eo, quod dicitur: «Charitas operit multitudinem peccatorum.» Haec sententia quoad sonum verborum sine mutatione alicuius momenti saltem ter occurrit in sacris literis *(Prov. X. 12.; Iac. V. 20. et I. Petri IV. 8.)*; sensus tamen verborum non ubique idem esse videtur; et nihilominus respectivus sensus in unoquoque loco sine dubio literalis dicendus est. Et re quidem vera locutio, prout iacet, manifesto tum de peccatis propriis tum de peccatis aliorum accipi potest. Iam vero sensus, prout verba de peccatis propriis aut de peccatis alienis accipiuntur, licet utroque in casu tum verus tum literalis sit, tamen satis diversus est, nec facile conflatur in unum. Ultimum exemplum sit parabola evangelica de fermento, quod a muliere in farinae sata tria mittendum dicitur. *(Matth. XIII. 33.; Luc. XIII. 21.)* Ea enim parabola primo aptissime de ecclesia intelligi potest. Ita per eam Christus praedixit, fore, ut per seriem temporum ecclesia iugiter crescat et tandem totum orbem occupatura sit. Deinde parabola non minus bene accipitur de doctrina Christi magis in specie. Ita per eam doctrinae evangelicae adscribitur vis et efficacia, qua in singulari totum hominem pervadat eumque tum interius tum exterius transmutet in melius. *(Cfr. Hieronym. in Matth. XIII. 33.; Lugo de fide disp. 23. n. 19.—23. et hic infra n. 251.)*[1]

[1] Nova exempla invenire potes, ubicumque in Scriptura occurrunt loci, qui passim ab auctoribus ad alia accomodantur aut qui ab interpretibus modo valde disparato exponuntur. Nam hoc signum est manifestum, verba facile multiplicem sensum admittere, qui fere semper non mysticus sed saepe literalis erit. *(Cfr. M. Can. l. c. l. II. c. 15; Bonfr. l. c.*

224. Una hic manet *difficultas de sermonis contextu.* Posset enim quis ita dicere: Haec vera esse concedo, dum de sententiis agitur, quae avulsae a contextu considerantur. At in contextu verba loquentis semper ac necessario ad unum sensum determinantur. Haec difficultas adeo gravis non est, ut nostram assertionem penitus destruat. Nam sicut secundum ea, quae diximus, verba ac sententiae in se haud raro largae et ambiguae significationis esse inveniuntur, ita et contextus nonnunquam largus et ambiguus esse potest et haud raro revera est. Id inde ad evidentiam ostenditur, quod optimi etiam interpretes, sicubi occurrunt sententiae, quae de se duplicem sensum literalem admittunt, non semper per contextum sermonis etiam summo conatu adhibito omnes alios sensus praeter unum efficaciter excludere potuerunt. Et revera, ut consideranti patebit, in uno vel altero ex allatis exemplis dici vix poterit, contextum per sese plene sufficere, ut per eum omnes alii sensus praeter unum invicte et sine ulla tergiversatione excludantur.[1]

225. Secundus demonstrationis gradus. *Quod si ita est, primo fieri potest, ut is, qui loquitur, interdum ex industria sententias proferat, quae duplicem aut multiplicem sensum literalem admittunt; deinde ut id eo animo faciat, quo per eadem verba simul plura exprimat et affirmet.* Haec propositio quoad primam eius partem post dicta omnino indubitata esse debet. Quid enim possibilitate rei concessa obstare potest, quominus homo aut Deus per hominem ex industria hinc inde eius generis sententias proferat, quales paulo antea possibiles ostendimus? Sed neque quoad id, quod posteriori loco adiungitur, haec propositio seriam difficultatem patitur. Nam ante omnia saltem nemo negabit, eum, qui eius generis sententia utitur, per eam ex duobus sensibus disparatis, qui ei de se inesse possunt, unum vel alterum intendere posse ac debere. At si potest unum vel alterum sensum intendere, cur non utrumque simul?

---

c. 16. n. 6; Aug. de genes. ad lit. passim, contr. Faust. l. XVI. c. 22.; et II. Petr. II. 5.; Ps. CIII. v. 4.; Ephes. IV. 26.)

[1] Altera difficultas, nimirum quod sensus, qui prima fronte disparati esse videntur, re penitius inspecta, sine magno conatu in unum sensum completum conflari possint, ubi de sola rei possibilitate agitur, nullius est momenti. Nam certe exempla excogitari posse videntur, ubi omnis conatus huiusmodi necessario in irritum cedere debeat.

Nihil est, quod ab adversariis dici possit, quam id esse contra naturam sermonis humani, nec eius generis sermonem in nostra hypothesi ab illis, qui audiunt, recte intelligi posse. At id est, quod negamus. Fac enim eum, qui loquitur, antequam loqui incipiat, hanc expresse declarationem praemittere: Si forte sententias prolaturus sim, quae duplicem sensum verbalem admittunt, volo, ut eae sententiae secundum utrumque sensum possibilem dicta accipiantur. Num ita amplius contendere poteris, eius orationem a nemine posse recte intelligi? Minime sane. Quodsi oratio et revera multiplicem sensum fundit et secundum illum ipsum sensum, quem fundit, intelligi potest, dicemusne, eam locutionem abhorrere a natura sermonis humani?

226. Demonstrationis conclusio. *In facta hypothesi oratio reapse duplicem aut multiplicem sensum literalem habet; non est ergo multiplex sensus literalis in abstracto et absolute loquendo humano sermoni impossibilis.* Haec assertio aliud non est quam necessaria et immediata illatio ex propositione antecedenti. Profecto ut aliquid sensus alicuius libri aut sermonis dici possit, haec sufficiunt: 1. ut verba revera eum sensum fundere possint, 2. ut, qui scribit aut loquitur, per illa verba eum sensum de facto exprimere intendat, 3. ut, qui legit vel audit, ex verbis loquentis aut scribentis eum sensum accipere seu intelligere possit. Porro in casu nostro, ut consideranti patet, haec omnia revera adsunt. In fine rem istam illustremus similitudine. Ad modum aenigmatis plures scribantur literae, quae, dum per plures lineas digestae tum dextrorsum tum sinistrorsum tum per literas acrostichas sursum ac deorsum leguntur, certa verba efformant atque certas sententias certumque sensum fundunt. Dico: Si is, qui haec primitus composuit, ista omnia non solum novit sed et ex industria, ut multiplici ratione legi possint, dicto ordine disposuit; profecto concedendum est, inventorem rei per illas literas dixisse ea omnia, quae secundum diversos modos legendi iis reapse exprimuntur. Pariter concedendum est, eum, qui aut de illo artificio edoctus fuerit, aut illud propria industria deprehenderit, ea omnia ibi ab alio dicta atque literis expressa invenire posse. Simile quid modo tamen simpliciori accidit in casu nostro.[1]

[1] Neque ipse Patritius, qui omnibus viribus multiplicem literalem sensum e Scriptura eliminare nititur, possibilitatem huius rei omnino

Scholion. 227. Ex dictis per modum corollarii consequitur, multiplicem sensum literalem per se non esse minus possibilem in libro profano, quam in libro inspirato. Quare quod inveniatur in libro aliquo *multiplex sensus literalis, non potest per se et veluti a priori considerari ut praerogativa ac nota, quae libro inspirato exclusive propria sit.* Utrum vero excepta Scriptura inspirata reipsa inveniantur alii libri, qui hinc inde exhibeant multiplicem sensum literalem an non; non est quaestio adeo gravis, ut expressam de ea disputationem instituere operae pretium videatur. Solum opportunum ducimus circa quaestionem istam monere haec duo. Si auctores, qui Scripturae multiplicem sensum literalem vindicare deprehenduntur, in eo, singularem Scripturae praerogativam agnoscere videntur; id inde est, quod ut certum supponant, nullum revera alicuius momenti librum humanum existere, in quo identidem multiplex vel duplex sensus literalis occurrat. Secundo si revera liber aliquis obscuri nominis inveniatur, cui hinc inde multiplex sensus literalis inesse videatur; in tali hypothesi comparatione facta cum multiplici, qui praetenditur, sensu Scripturae inspiratae servata proportione eadem fere valebunt, quae supra *(n. 191.)* in simili comparatione quoad sensum mysticum diximus. Scilicet licet in facta hypothesi Scriptura circa hanc rem in abstracto cum profano libro convenire videatur, in concreto tamen maxima erit differentia. Fieri enim non poterit, quin Scriptura etiam in hac re, si ea semel admittatur, tum sublimitate conceptuum ac rerum certitudine, tum gravitate et maiestate loquendi omnem librum humanum longissime superet.

CAPUT SECUNDUM.

An multiplex sensus literalis Scripturae revera insit?

PRAEAMBULUM.

Rei momentum et praevia quaestionis resolutio.

228. Haud scio, an multi reperiantur, qui cum Patritio *(l. c. c. 2. n. 31. coll. n. 43. 52. 73. 82.)* sentiant, dum hic

negare ausus est. *(Cfr. l. c. n. 43. 45. 49. 72.)* Et revera cum sciamus, theologos quam plurimos eosque, ut videbimus, magni nominis multiplicem sensum in Scriptura manifesto admisisse et agnovisse; hoc factum cautos

auctor istud observandum censet: Si semel concedatur, quod nos in scholio praecedenti concessimus, scilicet Scripturam in hac re nihil habere, quod in aliis libris non insit aut inesse possit, tota haec quaestio nullius fere amplius momenti esse perspicitur. Nobis certe non ita res se habere videtur. En ratio satis aperta. Si demonstratum supponitur, Scripturam nullibi plus quam unum literalem sensum habere posse, invento certo aliquo literali alicuius loci sensu inutiliter imo et irrationabiliter in eo alterum sensum literalem quaeres. Item si vides, unum eundemque locum a diversis Patribus et interpretibus diverso modo explicari, omnesque expositiones illas, si verae esse supponantur, appellandas fore literales; in ea hypothesi statim concludere debebis, omnes simul veras esse non posse, imo unam solam esse veram. Et id etiam verum manet in casu, quod alioquin expositiones istae secum ipsae quoad sensum non pugnent, sed sicut omnino disparatae sunt, ita quoad sensum per se simul verae esse possent. Econtra si demonstratum supponimus aut utcumque permittimus, Scripturam hinc inde multiplicem sensum literalem exhibere, licet determinatam aliquam alicuius loci expositionem, quae literalis dicenda est, ut certissimam habeam, neminem tamen prohibere possum, quominus praeter hanc aliam insuper expositionem literalem, quae non quidem priori contraria sed ab ea diversa ac disparata sit, quaerere aggrediatur. Nec postquam aliquis novam se invenisse expositionem sibi gratulatur, illam ex ea solummodo ratione reiicere potero, quod priorem expositionem, quae mea est, validis argumentis tamquam falsam non reiecerit et ea mihi etiam nunc certissima maneat. Item si locum aliquem secundum ipsam literam alii Patres alio modo exponant, in hypothesi multiplicis sensus literalis, quoadusque expositiones variae quoad sensum contrariae non sunt, sed solum disparatae apparent, eas simul aut omnes aut saltem plures ut veras amplecti potero. In hypothesi vero contraria ubique contrarium tenendum erit. Haec profecto pro interpretatione sacrae Scripturae haud parvi momenti esse videntur. An deinde etiam in interpretandis libris profanis aliquando simile quid obser-

---

nos reddere debet, ne rem. quae tot tantisque viris sine ambiguitate possibilis videbatur, sine rationibus urgentissimis omnino impossibilem esse pronuntiemus.

vandum sit, haec alia est quaestio, quam non adeo magni facimus et sine scrupulo illis solvendam relinquere possumus, qui, dum humanis libris interpretandis occupantur, iisdem tantum honoris et curae deferendum censent, quantum nos divinis Scripturis summo iure deferimus.

229. Secundo loco in antecessum monendum putamus, hic proprie non quaeri, quam frequens hic sensus in Scriptura sit. Aliis verbis non quaeritur hic, quot loci an multi an pauci an paucissimi in Scriptura reperiantur, in quibus multiplicem sensum literalem quaerere liceat.[1] Nam revera illi auctores, qui Scripturae multiplicem sensum literalem adscribunt, aliud asserere non intendunt, quam in ea hinc inde tales locos occurrere *(cfr. Bonfrer. l. c. c. 20. q. 5.)*. Neque intelligere possumus, quo iure Patritius *(l. c. n. 33. et 82.)* contendat, propter unum vel alium locum, qui reapse duplicem sensum literalem habeat, generatim dici non posse, Scripturam habere multiplicem sensum literalem. Num sensus mysticus in Scriptura adeo frequens est? Et nihilominus ab omnibus dictitari generatim audimus, Scripturam habere sensum mysticum. Vel, ut alio exemplo utamur, totumne corpus humanum aut maior corporis pars est oculus? Et tamen omnes dicimus, hominem habere oculos. Nimirum in hac quaestione aut unice aut maxime de principiis agitur, quae in interpretanda Scriptura sunt sequenda. Iam vero haec principia, cum semper et ubique prae oculis habenda sint, generalibus verbis efferuntur. Et revera si semel conceditur, in uno vel altero Scripturae loco duplicem sensum literalem admittendum esse; quoadusque interpretandi modus, qui in hoc casu tenendus erit, non positivis et indubiis argumentis ad certos quosdam locos coarctatur, semper in aliis etiam locis, maxime si illis similes esse videantur, similem interpretandi modum adhibere et multiplicem sensum literalem quaerere licebit.[2]

---

[1] Quamplurimos locos in Scriptura occurrere, in quibus quaerere multiplicem sensum literalem stultitia foret, imo relative paucos esse locos, in quibus de multiplici sensu literali quaestio moveri potest, statim tibi patebit, si quae supra *(n. 222.)* diximus, rei praesenti applicaveris.

[2] Ex his patet, interpretationis principio de multiplici Scripturae sensu hinc inde admittendo semel concesso dubium, quo quaeritur, in quot praecise Scripturae locis multiplex sensus insit, illum solum solvere posse, qui totam Scripturam secundum omnes eius sensus et mysteria perfecte noverit. Quod cum nemo facile praesumat, quaestio insolubilis apparet.

His praestitutis totam quaestionem resolvimus sequenti assertione.

230. Assertio generalis. *Perpensis in quaestione de admittendo multiplici sensu literali hinc inde rationibus neutra ex duabus sententiis contrariis omnino certa videtur; nobis ex auctoritate affirmativa, ex rationibus vero internis negativa probabilior apparet.* Ut haec assertio demonstretur, perpendendae sunt rationes, quae tum pro admittendo tum pro excludendo multiplici sensu literali hinc inde allatae sunt vel afferri possunt. Eas satis commode in rationes extrinsecas et intrinsecas dividimus. Itaque de singulis ex ordine agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Perpenduntur auctoritates, quae pro utraque parte afferri possunt.

231. Vix necesse est monere, neque ex Scriptura neque ex iis traditionis fontibus, qui maxime indubii sunt, i. e. ex generalibus Conciliis aut ex definitionibus Romanorum Pontificum sive pro multiplici Scripturae sensu literali sive contra eum testimonia decretoria, i. e. quae per se clara et aperta sint, in medium proferri posse. Quod nos inter alia inde concludimus, quia ex innumeris theologis, qui hanc quaestionem attigerunt, nemo tale aliquid afferre potuit. Hoc enim certum profecto indicium est, eiusmodi testimonia haud existere. Item consensus Patrum, quicumque demum sit, certe non est adeo universalis, clarus et expressus, ut per eum una aut altera sententia extra omnem dubitationis aleam ponatur. Nemo enim hucusque talem Patrum consensum ostendere potuit aut ad eundem cum tanta fiducia provocare ausus est. Idem multo manifestius est de scholis catholicis, in quibus ex multo iam tempore hanc rem controversam fuisse, neminem latet. Ita satis ostensum est, hanc quaestionem per auctoritatem certo definiri non posse. Quantum pro una et altera sententia probabiles saltem militent auctoritates, manifestum erit, si primum auctoritatem Patrum deinde auctoritatem scholae pro utraque parte in medium attulerimus atque attentius consideraverimus.[1]

[1] Argumentum, quod nonnulli ex concilio Lateranensi IV. ducunt, consulto praetermisi. Est enim argumentum istud certe exigui imo fere nullius valoris. *(Cfr. Patrit. l. c. n. 39.; Beelen diss. de multipl. sens. lit. parte 2. sect. 2.)*

Punctum primum.

Perpenditur auctoritas Patrum, qui affirmativae sententiae favere ostenduntur.

232. Hic ante omnia unum notamus, quod tum in se certum tum pro re nostra magni momenti est. Quantum scimus, *nullum cuiuscumque Patris testimonium invenitur, quod expresse doceat, Scripturae nullibi multiplicem sensum literalem inesse.* Testes huius rei illi ipsi theologi citari possunt, qui multiplicem sensum literalem omnibus viribus impugnant. Nam non solum nullum tale testimonium pro se afferunt, sed aperte fatentur, nullum existere.[1] Hoc factum eo maiorem vim habet, quod saltem post Augustinum, qui hanc quaestionem ex professo agitavit et sententiam affirmativam amplexus est, si qui contrarium sensissent, tacere vix potuissent. Igitur ex altera parte ipsis item adversariis fatentibus[2] *Augustinus sententiam affirmativam expresse et ex professo defendit.* Et quod notandum est, Augustinus doctrinam suam proponit *ut rem satis certam* idque in locis, ubi scientifica ratione primus omnium de Scriptura recte et catholice exponenda principia tradit atque regulas, quae in ecclesia deinceps semper maximo in pretio fuerunt. *(De doctr. christ. l. III. c. 26. confess. l. XII. c. 26—28. de genes. ad lit. l. I. c. 18. 19. cfr. hic n. 248.)*[3] Augustino consentit *Gregorius M.*[4] Utitur enim occasione accepta his verbis, quae satis expressa videntur *(in Ezech. l. I. homil. 10. n. 31.*

[1] Patrit. l. c. c. III. art. 3. §. 1. n. 60. 62.

[2] Patrit. l. c. n. 61. coll. n. 40—46.; Beelen l. c. part. 1. sect. 1. p. 41. 44. 45. 48.

[3] Si cum Patritio *(l. c.)* opponis, Augustinum, dum ita docet, neque Scripturae neque traditioni inniti, id aliquo sensu concedere possumus. Sed semper verum manet, unum e Patribus, qui tum in se maximae est auctoritatis tum omnium fere theologorum medii aevi dux ac magister exstitit, stare pro hac sententia. Et hinc iterum confirmatur, quod supra dictum est, scilicet in contrarium Patrum consensum afferri aut urgeri non posse. Nam Augustinus non solum aperte a nobis stat sed simul nihil omnino de contraria aliorum doctrina suspicatus esse deprehenditur. Nullus ergo erat, qui usque ad Augustini tempora aperte contrarium docuerit.

[4] Alios Patrum locos, qui a nonnullis pro sententia affirmativa afferuntur, non afferimus, quia reapse nihil ad rem facere videntur. *(Beelen l. c. parte II. sect. 1.)* Maximum, quod inde concluditur, illud est, quod iis aliquo modo fulciatur argumentum desumtum ex ratione, de quo infra *(sect. 2. p. 2. n. 247.)* primo loco agemus.

h. e. in Ezech. III. v. 13.). „Plerumque in sacro eloquio aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur.“ [1]

233. Ut deinde ab expressa *ad implicitam Patrum doctrinam* veniamus, in hac re attente considerandum est, quomodo Patres in exponenda Scriptura se gerere soleant. Ita quid circa rem praesentem senserint, colligere aliquo modo poteris. Itaque in hunc finem perpende, quae sequuntur. Adversarii *(Patrit. l. c. n. 60.)* in rem suam ita argumentantur. Ubi loci alicuius diversae feruntur interpretationes, Patres omnes istas

[1] Gregorium revera his verbis docere, quod contendimus, ita insuper ex contextu aliisque rationibus confirmatur. Primo hic Pater communiter sequitur Augustinum, cuius sententia ipsum latere non potuit. Sed quod ita a priori probabile est, certum fit ex textu ac contextu. Igitur Gregorius ibi exponit verba Ezechielis: *„Vocem alarum percutientium alteram ad alteram“* et ita scribit: «Non aperte dicitur, utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat, an certe haec eadem sancta animalia alis suis se vicissim feriant.» Beelen *(l. c. p. 37.)* contra hunc Gregorii locum advertit, ex duobus, quae a s. Patre proponuntur, utrumque simul verum esse non posse. At hoc falsissimum est. Poterant profecto animalia illa tum unumquodque in seipso alam ad alam percutere, tum simul invicem se alis ferire. Porro manifeste Gregorius utramque admittit sententiam, quarum certe unaquaeque literalis est. Dein s. Doctor huic expositioni, ut ita dicam, materiali aut historicae hanc superstruit expositionem moralem. «Saepe iam alas animalium virtutes diximus esse Sanctorum. Quomodo ergo unumquodque animal alas suas excutiens alteram ad alteram percutit, nisi quod aperte datur intelligi, quod virtus in nobis virtutem excitat? . . Quid est ergo quod haec pennata animalia vicissim alas alteram ad alteram feriunt, nisi quod omnes Sancti se ad profectum excitant ex consideratione virtutis alienae.» Hactenus Gregorius. Concedimus, hanc duplicem expositionem, quam moralem diximus, non literalem sed mysticam simul ac tropologicam esse. At haec mystica interpretatio duplex duplicem expositionem literalem supponit. Ergo simul cum istis expositionibus moralibus necessario etiam tuetur duplicem sensum literalem. Insuper verba, quae in textu attulimus, in se satis clara esse videntur. Et quod notandum est, Gregorius utrumque sensum a Deo auctore Scripturae literae inditum esse credit, nec ullo modo unum vel alterum a se proprio Marte illatum vel intrusum esse existimat. Dicit enim, ideo a Deo in Scriptura aliqua interdum dici obscure, ut dispensante Deo mirabiliter multipliciter exponantur. Tenuit ergo Gregorius sine dubio sententiam de multiplici sensu literali. Minus efficacia sunt verba Hieronymi, qui de Apocalypsi loquens *(epist. 53. n. 3. ad Paulin. coll. Matth. XIII. 33.)* haec habet: «In verbis singulis multiplices latent intelligentiae.» Negari tamen non potest, quin in sensu obvio enuntient doctrinam propositam.

interpretationes ita referre solent, ut aut quemque eam sequi sinant, quae ipsi magis placuerit, aut unam prae aliis probabilem ostendant aut etiam ceteris refutatis reiectisque unam solam veram esse contendant. Nunquam vero Patres, ut ex nodis istis se extricent aut omnia amice componant, ad multiplicem sensum literalem recurrisse inveniuntur. Atqui, ita enim inferunt, hoc signum est manifestissimum, theoriam de multiplici sensu literali aut penitus eisdem fuisse ignotam aut saltem ipsis nullatenus placuisse. Ut ad hoc argumentum respondeamus, ante omnia nolumus ex toto negare factum, quod in eo argumento assumitur. Neque argumento, quod ex facto isto ducitur, omnem vim ac efficaciam negare intendimus. At huius argumenti vim non adeo magnam et multo minus peremptoriam esse, liquebit ex paucis, quae subiicimus. Primo hoc factum, quantumque est, Augustinum, Gregorium, Thomam aliosque latere non potuit. Nec tot tantisque viris acies mentis defuisse censenda est, ut videre non debuerint, quis nexus inter hoc factum et praesentem quaestionem intercedat. Si ergo nihilominus tot tantique viri sententiae de multiplici sensu literali tamquam sententiae certae aut saltem ut probabilissimae constanter adhaesisse inveniuntur, hoc argumentum tanti esse non potest. Huius responsionis efficacia augetur ex eo, quod illi Patres, qui ut Augustinus multiplici sensui literali aperte favent, in interpretandi methodo et nominatim in iis, quae ab adversariis notantur, ab aliis Patribus nihil discrepare videntur. Aliunde haec notentur. Ex una parte, ut ex dictis patet, multiplex aut duplex sensus literalis in Scriptura adeo frequens esse non potest; et sicubi admittendus sit, sicut priusquam admittatur, omnia accurate examinanda sunt, ita solummodo tunc admitti rationabiliter poterit, si certo constat, neque proprietatem verborum neque contextum scopumque orationis unum vel alterum ex sensibus, qui prima fronte se offerunt, ullo modo respuere. Ex altera parte Patres in interpretanda Scriptura saepissime non id agunt, ut completam loci, de quo agunt, interpretationem tradant, sed magis plerumque in eo sunt, ut determinatam aliquam certi loci interpretationem, quae praesenti eorum scopo maxime congruit, omni, qua possunt, ratione confirment atque communiant. Quare mirum non est, si Patres haud raro ita se gerunt, acsi unus solum sensus

literalis possibilis esset sive sicut magis in specie ab adversariis in argumento indicatum est.[1]

234. Sed his omissis nos facto adversariorum circa Patrum sensum aliud factum opponimus, quod pondus prioris facti elidere et contrarium suadere videtur. Igitur haud raro Patres locum aliquem exponunt alio modo, quam eundem ab aliis Patribus expositum invenerunt. Nec tamen Patres semper, cum novam expositionem adstruunt, aliorum interpretationem ullatenus improbant. Imo hinc inde idem s. Pater eundem locum modo sic modo sic exponit, sive id fiat in eodem contextu, sive in diversis eiusdem Patris operibus. Et quod pro re nostra notandum est, primo istae interpretationes haud raro ita sunt comparatae, ut omnes dici debeant literales; deinde expositiones variae non semper in unam magis completam interpretationem facile conflari possunt, aut saltem Patres ipsi de hac re non videntur valde solliciti. Similiter Patres non semper indicant, qualis ex pluribus interpretationibus possibilibus ipsis praeferenda videatur. Ita quod dixit Hieronymus *(praef. in libr. Salom.)* de variis versionibus ab ipso de textu originali adornatis: *„Neque nova sic cudimus, ut vetera destruamus“* tum ipse tum alii Patres etiam circa interpretationem tenuisse videntur. *(Cfr. Hieron. in Matth. XIII. 33.; Serar. l. c. c. 21. q. 12.)* Iam vero factum istud sicut explicatur facillime in hypothesi, quod Patres probaverint aut saltem non improbaverint sententiam de admittendo multiplici sensu literali; ita in contraria hypothesi aut nullam explicationem habet aut difficillimam. Favet ergo factum istud sententiae affirmativae. Per haec, ut arbitror, satis ostendimus, Patrum auctoritatem magis iuvare sententiam affirmativam quam negativam.

Punctum secundum.

Expenditur auctoritas scholae, quae pariter affirmativae favet sententiae.

235. Initio rei praesentis ponere libet *praeiudicium, quod in se gravissimum est.* Diximus *(n. 232.)*, Augustinum in libris de doctrina christiana aliisque, qui omnium manibus terebantur,

[1] Uberiorem huius rei expositionem et rationem magis specialem, cur etiam ille, qui sententiam de multiplici sensu literali amplectitur, in exponenda Scriptura similem modum tenere debeat, invenies inferius. *(n. 241.)*

doctrinam de multiplici sensu literali ex professo defendisse. Item s. Thomas de hac re, quam non semel tangit (*1. p. q. 1. a. 10. de potent. q. 4. a. 1. in II. sent. dict. 12. art. 2. ad 1. Quodl. VII. q. 6.),* ita semper loquitur, ut saltem in obvio verborum sensu affirmativam sententiam docere aut supponere videatur. Ita certe eius verba ab innumeris fere theologis intellecta sunt et adhuc intelliguntur. *(Patrit. l. c. n. 55. et 64.)* Hoc concluditur inter alia etiam ex titulo et summario articuli, quae antiquitus in editionibus Summae loco citato sunt adiecta.[1] Quare Patritius, qui s. Thomae doctrinam circa rem praesentem alio modo interpretari conatur, pro hac sua interpretatione sive ex veteribus sive recentioribus neminem afferre potuit praeter Silvestrum de Prierio, qui et ipse in loco citato aliud revera non dicit, quam etiam in schola s. Thomae de hac re non unam esse sententiam, et quosdam ex iis, qui tenent sententiam negativam, inter alia moveri ex verbis ipsius sancti Doctoris. Quo posito si consideratur auctoritas, qua sancti Augustinus et Thomas in scholis catholicis semper viguerunt, a priori, ut non dicam certum, saltem probabilissimum esse debet, eorum sententiam non penitus a schola fuisse reiectam ut sententiam omnino improbabilem; imo non sine probabilitate praesumitur, eam communiter aut ut certam aut saltem ut probabiliorem semper habitam fuisse.

236. Idem invenimus, dum a praeiudiciis ad expressa testimonia accedimus. Ac primo in hac re testis haud spernendus est Lutherus, quem Millerus *(penes Patrit. l. c. n. 66.)* laudat, quod exploso Pontificiorum de pluralitate sensus verborum[2] lubrico et subdolo commento constanter unitatem sensus literalis asseruit. Hoc testimonium profecto pro nobis haud parvam vim habet. Licet enim verum non sit *(Patrit. l. c.)* nec a Millero asseratur, Lutherum omnium primum fuisse,

[1] Cfr. v. gr. edit. Lugdun. ann. 1702; Barri Ducis ann. 1870.

[2] Ita legendum censeo, dum Patritius pro *verborum* legit *verbo.* Ceterum Lutherum pugnasse maxime contra multiplicem sensum literalem et non tam contra multiplicitatem sensus in genere ipso mystico haud excluso, aperte asserit Millerus; et Lutheri argumentatio, quae a Millero subindicatur per illud *„lubrico et subdolo commento“*, idem ostendit. In sensu enim mystico non facile de subdolo et lubrico commento loqui poterat, qui eum impugnabat.

qui theoriam de multiplici sensu literali impugnabat; hoc tamen certum manet, Lutherum in eo impugnando communi scholae catholicae sententiae sese opposuisse. Deinde inter catholicos auctores non defuerunt, qui censuerunt, negativam sententiam aliquo modo periculosam esse *(Acosta. l. c. l. III. c. 19.)*, derogare dignitati Scripturae *(s. Thom. de pot. l. c.)*, imo aliquatenus censura dignam apparere. *(Bannez in summ. s. Thom. l. c. penes Beelen l. c. p. 134.)* Atqui id intelligi non potest, nisi affirmativa sententia aliquando fuerit in scholis communiter et fere unice recepta. Et revera id saltem inde a tempore Tridentini, ex quo haec quaestio in scholis magis in terminis tractari et ex professo proponi coepta est, testatissimum est. Patritius, qui eam impugnat, primo generalibus verbis fatetur, affirmativam sententiam esse multo frequentiorem. Deinde «ex scriptoribus, ait *(l. c. n. 63.)*, qui post Patrum aetatem vixerunt, si numeres, qui aiunt, sensum literalem in Bibliis esse multiplicem, causam nostram *(i. e. eorum, qui negant)* damnatam credes.» Et paulo superius *(n. 56.)* ingenue fassus est, se quinquaginta supra centum consuluisse auctores, qui omnes duplicem sensum in Scriptura interdum occurrere expressis verbis docent.[1]

237. Quod si ita est, quid adversarii opponant, videamus. Primo igitur observant, de hac re iam ab antiquissimis temporibus in scholis controversiam occurrere aut saltem hanc rem non extra omne dubium positam fuisse. *(Cfr. Patrit. l. c. n. 50.; Beelen. l. c. p. 5.)* Respondemus: Non est, cur nos id concedere abnuamus. Sed cum auctores alioquin eruditissimi, quales sunt Patritius ac Beelen, Silvester de Prierio et alii, qui huius pro antiquissimo tempore controversiae mentionem iniiciunt, primos negativae sententiae patronos nominatim non afferant *(cfr. Patrit. et Beelen ll. cc.)*; inde haud immerito

[1] Idem fatetur Beelen *(diss. cit.)* tum in titulo operis tum in textu statim ab initio. Nam in prooemio dicit, sententiam affirmantem docuisse theologos fere omnes, qui a tribus saeculis de biblica hermeneutica vel obiter vel data opera disputarunt. *(Cfr. ibid. p. 11. seqq. 15—16.)* Ex illis, qui nobis ad manum fuerunt, affirmativam expresse docent Serarius *(l. c. c. 21. q. 12.)*, Menochius *(prol. c. 25.)*, Bonfrerius *(l. c. c. 20. sect. 5.)*, Acosta *(l. c. l. III. c. 19.)*, Suarez *(de fide disp. XVII. sect. 1. n. 13.)*, Lugo *(de fid. disp. 19. n. 13.)*, Liebermann *(Instit. theol. tom. II. c. 1. art. 3. §. 2.)*.

colligimus, eos nec multos numero nec nomine et auctoritate magnos admodum fuisse. Fuit ergo ab antiquis temporibus in scholis sententia affirmativa saltem multo communior. Deinde adversarii undique quam plurimos negativae sententiae patronos corradere conantur. Sed quantumcumque conati fuerint, non adeo multos reperire potuerunt. Patritius *(l. c.)* ingenti adhibito studio sententiae negativae nonnisi viginti circiter patronos invenire potuit. Neque isti, ut ipse fatetur, omnes negativam sententiam expressis verbis docuerunt, sed eorum aliquos revera ita sensisse, ex indiciis plus minus apertis ipsi concludendum erat. Insuper ex iis, quos Patritius attulit, Beelen *(l. c. p. 5. seqq.)*, qui et ipse quoad doctrinam Patritium sequitur, plures expungendos esse contendit. Imo Beelen eorum, qui affirmativam sententiam ex professo impugnaverint, ex antiquioribus unum solum aut duos[1] reliquit intactos. His tres alios addit Beelen, qui implicite sententiae negativae magis favere inveniuntur. Ex recentioribus deinde adiungit alios novem, qui uno solo excepto omnes ad nostrum saeculum pertinent. Simul hic auctor fateri cogitur, neque in nostro saeculo penitus deesse theologos et interpretes, quibus affirmativa sententia haud displiceat. Ex his, ut arbitror, satis patet, quam leve pro negativa sententia sit suffragium scholae, praesertim si conferatur cum numero ac pondere eorum, qui suffragantur parti contrariae. Quod cum adversarios latere non potuerit, auctoritatem pro sententia affirmativa alia via extenuare conantur *(Patrit. l. c. n. 56.—58. 64.)*. Dicunt enim, eos, qui verbis docent sententiam affirmativam, in iis, quae proferunt, non semper retinere genuinum conceptum sensus literalis. Respondemus: Certe omnes, ad quos nos provocamus, in locis citatis satis expresse de duplici sensu literali loquuntur. Iam vero haec expressio et per se clara est et ex Augustino aliisque, qui hanc rem accurate tractarunt, in clariori adhuc luce collocata est. Quare ubi de auctorum sensu quaeritur, per se simpliciter eorum verbis credendum est. Quodsi deinde eorum unus vel alter non in omnibus clarum et determinatum conceptum sensus literalis retinuisse aut utcumque sibi non in omnibus constans fuisse deprehendatur; id utique ostendit, tum rem in se difficilem videri

[1] Unus eorum est Estius ,qui solum dicit, se magis inclinare in partem negativam. *(Cfr. Beelen p. 138.)*

tum doctorum scholasticorum auctoritatem non omnino peremptoriam esse, quod etiam nos libenter concedimus. At inde minime consequitur, eos doctores pro auctoritate, qua in sese pollent, non stare ex parte affirmativa, quam aliunde expressis verbis tuentur. Dubium ergo non est, quin suffragium scholae faveat sententiae affirmativae.[1]

[1] Si qua fluctuatio de hac re in schola antiquiore exstitit, ea certe ad tempus ante Tridentinum coarctanda est. Nam exceptis auctoribus recentissimis omnes, qui pro negativa sententia afferuntur, ad tempus ante Tridentinum spectant. Sunt autem fere sequentes: Henricus Gandav., Albertus M., Alex. Halensis, Lyranus eiusque adnotator Paulus Burgensis et Tostatus, quibus aliquo modo addere conantur Bonaventuram et Thomam. Ceterum sententiam affirmativam etiam antiquiori illa scholae periodo communiorem fuisse, haud levia indicia suadent. Primo certe Augustini sententia etiam eo tempore ignota non erat, nec eius auctoritas tunc parvi fieri solebat. Dein eam sententiam, ut mox ostendemus, s. Thomas saltem valde probabilem habuit. Porro s. Thomas a communiori scholae sententia non facile recedebat nec ullibi vel leviter indicat, se in hac re novi aliquid docere. Insuper testimonium Lutheri, de quo supra *(n. 236.)*, ad hoc proprie tempus spectat. Denique schola catholica consideranda est ut corpus quoddam morale continuum, in quo quomodo tanta sentiendi diversitas oriri potuerit, ut, quod prius communiter negabatur, postea non minus communiter affirmaretur, non facile intelligitur, maxime cum nullum huius mutationis testimonium suppetat. Et revera omnes auctores, qui ex illo tempore pro negativa sententia afferuntur, valde dubii sunt, et fatente ipso Beelen modo huic modo illi sententiae favere videntur. Imo plures ex citatis auctoribus, si verba in obvio sensu sumuntur, expressis verbis duplicem sensum literalem admittunt. Si alibi negativae sententiae favere dicuntur, aliud revera dixisse non inveniuntur, quam quod, quidquid sophisticum et aequivocum est, e Scriptura excludendum sit. Iam vero mox docebimus, sensum multiplicem recte intellectum nihil sophistici et aequivoci secum ferre. Ergo cum hi auctores in ceteris aut aperte de duplici sensu literali admittendo mentionem iniiciant, aut saltem haud parum obscure et ambigue loquantur; ex eo solum, quod in Scriptura nihil sophistici et aequivoci admittere velint, non recte concluditur, eos duplicem sensum literalem omnino reiicere. Nec dicas, eos, dum hinc inde duplicem sensum, ut ipsi dicunt, literalem admittunt, revera sub nomine sensus literalis eum intellexisse sensum, quem nos mysticum diximus; eosque ad hunc dicendi modum inde fuisse deductos, quod ex una parte sensum, qui mysticus est, ad demonstrationem adhiberi posse credebant et ex altera parte nonnisi sensui literali vim demonstrationis adscribebant. Nos enim ad haec ita reponimus. Esto, illi antiqui doctores sub nomine sensus literalis comprehenderint etiam mysticum; quomodo ostendis, eos illum solum comprehendisse excluso sensu, qui proprie literalis dicitur? Nos, priusquam contrarium invicte demonstretur, iure sumimus, eos auctores, dum de duplici sensu literali loquuntur, sub illa phrasi simul

Scholion. 238. Post haec pro re nostra necessarium non est, ut s. Thomam contra aliquorum artes ut nominatim contra citatos auctores ex professo affirmativae sententiae vindicemus. Nam s. Thomam a schola communissime ut patronum affirmativae sententiae habitum fuisse, supra innuimus. *(n. 235.)* Aliunde s. Thomam, praesertim si eius sententia obscura sit et controversa atque a schola communiter alio modo intelligatur, toti scholae praeferre non possumus. Nihilominus de vero sensu s. Thomae in hac re pauca subiungimus, ut appareat, quis eum melius intellexerit, scholane antiqua, an auctores quidam recentiores. Primo improbabilissimum et velut monstri instar apparere debet, a schola cum tanto consensu tantaque constantia illius doctrinam perperam intellectam fuisse, qui post Petrum Lombardum praecipuus semper magister habebatur. Deinde s. Thomas propositum sibi habuit in hac re sequi Augustinum, cuius doctrinam apertis verbis *(1. p. q. 1. a. 10.)* ad minimum valde probabilem dixit.[1] Iam vero Augustinum aperte stare pro multiplici sensu literali, iam supra *(n. 232. 235.)* significavimus et infra *(n. 248.)* expressius demonstrabimus. «Non est, inquit s. Thomas *(l. c.)*, inconveniens, ut ait Augustinus, si etiam secundum literalem sensum in una litera sacrae Scripturae plures sunt sensus.» Obiiciunt, definitionem, quam ibi s. Doctor dat de sensu literali, non ex omni parte accuratam esse ac perfectam. Et revera, ut ex solutione obiectionum patet, s. Doctor ibi saltem magis praecipue de sensu mystico loquitur. *(Cfr. Patr. l. c. n. 49; Beelen p. 125. seqq.)* At ex eo nondum concludere possumus, doctrinam Augustini a s. Thoma perperam intellectam aut non in proprio eius sensu et quoad omnia approbatam fuisse. Unde quae in istum locum observantur ab adversariis, potius inde explicanda videntur, quod s. Doctor in eo loco hanc rem non ex professo tractat, sed solum obiter tangit. Quare quae per modum explicationis addit, non eo spectant, ut rei, de qua agitur, perfecta definitio ac notitia tradatur, sed ea subiungitur declaratio,

cum sensu mystico comprehendisse etiam illum, qui in rigore verborum unice ita dicitur et quem ex Augustino aliisque auctoribus optime noverant. Nam per se qui generaliter loquitur, generaliter est intelligendus et verba auctorum per se semper in proprio sensu accipienda sunt.

[1] Id concedit Beelen l. c. p. 127.

quae pro scopo praesenti sufficiens videbatur. Nihilominus illud, quod pro tuenda Augustini sententia maximi momenti est, ibidem a s. Thoma breviter innuitur, nimirum omnes illos sensus, de quibus est quaestio, revera suo modo a Spiritu sancto fuisse intentos. Alibi *(Quodl. VII. q. 6.)* s. Doctor aliam definitionem sensus literalis tradidit, quae sine dubio magis completa est et cui reapse nihil, quod essentiale sit, deesse videtur. Dicit enim: «Totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum acceptione recte accipitur.»[1] Si deinde s. Doctor in solutione difficultatis, ut ostendat, quomodo per multiplicem sensum nulla vitiosa aequivocatio inducatur, expressis verbis solum ad sensum mysticum attendit nec expressam multiplicis sensus literalis mentionem iniicit, id ex eo intelligi potest, quod ab ipso in eo loco de multiplici sensu in genere sermo instituitur. Nam si hoc prae oculis habeatur, quid mirum si praecipue ad sensum mysticum respiciat, qui maioris momenti est, et de sensu literali solum quasi per accidens loquatur? Id eo facilius fieri potuit, quia responsio, quae datur de sensu mystico, ad literalem etiam sensum suo modo applicari potest.

239. Si haec non sufficiunt, invenitur in s. Thoma locus, ubi s. Doctor sententiam de multiplici sensu literali expresse docet et quaestionem hanc coniunctim cum alia veluti ex professo tractat. Simul in eo loco doctrinam suam iisdem, quibus Augustinus *(cfr. n. 248.)*, rationibus confirmat. En eius verba *(de pot. q. 4. art. 1.)* «Nec aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, ut alii sensus, qui in se veritatem continent, penitus excludantur: *hoc enim ad dignitatem Scripturae pertinet,* ut sub una litera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat et unusquisque miretur, se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit,[2] et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra Scriptura velit intelligere,

[1] Hanc definitionem bonam esse concederet etiam Beelen *(l. c. p. 115.)*, si penes s. Thomam non legeremus *totum id* sed *omne id*. At haec est cavillatio. Nam *totum id* et *omne id* in tali contextu profecto quoad rem perinde est.

[2] Nota, hac argumentatione, qua et Augustinus utitur, includi etiam multiplices interpretationes literales.

falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus.[1] Unde non est incredibile, Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut *diversa vera,* quae homines possunt intelligere, ipsi cognoscerent et *sub una serie literae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris.* Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacrae Scripturae literae aptentur, quae auctor non intellexit *(humanus scilicet), non est dubium*[2]*, quin Spiritus sanctus intellexerit, qui est principalis auctor* divinae Scripturae.[3] *Unde omnis veritas, quae salva literae circumstantia potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus.*» Quid quaeso clarius dici potuit? Caecus est, qui haec quoad omnia ex Augustino desumpta esse non animadverterit. Ad haec infirmanda Patritius[4] notat, quae sequuntur. Si concedatur, quod ex hoc loco a patronis multiplicis sensus literalis concluditur, simul concedendum erit, iuxta s. Thomam in Scriptura admitti posse duos sensus, qui ut oppositi se invicem excludunt. Sed id nos negamus. Ratio est, quia hoc s. Thomas ipse in corpore articuli, ut apparet, claris verbis exclusit, dum monendum censuit, omnes sensus, qui admitti possunt, in se veros esse debere. Quae enim contraria sunt, simul vera esse non possunt. Si deinde in responsionibus ad obiecta dicere videtur, ex pluribus veritatibus, quae sibi invicem contradicunt, omnes aut plures retineri posse; profecto per haec dicere noluit, posse quemquam amplecti simul omnes, sed disiunctim amplecti posse unam vel aliam. Ratio est, quia, ubi ex pluribus opinionibus nulla demonstretur ut certa, nulla ut falsa, omnesque tum probabiles rationes extrinsecas tum probabilem Scripturae interpretationem pro se habeant; penes lectorem erit eligere, quam magis voluerit. Iam vero sicut in hac

[1] Recursus iste profecto, ut sit utilis, fieri debet ad aliam explicationem literalem.

[2] Nota, s. Thomam hanc sententiam hic tradere ut satis certam.

[3] Adde: Et verbis Scripturae exprimere voluerit, ut ex superioribus et scopo orationis supplendum est.

[4] Beelen *(l. c. p. 121.)* fatetur, s. Thomam hoc loco aperte favere sententiae affirmativae. Observationes, quas hic auctor nihilominus iis, quae a s. Thoma dicuntur, subiicere voluit, reapse parvi sunt momenti. Denique suspicio ab eo promota, ne hic locus sit interpolatus, omni fundamento carere videtur et solum demonstrat, hunc locum, prout iacet, adversariis ineluctabilem esse.

eligendi libertate nihil est absurdi, ita per concessionem istam pro re nostra sensus loci s. Thomae neque mutatur neque quoad rei substantiam multum obscuratur. Et haec de sententia s. Thomae sufficiant.

ARTICULUS SECUNDUS.

Expenduntur argumenta, quae hinc inde afferri possunt ex ratione theologica.

Punctum primum.

Rationes, quae multiplicem sensum literalem excludere videntur.

240. Rationes intrinsecas, quae contra multiplicem sensum literalem facere videntur, diligenter complexus est Patritius *(l. c. n. 69. 71.)* Eae ad sequentes reducuntur.

Ratio prima ita proponi potest. Biblia in lingua humana sunt conscripta, nec in Bibliis natura vocum locutionumque humanarum alia est quam in ceteris libris. Atqui — ita enim debes subsumere, si quid concludere velis — natura linguae humanae in suis sententiis duplicem sensum nullo modo patitur. Ad confirmationem audi, quid a nonnullis addatur. Sepositis Bibliis nullus certe reperitur liber humana lingua conscriptus, qui alicubi multiplicem sensum literalem exhibeat. Est ergo haec res contra humani sermonis indolem. In hoc argumento libenter concedimus propositionem maiorem. At id, quod in propositione minori subsumitur, omnino negamus. Rationem negationis habes in superioribus, ubi pro sermone humano absolutam possibilitatem multiplicis sensus in abstracto ad evidentiam demonstravimus *(n. 222.—227.)* Illud quod ad confirmationem additur, per se transmittere possumus. Unum tamen ad id advertimus. Si, quod asseritur, verum est, id non potest inde provenire, quod multiplex sensus literalis cum natura humanae loquelae omnino pugnet, sed ex aliis causis necessario oriri debuit, quarum praecipua est limitatio intellectus humani, quo libri profani sunt conscripti.

241. Secunda ratio ita instruitur. Regulae iustae interpretationis haec necessario postulant. 1. Inventa aliqua alicuius loci interpretatione, quae sine dubio vera est, nulla alia amplius est quaerenda. Quodsi 2. pro aliquo loco prima fronte plures interpretationes possibiles sese offerre videntur.

necessario inquirendum est, quaenam earum vera aut saltem omnium probabilissima censeri debeat. Inquisitione facta expositio, quae omnium optima apparet, retinenda est. Denique 3. si adhibitis omnibus interpretationis adminiculis, quaenam expositio optima sit, definiri nequeat, dicendum est, loci interpretationem dubiam et inextricabilem esse. Haec confirmantur ex eo, quod revera neque Augustinus ipse, qui aliunde praecipuus patronus multiplicis sensus esse dicitur, pro interpretatione Scripturae alias regulas statuit aut secutus est *(Patr. l. c. n. 70.)*. Atqui si Scriptura interdum multiplicem sensum literalem exhiberet, hae regulae interpretionis reiiciendae aliaeque statuendae forent. Ut ad haec respondeamus, ante omnia concedimus, interpretationis regulas, quae in difficultate proponuntur, revera generatim et ordinarie in exponendo sermone humano sequendas ese. At simul negamus, illas regulas ita certas, determinatas et ex omni parte completas esse, ut eae in nulla hypothesi utut extraordinaria sed possibili, qualis est illa de multiplici sensu literali, modificationem aliquam ac complementum recipere possint. Hoc enim, quod negamus, ab adversariis nondum est demonstratum, sed gratis sumitur. Item concedimus, Augustinum aliosque, qui sententiam de multiplici sensu literali amplexi sunt, in interpretanda Scriptura tum generatim tum maxime circa locos, ubi nulla de multiplici sensu literali suspicio esse poterat, has regulas secutos esse. Concedimus insuper, id non solum ideo ab illis observatum esse, quia theoriam de multiplici sensu literali non habuerunt ut omnino certam, sed etiam aliam ob causam, quam deinceps in responsione indicabimus. Haec de propositione maiori dicta sint, et de facto, quod in confirmatione affertur. Nunc progredimur ad id, quod in propositione minore adiungitur. Ut perspicias, quid de ea sentiendum sit, perpende quae sequuntur. Igitur ut in interpretando loco aliquo uni sensui literali, qui nulli loco deesse potest, iure secundus vel etiam tertius addi possit, haec ex natura rei postulanda sunt et ab omni sano interprete postulantur. Ante omnia interpretationes secundariae illam, quae primaria simul ac certa aut probabilissima videtur, nullatenus excludere debent. Deinde generatim nunquam plures expositiones simul admitti possunt, quarum una aliam destruat aut excludat. Aliis verbis necesse est, ut quoad rem et sensum

una non affirmet, quod altera negat et vice versa, sed omnes simul consistere et verae esse possint. Ad haec etiam in nostra hypothesi nunquam admittenda est interpretatio, quae iuxta alias hermeneutices regulas ex. gr. ex potestate verborum aut ob contextum, auctoritatem Patrum etc. admitti non potest.[1]

242. Quo posito statim apparet, regulas, de quibus est difficultas, etiam in nostra hypothesi habere applicationem utilem imo necessariam. Inquirendum enim erit ante omnia, utrum ex interpretationibus, quae primo aspectu possibiles videntur, una sit certa. Inde determinari poterit, utrum ceterae aut omnes aut aliquae propter oppositionem, quam cum ista habent, efficaciter excludantur, an vero suam probabilitatem retineant. Denique videndum est, primo an aliquae earum inter se pugnent, deinde utrum omnes et singulae cum orationis contextu, cum potestate verborum, cum parallelismo etc. cohaerere possint necne. Ita falsissimum esse invenitur, regulas istas maxime primam et secundam in nostra hypothesi reiiciendas omnino esse ut falsas aut inutiles. Quodsi inquisitione, qualem modo postulavimus, facta adhuc plures remanent interpretationes, quae per se possibiles apparent; tunc utique in theoria de multiplici sensu literali omnes istae interpretationes simul retineri poterunt et debebunt. Ita fit, ut in hoc casu per se satis raro prima et ultima ex regulis adductis modificationem aliquam subire debeant. Scilicet primam regulam quod attinet, etiam

---

[1] Ex his perspicies, quid illi agant *(Hofmann hermen. bibl. §. 7.)*, qui contra theoriam de multiplici sensu literali ad Tridentinum provocant, quod in canonibus suis *(sess. VII. can. 2. de bapt. sess. XIV. can. 3. de poenit.)* prohibet certos textus ad metaphoras detorquere eosque in sensu aliquo omnino determinato accipere iubet. Dico: Haec theoriam, de qua quaerimus, nullatenus destruunt. Nam ea non negat, esse in Scriptura locos quam plurimos, qui nullam metaphoram admittunt et nonnisi unum sensum habent et habere possunt; et aliunde locos, quos in his canonibus Tridentinum respicit, revera ad hanc classem pertinere per se satis manifestum est. Generalia autem principia circa rem nostram Tridentinum neque in locis citatis neque alibi statuit. Deinde quando quis iuxta theoriam istam in certo loco praeter sensum principalem quaerit alium sensum literalem secundarium, sicut per hoc priorem aut negare aut minus certum reddere non intendit, ita nunquam verba ad alienum sensum detorquere aut phrasibus et contextui nimiam vim inferre ipsi licitum esse potest. Iam vero hoc est et non aliud, quod Tridentinum per dictos canones in Protestantibus improbat.

una certa interpretatione iam inventa eaque semper retenta aliam insuper quaerere licebit. Tertiam quod spectat, in casu ibi descripto loci interpretatio non tam dubia dicenda erit, quam multiplex. Sed in hoc etiam casu semper meminerimus, fieri posse, ut nobis, qui vim locutionum ac rationem contextus et cetera huiusmodi fere nunquam perfecte assequimur, aliae interpretationes praeter unam, quae certa est, possibiles videantur, licet reapse possibiles non sint. Aliis verbis inventa una interpretatione, quae certa est, semper aut fere semper aliae interpretationes secundariae plus minus dubiae manebunt. Iam vero in hac levi dictarum regularum modificatione nil absurdi aut periculosi inesse videtur. In sensu exposito negare possumus, s. Augustinum in Scriptura interpretanda nunquam theoriae de multiplici sensu literali, quam ipse accurate exposuit, ullam rationem habuisse. Scilicet negamus, Augustinum nullatenus sollicitum fuisse, ut illi theoriae, quantum res postularet, interpretandi methodum accommodaret. Notissimum enim est, Augustinum haud semel in suis scriptis exegeticis plures et disparatas alicuius loci expositiones in medium afferre; nec tamen s. Doctor valde sollicitus est, ut unam prae ceteris veram esse ostendat, sed omnes pro veris habere videtur. *(Cfr. confess. l. II. c. 26. 31. de genes. ad lit. l. I. c. 19. et alias saepe, de civ. Dei l. XI. c. 10. contra Faust. l. XVI. c. 22. de doctr. christ. l. III. c. 27. 28.)*[1]

243. Tertia ratio est haec. Multiplex Scripturae sensus ideo potissimum admittitur, quia id ad auctoritatem dignitatemque Scripturae pertinere videtur. Atqui per huiusmodi hypothesin tantum abest, ut Scripturae auctoritas et dignitas crescat, ut econtra haud parum per eam minuatur. Nam in hac suppositione Scriptura valde obscura, ambigua et veluti aenigmatica redditur ac pro demonstratione eorum, quae ex Scriptura demonstranda sunt, evadit minus apta. Imo hac ratione ludicrum quid ac fere puerile in Scripturam inducitur. Potissima vis huius argumenti, ut apparet, sita est in ratione, quae ultimo loco ad confirmationem additur. Quare ista ratio

[1] Idem valet de s. Thoma, ut patet ex locis supra *(n. 235.)* a nobis indicatis. Ceterum etiam per sensum mysticum istae regulae aliqualem patiuntur modificationem. Non ergo adeo generales et immutabiles sunt habendae.

ante omnia expendenda est. Asseritur igitur, per multiplicem sensum literalem Scripturam valde obscuram, ambiguam et veluti aenigmaticam reddi et ita demonstrationi minus aptam apparere. Quid ad haec respondebimus? Unum ante omnia monendum ducimus. Ut hoc argumentum demonstret, quod demonstrandum est, per id ostendi debet, Scripturam, prout iacet, cum nostra hypothesi fore obscuriorem quam sine illa. Quo posito quod in argumento assumitur, in abstracto concedere possumus. Aliis verbis concedimus, librum, qui unicum ubique exhibeat sensum literalem, fore perspicuiorem libro, qui hinc inde multiplicem sensum literalem admittit. At ubi ad concretum devenimus, longe aliter res se habet. Haec assertio magis explicanda est. Certe, ut nemo negat, clarior est liber, ubi omnes et singulae propositiones verbis ita claris et determinatis expressae inveniuntur, ut nonnisi uno determinato sensu intelligi possint. At postquam liber aliquis de facto talibus verbis invenitur conceptus, ut eius propositiones hinc inde plures diversos sensus admittant, qui omnes neque invicem pugnant neque falsi aut tali auctore libroque indigni sunt; per hoc quod supponas, auctorem in libro suo non unum solum ex illis sensibus exprimere voluisse, sed simul intendisse omnes, ille liber profecto non fit aenigmaticus aut magis obscurus et ambiguus. Imo per eam hypothesim liber clarior evadit minusque ambiguus, quam si ponas, auctorem unum tantum sensum ubique asserere voluisse. Plus dico: Per hanc hypothesim, quantum fieri potest, liber ab omni ambiguitate et obscuritate solvitur. Eo ipso, ut per se patet, si auctor aliunde fidem meretur et liber demonstrationi per se aptus est, totus liber ad demonstrationem magis aptus invenitur.[1] Porro in Scriptura reapse plures reperiri propositiones,

[1] Ex his pariter intelligitur, an dici merito possit, in suppositione multiplicis sensus literalis Scripturam multas continere aequivocationes. Aequivocatio enim proprie illa est locutio, quae duplicem habet sensum sive disparatum sive contrarium, quorum aut unus est verus alter falsus aut saltem unus solus a loquente affirmatur, alter tacite negatur. Unde fit, ut talis locutio, sicut ad fallendum est apta, ita ad cognoscendam mentem loquentis sit inepta. In nostra vero hypothesi utique duplex item est sensus disparatus, at nunquam contrarius; semper a nobis sensus uterque a loquente intentus et affirmatus, imo, cum de Scriptura infallibili agitur, uterque infallibiliter verus esse supponitur. Quare in hac hypothesi

quae ambiguae videntur et ratione declarata multiplicem sensum admittunt, factum est, quod vix aliquis, qui tum Scripturam tum optimos eius interpretes aliquantulum noverit, serio negabit. Ceterum nos factum istud ex superioribus *(cfr. n. 222. segg.)* tamquam demonstratum supponere possumus. Certe per simplicem assertionem, qua contendis, Scripturam ubique unum tantum habere sensum literalem, Scripturae verba clariora non evadunt, nec interpretationes multiplices ac disparatae, quae in quam plurimis locis post adhibita omnia adminicula hermeneutica adhuc optimae notae interpretibus possibiles apparent, uno ictu eliminantur. Ergo contra adversarios iure asserere possumus, multum abesse, ut per doctrinam de multiplici sensu literali ambiguitas et obscuritas Scripturae augeatur, ut per istam theoriam obscuritas minuatur. In ea enim ubi verba Scripturae duplicem sensum admittunt, sub certis conditionibus concludere possum, tum unum tum alterum a Deo intentum fuisse, et ita verum Scripturae sensum reipsa assequor; dum in alia sententia dubius haerere cogor. *(Cfr. n. 245. 249.)*[1]

244. Pari iure negamus, quod ab adversariis additur, nimirum per hanc sententiam introduci in Scripturam ludicrum quid ac fere puerile. Nam licet id forte de sermone hominis,

---

sicut locutio non fallit, ita nec celat mentem loquentis, sed ubicunque vere intelligitur, recta via ad mentem loquentis cognoscendam perducit. Non itaque bene hic loquendi modus in tali casu dicitur aequivocatio. Si nihilominus ita dicere placet, monendum est, agi de modo loquendi, qui a communi aequivocatione admodum diversus est, et locutionem istam non habere illa incommoda, quae aequivocationi communiter tribuuntur. *(Cfr. Estius apud Beelen l. c. p. 135.)* Estius *(l. c.)* invitus concedere cogitur, in Augustini sententia ex utraque interpretatione literali argumenta bona et valida duci posse. Numquid talis locutio aequivocatio iuste dicitur?

[1] Ad difficultatem praesentem magis adhuc eliminandam, insuper haec nota. 1. Per hanc hypothesin sensus Scripturae, qui per se faciles et obvii sunt, non cessant esse faciles et obvii. 2. Sententia de multiplici sensu literali supposita ut certa concedendum erit, hinc inde et in uno vel altero loco fieri posse, ut multiplices eius sensus non difficilius eruantur, quam interdum cognoscitur mystica aliqua significatio per mera indicia intrinseca. 3. Nec hanc sententiam ideo reiiciendam esse censemus, quod ea supposita homini in hac vita perfecta Scripturae intelligentia vix assequenda videtur. Id enim suo modo omnibus concedendum est, ut vel ex iis indubitanter colligitur, quae v. gr. in exponenda Apocalypsi vel circa Canticum Canticorum interpretes fatentur unanimiter.

qui tale aliquid affectaret, concedendum sit; aliter iudicandum censemus de Scriptura, quae opus est Dei. Profecto qui rei possibilitate, quam supra demonstravimus, semel supposita asserere voluerit, non posse Deum hoc genere loquendi uti, quin in eius sermone ludicrum quid et puerile appareat; is aliquid asserit, quod iam a priori absonum Deoque iniuriosum esse videtur. Iniuriosum item hoc apparet in s. Augustinum, s. Thomam totque alios scholasticos nobilissimos. Numquid enim tot tantique viri, qui hanc sententiam defenderunt, inter ludicrum et grave distinguere haud potuerunt aut Deo tale aliquid ascribere attentaverunt? Idem luculentius monstratur exemplis. Numquid v. gr. ludicrum et puerile esset, si Deus duabus sententiis supra *(n. 223)* ex Genes. II. 15. et Ioan. III. 30. allatis aut aliis verbis aptioribus in utroque sensu ab Augustino indicato uti voluisset? Aut ponamus, revera in Genes. I. 1. vocabulum «reschith», quod in textu originali legitur, aut vocabulum aequivalens in alia lingua, ut *ἀρχή*, *principium* revera aptum esse, ut simul initium temporis designet et Dei Filium seu hypostaticam Dei sapientiam, quae a Patribus rerum omnium principium ac causa dicitur; sicut revera, quae praefigitur, hebraica particula «be», quae in Graeco per *ἐν* in Latino per *in* vertitur, simul et tempus et causam, quam dicunt efficientem, significare potest. Hac suppositione facta quis dicet, eum, qui cum Augustino *(confess. l. XII.)* aliisque quam plurimis credat, Deum phrasi illa brevissima haec omnia simul enuntiare voluisse: «In initio temporum ac per Filium suum, tamquam per rerum omnium principium, Deus creavit coelum et terram» ludicrum quid ac puerile Deo attribuere? Nobis certe omnino contrarium dicendum videtur.[1]

245. Deiecto his observationibus principali totius argumenti fundamento non est necesse ad alia singillatim respondere. Nihilominus haec subiicimus. Ante omnia nonne possibile apparet, ut quis dicat, se doctrinam, de qua agitur, amplecti non tam ob dignitatem Scripturae sed potissimum propter auctoritatem Augustini totque aliorum maximi nominis patronorum? Quare et maior propositio argumenti principalis aliquo

1 Cfr. Mazzella de Deo creante n. 80. Alia exempla habes supra *(n. 223.)* et infra *(n. 251.)* plura adhuc dabimus.

modo nutat. Minor vero propositio ex dictis omnino neganda est. Nam per hypothesin de multiplici sensu literali sicut augetur in Scriptura copia sensuum, ita simul etiam amplitudo auctoritatis divinae manifesto crescit. Quare hac hypothesi retenta oppido plures res ex Scriptura demonstrari poterunt quam ea reiecta. Ad haec in ista theoria ex locis, de quibus quaestio versatur, neque cum minori efficacia neque cum maiori difficultate argumentatio institui posse cognoscitur, quam id generatim ex istis locis fieri possit; imo in hac theoria, ut ex dictis *(n. 243. 249.)* patet, difficultas per se diminuitur. Ergo per hanc theoriam revera dignitatem praerogativasque Scripturae non minui sed potius aliquatenus crescere, post dicta nemo facile negabit.

246. Quarta denique ratio ita proponi potest. Si multiplex sensus literalis absolute possibilis esse concedatur, est tamen nemine negante res omnino extraordinaria et veluti miraculosa, quae neque in conceptu inspirationis de se includitur neque pro Scripturae fine et scopo necessaria est. Iam vero quae talia sunt, praesumi non debent aut utcumque leviter asseri, sed nisi firmis argumentis demonstrantur, merito reiiciuntur. Porro argumenta, quae pro sententia affirmativa afferuntur, non adeo firma imo nullius valoris sunt, ut instituto eorum examine facile constare potest. Hoc argumentum certe spernendum non est. Sed ut quisque facile videt, cum magis negativum sit, omnino peremptorium haberi nequit. Quod hoc modo magis confirmatur. Hoc argumentum, cum obvium sit, non apparet, quomodo Augustinum et Thomam aliosque, qui eos sequuntur, omnino latere potuerit. Nec tamen eos haec consideratio a sua sententia retraxit. Deinde tota eius vis pendet a propositione minori, quae negat, pro affirmativa sententia valida afferri argumenta. Iam vero hoc facile a quopiam negari poterit. Nam ut de argumentis intrinsecis mox afferendis et examinandis modo iudicium differamus, certe inter argumenta sententiae affirmativae est etiam auctoritas ss. Augustini, Gregorii M., Thomae et totius fere scholae catholicae per plura saltem saecula. Hanc auctoritatem variis observationibus aliquo modo attenuare poteris, sed eam aut omnino elevare aut pari in contrarium allata auctoritate penitus elidere impossibile videtur. Stat ergo pro sententia affirmativa auctoritas de se haud

spernenda. Utrum deinde haec auctoritas ceteraeque rationes, de quibus mox agemus, sufficiant, ut tribuamus Scripturae praerogativam, quam utique extraordinariam et de se minime necessariam esse concedimus, sapientiorum sit diiudicare. Nos potissimum propter rationem hanc ultimam, quam plene solvere non possumus, in assertione generali supra posita concessimus, negativam sententiam ex rationibus intrinsecis probabiliorem apparere.[1]

Punctum secundum.

Rationes, quae sententiam de multiplici sensu literali suadere videntur.

247. Primam rationem proponemus tum nostris verbis tum verbis Augustini. Itaque ita argumentari possumus. Si Deus ad homines humana lingua loqui voluit, ut in Scriptura reapse fecit, praesumendum est, eum perfectissimo loquendi modo uti voluisse. Id de Scriptura eo magis assumendum est, quod Patres pleni sunt admiratione Scripturae, ita ut eam nunquam satis sibi laudasse videantur. Nominatim Patres in Scriptura praedicant et mirantur profunditatem copiamque superabundantem sensuum. Ita iuxta Patres Scriptura non solum utcumque est opus ordinis supernaturalis sed inter cetera opera divinae sapientiae summopere mirabile, cuius omnes

[1] Sunt, qui cum Patritio *(l. c. n. 68.)* etiam ex *inductione* argumentantur asserentes, inductione constare, nullum esse Scripturae locum, qui sub una litera revera exhibeat plures sensus literales. Sed hoc argumentum, nisi qua argumentum negativum onus demonstrandi et inveniendi locos in adversarios reiiciat et ita tandem reducatur ad ultimum argumentum superius positum; certe nullum est. Quis enim dicere praesumat, se tota Biblia ita perfecte nosse, ut in omnibus et singulis locis non solum verum sed totum sensum assecutus sit? Porro hoc pro dicta inductione manifesto requiritur. *(Cfr. n. 251. seqq.)* Certe traditio et Patres non omnes Scripturae locos et multo minus omnes circa omnia i. e. secundum totum sensum authentice interpretati sunt. Quo posito quomodo id homo privatus assequi potest? Idem dic de sequenti argumento haud absimili. *(Cfr. Beelen p. 2.)* Si Scriptura praerogativa hac gauderet, inquiunt, ea ecclesiam et interpretes non potuisset latere. Pro hominibus enim et ecclesia Scriptura cum suis praerogativis est data. Est nimirum et ipsum argumentum negativum. Dein dubitare licet, an ecclesia quoad omnia sensum Scripturae perfecte cognoscat, ut patet ex consideratione Apocalypseos. Denique negare possumus, ecclesiae hanc praerogativam mansisse omnino ignotam, cum tota schola catholica testimonium in contrarium ferre videatur.

praerogativas pulchritudinesque perspicere omniaque mysteria assequi humanae menti impossibile sit. *(Cfr. Basil. de Spirit. s. in pooem.; Chrysost. in genes. homil. 21.; Thom. in 2. sent. dist. 12. art. 2. ad 1.; Beelen l. c. p. 17. et hic infra n. 302. et 303.)* Iam vero perfectissimus loquendi modus esse videtur, si paucis verbis exprimantur conceptus quam plurimi et in una eademque locutione plures insint sensus, ut patet ex locis, quibus inest sensus mysticus. Saltem nemo negabit, hoc ad profunditatem pulchritudinemque Scripturae haud parum conferre. Quare profunditas ac pulchritudo Scripturae quam maxime crescet, si intra iustos limites *(cfr. n. 222.)* ad sensum mysticum, quantum fieri potest, accedat insuper multiplex sensus literalis. Id totum confirmatur hoc modo. Protestatur Augustinus *(cfr. n. 248.)*, descriptum loquendi modum sibi placere quam maxime, et si in sua potestate foret, libentissime se illo usurum. Hinc s. Doctor monet, si hinc inde in scriptis suis ei, qui legerit, sub certis verbis aut sub certo verborum circuitu ex perspicuitate ingenii praeter conceptus illos atque sententias, quas ipse, dum ea scriberet, tum volvebat animo tum scriptis exprimere intendebat, i. e. praeter sensum, quem cogitabat ipse, alii praeterea conceptus aliaeque sententiae occurrant i. e. alius sensus in mentem veniat verus tamen et utilis, qui ipsum, dum scriberet, omnino latebat ac proinde verbis suis ex sua intentione non inest; id ex tarditate ingenii sui factum esse. Secus enim, ita idem sine haesitatione declarat, ipse sensum illum, qui verbis suis subesse per se potest quique in se verus et utilis esse cognoscitur, non solum antea mente cogitasset sed et sine ulla dubitatione in scribendo per verba sua simul cum alio exprimere voluisset. Ita quoad sensum Augustinus. Iam vero, ita hic quaerere licet, cur quod homo sapientissimus iuxta et sanctissimus affectare potuit, et si assecutus fuisset, in magnam suorum librorum laudem cessurum fore arbitratus est, Deo negandum erit? Deus certe omnia, quae in se vera et utilia sub Scripturae suae verbis latere et ab homine quolibet, qui Scripturam legerit, cogitando inveniri possunt; et ab initio perspecta habuit et simul, quid humana mens sub verbis suis aliquando cogitatura erat, ab aeterno praevidit. Cur ergo non saltem probabile dicemus, Deum reapse illa omnia, quae verbis Scripturae subesse per se possunt, in quantum vera ac bona sunt, per eadem dicere

voluisse? Quodsi hoc conceditur, et si insuper reapse sententiae, quae duplicem sensum verum admittunt, hinc inde in Scriptura occurrunt, habemus quod contendimus. Ita enim illae sententiae reipsa habebunt duplicem sensum literalem.[1]

248. Modo idem argumentum libet denuo proponere verbis Augustini. Quod ideo praecipue facere placuit, ut et sententia Augustini melius cognoscatur et mens eius extra omne dubium ponatur.[2] Itaque in exponendo primo versiculo Geneseos occupatus Deumque allocutus ita scribit s. Doctor *(confess. l. XII. c. 26. n. 36.)*: «Et ego, Deus meus, non possum minus credere de Moyse fidelissimo famulo tuo, quam mihi optarem ac desiderarem abs te dari muneris, si tempore illo natus essem, quo ille eoque loco me constituisses, ut per servitutem cordis et linguae meae literae illae dispensarentur, quae tanto post essent omnibus gentibus profuturae et per universum orbem tanto auctoritatis culmine omnium falsarum superbarumque doctrinarum verba superaturae. Vellem quippe, si tunc ego essem Moyses . . . et mihi abs te Geneseos liber scribendus iniungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari et eum texendi sermonis modum; ut neque illi, qui nondum queunt intelligere, quemadmodum Deus creat, tamquam excedentia vires suas dicta recusarent, et illi, qui hoc iam possunt, in quamlibet veram sententiam cogitando venissent, eam non praetermissam in paucis verbis tui famuli reperirent, et si alius aliam vidisset in luce veritatis, nec ipsa in eisdem verbis intelligenda deesset.» Et paulo inferius *(c. 31. n. 42.)*: «Ita, ait, cum alius *(interpres)* dixerit: Hoc sensit *(scriptor sacer)* quod ego; et alius: Imo illud, quod ego; religiosius me arbitror dicere: Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium et si quid quartum et si quid omnino aliud verum quispiam in

[1] Necesse non est, ut in hac hypothesi etiam scriptor humanus in scribendo omnes eos sensus intenderit et intellexerit. Nam non ipse sed Deus est verus Scripturae auctor. Quare non hominis sed Dei praecipue intelligentia et intentio spectanda est, si de sensu Scripturae quaeritur. *(Cfr. supra n. 93.)* Nihilominus etiam humanum scriptorem quod spectat, non facile suspicandum est, eum, quae tamquam Dei minister scripsit, non plene intellexisse, ut per se patet.

[2] Aliqui de sensu Augustini circa praesentem quaestionem dubitarunt et eius verba ita interpretari conati sunt, ut eius sententia saltem dubia maneat. Quo iure, perspicies ex iis, quae habes in textu. *(Cfr. n. 232).*

his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio, sic mallem scribere, ut, quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere.[1] Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc illum virum *(Moysen)* de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his rebus atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus aut nondum possumus et tamen in eis inveniri potest.»[2]

---

[1] Ideo Augustinus dicit, falsitatem sententiarum, quas ipse expressis verbis non excluserit, ipsum non offendere, quia ex suppositione ipse eas sententias nec dicere voluit nec dixit. Quare earum falsitas ad eum nihil pertinere dicenda erit.

[2] Nota 1., Augustinum sententiam suam hic proponere ut satis certam. Quod confirmatur ex alio eius loco *(de doct. christ. l. c.)*, ubi haec legimus: «Ille quippe auctor *(humanus scriptor)* et ipsam sententiam forsitan vidit *(quae scil. praeter sensum principalem lectori in Scriptura aliquando occurrit et vera est)* et certe Dei Spiritus, qui per eum haec operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo ut occurreret, quia et ipsa auctoritate subnixa est *(et per hoc vera)*, providit.» Quod hic Augnstinus de auctore humano dubitanter loquitur, sicut veritatem doctrinae principalis non infirmat *(cfr. n. 247 in nota)*; ita per oppositionem inter eum auctorem et inter Deum satis aperte ostenditur, Augustinum eam doctrinam prae Deo ut fere certam habuisse. Nota 2., simili omnino ratione argumentari s. Thomam, qui fere ad verbum Augustinum sequitur. *(Cfr. n. 239.)* Notandum 3., Augustinum prae commodo illo, quod in multiplici sensu reperiri potest, contempsisse illam qualemcumque obscuritatem seu iacturam perspicuitatis, quae in sermone quolibet cum multiplici sensu literali naturaliter nexa est. Aliqui *(cfr. Hofmann hermen. bibl. §. 7.)* notant, Augustinum in hac re sibi non constare, et in testimonium huius inconstantiae provocant ad librum de doctrina christiana. *(l. I. c. 36. n. 40. 41.)* At quod ad nos spectat, s. Doctor ibi aliud non dicit, quam hoc: Si quis in legenda exponendaque Scriptura non hoc cogitaverit et dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probabitur, ipse fallitur ideoque corrigendus est. Iam vero haec assertio theoriam de multiplici sensu literali nequaquam laedit. Nam ea theoria supponit, auctorem Scripturae principalem i. e. Deum, cuius sensus praecipue quaeritur, plures sensus revera intendisse, et idem in ea theoria etiam de auctore secundario i. e. de hagiographo generatim praesumendum est. Quare qui legendo Scripturam in locis, ubi multiplicem sensum habere supponitur,

249. Secunda ratio novum momentum addit praecedenti, quod est huiusmodi. Negari non potest, hinc inde in Scriptura occurrere locos, qui non solum prae sensu mystico sed praecise secundum literam multiplicem admittunt interpretationem. Et quod bene est attendendum, haud raro interpretationes istae tales sunt, ut inter se nullam oppositionem habeant sed mere disparatae esse videantur. Quare omnes per se et quoad rem simul verae esse possunt et de facto haud raro omnes in se verae sunt. Iam vero per hypothesin multiplicis sensus literalis horum locorum expositio multo facilior evadit ac certior seu sub hac hypothesi Scriptura minus obscura et ambigua apparet, quam sine illa. *(Cfr. n. 243.)* Ratio est, quia hac hypothesi admissa omnes expositiones, quae neque inter se neque cum aliis Scripturae locis neque generatim cum veritate aliqua, quae sive ex revelatione sive ratione et experientia ut certa cognoscitur, oppositionem habent, pro veris et certis retinendae sunt. Quare in ea hypothesi ex multis expositionibus, quae possibiles apparent, nequaquam unam eligere cogimur, quae sola vera habeatur, quia non una sola sed omnes sine exceptione supponuntur a Deo intentae. Cum

praeter unum sensum verum et primarium alium cogitat secundarium, in hac sua cogitatione nequaquam necessario fallitur, ac si non id, quod auctor dicere intendit, sed aliud assecutus sit. Ceterum ad plenam intelligentiam huius loci attendenda sunt, quae supra *(n. 241.)* diximus. Eminentissimus Franzelin *(de Deo Uno thes. LII. p. 507. nota 2.)* ex alio loco eiusdem operis *(de doctr. christ. l. III. c. 27. n. 38.)* notat, Augustinum, dum de multiplici sensu literali loquitur, non tam principium hermeneuticum quam theologicum statuere voluisse. Hoc significat: Ubicumque in sacris libris verba variam expositionem admittunt, utique ex mente Augustini theologice loquendo semper omnes expositiones, quae analogiae fidei non contradicunt, simul retineri possunt; at quod id etiam hermeneutice fieri possit, s. Doctor claris saltem verbis nullibi asserit. Nos ista perfecte probare non possumus. Nam primo vel locus ipse, qui hic tangitur, si integer legitur, plus dicere et simul cum principio theologico etiam principium hermeneuticum proponere videtur. Deinde id multo clarius colligitur ex loco, quem nos in textu dedimus. Unum tamen est, quod in loco, qui hic tangitur, praesenti theoriae aliquatenus nocere et mentem Augustini minus certam reddere cognoscitur, nimirum quod s. Doctor pro demonstrandis veritatibus, quae ex locis multiplici interpretationi aptis iuxta hanc theoriam eliciuntur, alia eaquae clariora Scripturae testimonia postulat. At cum Augustinus hic manifesto de demonstratione loquatur, quae ex omni parte certa sit, id solum ostendit, eidem theoriam suam undequaque certam non fuisse, quod non negamus.

ergo aliunde ostensum sit, hypothesim istam nihil habere, quod Scripturae penitus inconveniens appareat; honor Dei Scripturaeque dignitas exigere videtur, ut eam amplectamur, quia hac ratione tantum opus Dei, quantum est Scriptura sacra, quantum fieri potest, a nimia obscuritate et ambiguitate liberatur.

250. Haec duo argumenta, ut modo de iis iudicium feramus, nobis vi sua carere non videntur. Fatemur tamen et consulto notamus, ea, cum potissimum ex rerum convenientia et ex Dei Scripturaeque dignitate ducta sint, penitus certa et ineluctabilia non esse. Possunt enim ea fere ratione reiici aut extenuari, qua reiiciuntur argumenta, quae a nonnullis philosophis instruuntur pro sic dicto optimismo. Aliis verbis ad haec argumenta reponere quis poterit, Deum sive per Scripturam sive alio modo hominibus loquatur, nulla lege teneri, ut loquatur modo omnium perfectissimo ac maxime perspicuo. Aliunde excluso licet multiplici sensu literali Scriptura semper manet opus Dei grande omnino atque mirabile, quod etiam sic non ob unam rationem iis laudibus extolli possit, quibus Scripturam a Patribus videmus elatam. Denique sic etiam Scriptura pro fine, ad quem data est, satis apta et saltem quoad res necessarias satis perspicua existit.

251. Tertia ratio, quae penes auctores omnium est frequentissima, sumitur *ab exemplis*. Ea primo generatim sic proponi potest. Inveniuntur in Scriptura nonnulli loci, qui non solum de se multiplices interpretationes literales admittunt, sed et a Patribus aut versionibus authenticis quoad literam valde diversimode exponuntur aut vertuntur. Ita ex una parte fit, ut diversae illae expositiones omnes ac singulae ob auctoritatem Patrum, qui eas tradiderunt, respui vix possint; ex altera vero parte vix intelligitur, quomodo eas multiplici sensu literali a Scriptura penitus excluso simul retinere liceat. Ratio ultimi est, quia interpretationes, de quibus agitur, ex una parte saepe stricte literales dicendae sunt, ex altera vero parte non semper in se ita comparatae esse videntur, ut eas tamquam interpretationes incompletas et partiales illius loci considerare et in unam solam, quae generalior et completa sit, conflare liceat. Atqui tale inconveniens optime tollitur, si in Scriptura hinc inde multiplicem sensum literalem admittere haud gravamur. Totum negotium in hoc argumento, ut apparet, est in pro-

banda minori seu in reperiendis exemplis, quae pro praesenti scopo ex omni parte apta sint. Porro exempla, quae in hanc rem ab auctoribus passim afferuntur, haec potissimum sunt. Primum ponitur in Genes. I. 1. In hoc loco *principium*, ut videtur, bene exponitur tum de initio temporum, tum de Filio Dei, prout est rerum omnium principium. *(Cfr. n. 244.)* Secundum sumitur ex Genes. XLVII. 31., ubi Iacob iuxta vulgatam dicitur adorasse conversus ad lecturi caput, iuxta Septuaginta vero et Paulum Apostolum adoravit ad fastigium virgae Ioseph. Tertium reperiunt in Ps. II. v. 7. coll. Hebr. I. 5. V. 5. Act. XIII. 33., qui locus apud varios tum de Christi generatione aeterna, tum de eius electione in sacerdotem, tum de resurrectione ex mortuis accipitur. Item, quod quartum exemplum est, Ps. XVIII. 5. *(coll. Rom. X. 18.)* accipitur tum de coelo materiali tum de Apostolis. Quintum est in Isaia LIII. 4. *(coll. Matth. VIII. 17.; I. Petr. II. 14.)*, ubi iuxta aliquos Christus hominum peccata luenda infirmitatesque humanas tolerandas in se suscepisse dicitur, iuxta alios vero per virtutem miraculorum infirmitates temporales ab hominum corporibus abstulisse scribitur. Sextum item est in Isaia LIII. 8., ubi iuxta quam plurimos de Christi aeterna et divina generatione sermo est, iuxta alios item haud paucos Propheta de generatione humana ex Virgine loquitur. Septimum est in Habac. III. 2. Ibi vulgata habet: «In medio annorum notum facies.» Septuaginta vero, sicut etiam ab ecclesia in liturgias translatum est *(cfr. Miss. Rom. in Parascev. in tractu ad sic dicta improperia)*, dicunt: «In medio duorum animalium cognosceris.» Denique octavo quidam provocant ad Ioann. XI. 49.—51., ubi leguntur notissima haec verba Caiphae Pontificis: «Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo» etc. Verba ista manifesto penes Evangelistam duplici eoque valde diverso sensu sumuntur *(cfr. supra n. 223; Beelen l. c. part. II. sect. 2; Patrit. l. c. n. 33. et 38; et auctores supra citati n. 236. in nota)*.

252. Non vacat omnes istos locos singillatim examinare, ut ex una parte ostendatur, ex iis argumentum omnino peremptorium pro sententia affirmativa non exsurgere, ex altera vero parte accuratius determinetur, num his exemplis aliqua saltem et quanta demonstrandi vis insit. Quod enim primo loco ostendendum erat, fere per se patere videtur. Ut enim argumentum

istud ab exemplis peremptorium sit, haec tria simul certissime constare debent. Requiritur 1., ut nulla ex diversis, quae praetenduntur, interpretationibus sine piaculo reiici possit. 2. Unaquaeque ex illis interpretationibus omnino literalis, non vero mystica aut solum derivata sit, necesse est. 3. Constare debet, varias unius loci interpretationes in unam generalem et completam conflari non posse. Porro facile apparet, in unoquoque ex allatis exemplis unam vel alteram ex dictis conditionibus aut omnino abesse aut saltem in dubium vocari posse. *(Cfr. Beelen et Patrit. ll. cc.)* Restat ergo, ut relictis exemplis illis, quae minorem attentionem merentur, de uno vel altero accuratius inquiramus, an revera aliqua et quanta demonstrandi vis eidem insit.

253. Exemplum primum. Attentionem certe merentur verba Caiphae *(Ioan. XI. 49. seqq.)*, quibus de Christi morte loquens: «Expedit, inquit, vobis ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat.» Subdit Evangelista: «Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente.» Hic primo libenter concedimus et contra eos, qui aliter sentiunt, expresse notamus, ista in re nostra pro instruendo argumento directo haud esse apta. Tenendum est enim, non utrumque sensum, qui illis iisdem verbis teste Evangelista inest, immediate et proprie esse sensum Scripturae seu sententiam Spiritus sancti, qui per Scripturam loquitur, sed unum tantum. Alter nimirum est sensus Caiphae impii Pontificis, qui a Scriptura solum refertur ut dictum illius Pontificis. *(Cfr. supra l. III. n. 124. seqq. et Hofmann hermeneut. bibl. prooem. §. 7. p. 17.)* At quod ad nos spectat, nemo negare poterit, Caipham revera, dum haec verba proferret, uno eodemque tempore iisdem verbis unoque, ut ita dicam, oris hiatu duos sensus enuntiasse inter se valde diversos. Unum quidem protulit ut suum i. e. a se cognitum atque intentum, qui in se impiissimus est. Alterum, qui in se sanctissimus est sed ipsum penitus latebat, Caiphas enuntiavit ut organum Spiritus sancti. Dubium enim non est, quin Spiritui sancto, qui tunc Caipha tamquam organo utebatur, sensus ille et cognitus et intentus fuerit occultioreque consilio Caiphae verbis subiectus. «Prophetavit» inquit Evangelista. Proinde hoc exemplo id saltem invicte concluditur,

Spiritum sanctum tum Caiphae linguam ea occasione consulto ita gubernasse, ut proferret sententiam, quae duplicem haberet sensum literalem, tum simul voluisse, ut ea sententia, prout Scripturae inspiratae est inserta, suo modo utrumque sensum literalem haberet. Quare licet unus solus sit immediate a Spiritu sancto intentus tamquam proprius Scripturae sensus, alter vero solum sit sensus Caiphae et nonnisi qua talis ab hagiographo sub inspiratione Spiritus sancti referatur; tamen inde ante omnia indubitatum apparet, eadem verba duplicis sensus literalis capacia existere. Deinde ex his pronum videtur suspicari, ne non forte alibi in Scriptura recurrant exempla, in quibus uterque sensus literalis a Spiritu sancto immediate intentus dici possit. *(Cfr. Patrit. l. c. n. 89; Beelen l. c. part. 2. sect. 2. §. 4. p. 96.)*[1]

254. Exemplum secundum sit ex Isaiae capite LIII. v. 4. Ibi legimus: «Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.» Tum ex proprietate verborum, contextu sermonis collationeque parallelorum *(I. Petr. II. 14.)*, tum ex interpretatione satis communi Patrum catholicorumque interpretum locus iste omnino ita intelligendus videtur: Christus poenas et mala, quae hominibus pro peccatis merito sunt toleranda, in se suscepit et pro iis vice hominum per tolerantiam passionis suae aeterno Patri satisfecit. Haec interpretatio certe adeo congrua est adeoque recepta, ut durum sit eam penitus relinquere. Ex alia vero parte Matthaeus *(VIII. 17.)* hunc Prophetae locum ita ad Christum applicat, quasi Propheta iis verbis praedixisset, fore, ut Messias non tam per passionem ac meritum suum nos a malis nostris tum animi tum suo tempore etiam corporis pro saeculo futuro penitus liberet, sed per virtutem miraculorum iam in hac vita corporalibus languoribus multorum pro sua pietate mederetur.[2] Quo posito haec perpende. Primo ista applicatio verborum Prophetae ad virtutem miraculorum, qua Messias fulgebat, cum ab Evangelista

---

[1] Simile quid dici posset de titulo, qui Cruci Christi a Pilato fuit appositus, ut videre est penes Maldonatum *(in Matth. XXVII. 37.)*.

[2] Ita legimus penes Evangelistam *(l. c. v. 16. 17.)*: «Omnes male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit.»

ipso fiat, non facile mera accommodatio sed vera loci interpretatio dicenda videtur. Secundo, ut iam innuimus, alia interpretatio item omnino ut vera retinenda est. Aliunde vero istae duae interpretationes huius loci, sicut utraque rationem interpretationis verbalis prae se fert, ita inter se adeo diversae sunt, ut vix in unam solam conflari posse videantur. Habes ergo hic exemplum, in quo cum probabilitate satis magna reperiuntur ea omnia, quae ex dictis *(n. 252.)* ad constituendum validum argumentum pro duplici sensu literali requiruntur et sufficiunt. *(Cfr. n. 251.)*

255. Exemplum tertium habes eodem loco v. 8., ubi item de Messia scribitur: «Generationem eius quis enarrabit?» Hunc locum Patres frequentissime interpretantur de aeterna generatione Verbi. Sed neque numero pauci sunt neque auctoritate spernendi, qui eum de miraculosa generatione Christi ex Virgine intelligendum autumant. Imo prima interpretatio adeo communis est et cum doctrina dogmatica de Trinitate penes Patres ita connexa, ut eam spernere, ut minimum dicam, durissimum sit. *(Cfr. Patrit. l. c. n. 35; Beelen l. c. §. 3. sub β.)* His addenda est tertia interpretatio huius loci, quae sub voce generationis intelligendam censet spiritualem Messiae sobolem, quae ob passionem suam ac labores adeo copiosa ei promittitur, ut numero comprehendi omnino non possit. Haec sicut inter antiquiores etiam interpretes non est inaudita *(cfr. Menoch.; Calmet.; Allioli in h. l.; Hofmann hermeneut. bibl. prooem. §. 7. p. 13. et Beelen l. c. auctoresque ibi allati)*, ita ex contextu, ut parum dicamus, valde suadetur. *(Cfr. v. 12.)* Beelen *(l. c.)* denique adiungit quartam interpretationem, quam amplectitur ipse et Forerii verbis explicat in hunc modum. «Cum a turba populi et ab ipsis magistratibus, Pharisaeis et principibus sacerdotibus Christum Dominum damnatum et morti addictum dixisset Propheta, non potuit non admirari generationem illam, saeculum illud, mores hominum illorum, qui talia ausi fuissent.» Nolo inquirere de certitudine aut probabilitate huius quartae et tertiae interpretationis. Certe tum una tum altera et, ut nobis videtur, magis tertia verbis textus prophetici, praesertim ut sunt in hebraeo et graeco, nec non et toti contextui satis conformis apparet. Quapropter sine necessitate nollem interpreti catholico eripere licentiam, si ipsi placuerit, unam alte-

ramve amplectendi. At si ex una parte reiicias possibilitatem multiplicis sensus literalis et ex parte altera adeo gravem auctoritatem, quae tum pro prima tum pro secunda interpretatione militat, spernere nolis, illam licentiam concedere nullatenus poteris. Ratio est, quia sicut prima et secunda, ita et tertia ac quarta literam sequuntur. Neque istae interpretationes ita affines sunt, ut in unam solam reduci possint. Sed omissa tertia et quarta multo magis insistere licet in prima et secunda ex interpretationibus allatis. Nam illae ante omnia et ipsae inter se valde disparatae et ambae literales esse deprehenduntur. Deinde vero, ut diximus, pro utraque haud spernenda stat auctoritas. Ergo nisi talem auctoritatem pro una vel altera parte spernere et ad meras accommodationes recurrere volueris, duplex sensus literalis huius loci admittendus tibi erit.[1]

Epilogus. 256. Tempus esse videtur, ut ultimum proferentes iudicium tandem hanc tractationem absolvamus. Primum igitur et secundum argumentum internum pro sententia affirmativa peremptorium non esse, supra *(n. 250.)* diximus. Neque per exempla allata rem penitus confici, item ex modo, quo de iis locuti sumus, fere per se patet. Ceterum Patritius, Beelen *(ll. cc.)* et alii pluribus ostendunt, nulli exemplorum, quae afferri solent, et nominatim etiam iis, quae nos hic secundo ac tertio loco prosecuti sumus, vim decretoriam inesse nodumque in iis non esse omnino indissolubilem. At ut status causae magis elucescat, haec adiungimus. Qui affirmativae sententiae adhaeret, ita adversariis reponere posset. Sit aliqua ex his angustiis evasio; ea certe satis difficilis apparet. Porro cur vos sanctos Patres catholicosque interpretes sine causa sufficienti in tantas vultis coniicere angustias? Prius aut vestram sententiam, qua multiplicem sensum literalem omnino improbatis, positivis argumentis demonstrate ut certam, aut nostram omnino impossibilem aut improbabilem esse convincite. Tunc vos sequemur in illas angustias. Secus nostra via, quae longe commodior et securior est, incedere nobis liceat. Aliis verbis

[1] Simile exemplum praebere potest Ierem. I. 5. Nam sicut veteres hunc versum satis communiter accipiunt de sanctificatione in utero et liberatione a peccato originali; ita recentiores fere omnes saltem penes nos in Germania hunc locum solum de vocatione ad munus propheticum interpretantur. *(Cfr. Schaefer im Literar. Handweis. Nr. 267. p. 392.)*

utraque sententia sicut argumentis fulcitur, quae solum probabilia sunt, ita nec alterius argumenta perfecte solvere nec omnia incommoda circa hanc rem penitus auferre potest. Quare ut res ultimatim decidatur, diiudicandum erit, ex qua parte sint argumenta graviora, incommoda leviora. Id porro nos sapientioribus definiendum relinquimus. Nos solum in superioribus aliqualenus ostendisse confidimus, auctoritatem propendere in sententiam affirmativam. Rationes internas quod spectat, in propositione generali maiorem probabilitatem attribuimus rationibus sententiae negativae. Ad hoc, ut iam diximus, potissimum movemur per argumentum negativum, quod ultimo loco proposuimus. *(n. 246.)* Accedit alia ratio. A priori scilicet haudquaquam animo in id propendemus, ut pro Scriptura, sicut in sententia affirmativa fieri debet, mutentur aut utcumque modificentur communes interpretationis regulae. Neque libenter saepius aut saltem hinc inde illam interpretationis methodum sequimur, quae et Protestantium aliorumque invidiam nobis conciliat et catholicis etiam iis saltem, qui rem intime perspectam non habent, ambigua et minus scientifica semper apparuit facileque apparere potest. *(Cfr. n. 241.)* Aliunde rationes internae, quae pro parte affirmativa afferuntur, tanti ponderis esse non videntur, ut propter eas haec incommoda suscipere debeamus. Denique *ultima conclusio pro praxi* haec sit. Ante omnia nollem, quod ad me spectat, in quocumque Scripturae loco quaerere multiplicem sensum literalem, nisi ad id inducat gravis auctoritas extrinseca, quae in Patrum aut ecclesiae interpretatione continetur. Quod nec Patres potioresque catholici interpretes fecisse videntur. Si deinde quispiam sive ob rationem, qua aliquis locus Veteris Testamenti in Novo citatur, sive ob multiplicem sensum, quo nonnulla a Patribus satis communiter inveniuntur exposita, ad omnia bene concilianda ad multiplicem sensum literalem recurrendum censeret, aut si quispiam generatim innixus auctoritati s. Augustini, s. Thomae ac tot scholasticorum intra iustos limites in uno alterove Scripturae loco multiplicem sensum literalem inquirere tentaverit; nollem ego talem prohibere aut vehementer reprehendere, quod in eo opere absurdi aliquid aut periculosi aggrediatur, aut quod per id necessario omnis scientifica interpretandae sacrae Scripturae methodus subvertatur.

Scholion. 257. Quaeres, *an ex pluribus sensibus literalibus omnes et singuli demonstrandi vim habeant.* Ut iam innuimus, huic quaestioni ea applicanda sunt, quae supra *(n. 192. 193.)* de simili quaestione circa sensum mysticum generatim diximus. Magis in specie hic notanda sunt, quae sequuntur. Multiplex sensus literalis pro demonstratione ante omnia certe maiorem vim habere non potest, quam sit certitudo vel probabilitas illius sententiae, quae revera multiplicem sensum literalem in Scriptura generatim loquendo admittit. Quodsi deinde ea sententia ut vera vel saltem ut valde probabilis supponatur, ad quaestionem propositam, ut iam diximus, sine dubio respondendum est affirmative. Quia tamen non omnibus statim ita videbitur, utile imo necessarium videtur, ut rationem, qua id suadetur, paucis repetamus. *(Cfr. n. 102. 218.)* Igitur in sententia, quam hic veram supponimus, omnes sensus literales, qui alicui loco insunt, a Spiritu sancto, qui Scripturae auctor est, revera fuerunt intenti verbisque Scripturae eo consilio inserti, ut qui legunt, inde eruere eos possint. Atqui per hoc illi sensus manifesto auctoritate divina suffulti ideoque demonstrandi virtute instructi esse deprehenduntur. Requiruntur nihilominus in hunc finem, ut per se patet sed utile est monere, conditiones, quae sequuntur. Primo cum sufficienti securitate demonstretur necesse est, loco Scripturae, qui secundum multiplicem sensum ad demonstrationem adhiberi debeat, reapse duplicem aut multiplicem sensum literalem inesse. Secundo constare debet, ad hos sensus pertinere inter alios illum ipsum, quem ad demonstrationem adhibituri sumus. Denique alias conditiones, quae fere per se patent, ex iis deducere potes, quae supra *(n. 241. 242.)* circa similem quaestionem dicta sunt. Et de facto s. Augustinus et s. Thomas in locis citatis *(cfr. n. 248. 293.)* ita censuisse inveniuntur.[1] At, inquiunt, nonne Augustinus, qui est illius sententiae patronus praecipuus, imo primus inventor, satis aperte contrarium fatetur, dum non semel *(de doctr. christ. l. III. c. 28. et de civ. Dei l. XI. c. 19.)* postulat, ut quae hac interpretandi methodo ex Scriptura eruuntur, aliunde v. gr. aut ratione

[1] Idem cogitur fateri etiam Estius penes Beelen p. 135. *(Cfr. Mazzella de Deo creante n. 80.)*

naturali aut ex aliis Scripturae locis demonstrentur? Negamus, id Augustinum in eo sensu postulasse, ut iuxta ipsum duplex interpretatio literalis per se nihil omnino valeat. Nonne s. Doctor, ubi suam sententiam ex professo propugnat *(confess. l. XII. c. 31. n. 42.)*, inter alia haec habet: «Sensit ille *(i. e. qui Deo inspirante Genesin scripsit)* omnino in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire et quidquid non potuimus aut nondum possumus et tamen in eis inveniri potest?» Nonne eodem auctore *(de doctr. christ. l. III. c. 27. n. 36.)*, ubi de multiplici sensu agitur, sensus uterque veritate subnixus est, nonne Spiritus sanctus dixit utrumque, et ut *(tum unum tum alterum)* occurreret lectori, ipse providit?[1] Si quod dicitur, Moyses tamquam scriptor inspiratus revera sensit, si Spiritus sanctus id dixit, et, ut occurreret legenti, consulto providit; profecto totum id verbum Dei est. At quomodo quaeso dici potest, verbum Dei omni demonstrationis vi destitui? Quomodo ea, quae ex verbo Dei habentur, necessario etiam aliunde demonstranda erunt? Deinde ut directe ad ea respondeamus, quae ex Augustino obiiciuntur, concedimus, Augustinum praeter argumentum ex sensu literali alia argumenta postulasse. At negamus, Augustinum ideo id postulasse, ut, quae demonstranda sunt, utcumque recipiantur. Augustinus hoc solum postulavit, ut res hac ratione assertae ab omnibus tuto retineri possint ac debeant. Quare si non unica potissima saltem ratio, cur Augustinus id postulaverit, ea est, quod ipse suam sententiam de multiplici sensu literali, ut libenter concedimus, non omnino pro certa habuit.[2] Deinde

[1] «Ille quippe auctor *(hagiographus)*, ait Augustinus *(l. c.)*, in eisdem verbis, quae intelligere volumus, et ipsam sententiam *(nostram)* forsitan vidit; et certe Dei Spiritus, qui per eum haec operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis?»

[2] Quam providus in seligendis argumentis Augustinus fuerit, et quomodo in omnibus argumenta certa postulare consueverit; patet ex eo, quod contra oblocutores vel ex sic dictis libris deuterocanonicis de facili argumenta proferre noluerit, licet ipse de eorum librorum auctoritate aliunde minime dubitaverit. *(Cfr. de civ. Dei l. XVII. c. 20. n. 1. de cura pro mort. gerend. c. 15. n. 18. de doctr. christ. l. II. c. 8. n. 12; Franzelin. de Script. div. thes. XIII. n. II. 3°.)*

alia adhuc occurrit ratio, cur pro eo, quod ex multiplici sensu literali deducitur, iure aliud argumentum postulatur et ab Augustino postulatum esse credendum est. Scilicet ubi multiplex interpretatio literalis textui convenire posse videtur; ibi semper manet iusta aliqua suspicio, ne forte id imbecillitati nostri intellectus tribuendum sit. Fieri enim potest, ut de facto ex multis, quae praetenduntur, interpretationibus, una sola verbis Scripturae et contextui sermonis conveniat et forte in futurum novis adhibitis interpretationis adminiculis una sola possibilis demonstretur. Ita argumentum, quod ex altera a quopiam ductum fuerit, necessario corruit. Hoc maxime valet pro Augustino, qui, ubi de rebus agitur, quae rationem et scientiam humanam pressius tangunt, inter cetera interpretationis adminicula etiam rationem humanam humanaeque scientiae notitiam ac progressum recensere solet. Aliis verbis s. Doctor pro interpretandis Scripturis constanter rationem humanam humanasque scientias pro canone, ut dicunt, negativo habendas esse praecipiebat, ita ut nihil unquam pro sensu Scripturae recipere liceret, quod aut rationi humanae humanisque scientiis aut experientiae repugnare deprehenderetur. Quid igitur mirum, si eidem argumentum, quod ex multiplici sensu literali desumitur, non per omnia sufficere videbatur?

LIBER SEXTUS.

De limitibus pro inspiratione statuendis aut admittendis.

258. Fere per se intelligitur et in superioribus occasione accepta hinc inde subindicatum est, tum pro influxu, quem Deus exercuit in auctores hagiographos et in quo inspiratio activa vel subiectiva continetur, tum circa divinam, quae inde consequitur, libri originem, in qua inspiratio communiter sic dicta obiectiva vel terminativa constituitur; certos limites admittendos esse. In hoc igitur libro id agimus, ut hos limites, quantum fieri potest, accuratissime describamus. Nos proprie de inspiratione librorum agimus. Quare in sequentibus directe

solum de inspiratione obiectiva seu terminativa sumus soliciti. Accuratiorem inquisitionem de inspiratione subiectiva aliis instituendam relinquimus.[1] Hoc posito quaerere de limitibus inspirationis idem est ac quaerere: Quatenus omnia et singula, quae in Scriptura reperiuntur, in sensu supra *(l. II.)* declarato ad Deum ut auctorem refundenda sunt? An ab hac origine divina aliqua sunt excipienda? Quod si ita est, quaenam praecise sunt, quae excipienda videntur? Porro cum demonstratum iam sit *(l. I. et II.)*, res omnes omnesque sententias, quatenus in sacris libris continentur, sine exceptione ad Deum ut auctorem esse referendas, et cum insuper accuratissime declaratum sit *(l. III.)*, qua ratione id sit intelligendum singulisque Bibliorum partibus applicandum; duplex solum quaestio hic remanere videtur. Primo quaeri potest, an verba etiam singula verborumque forma ac constructio modo illo speciali ad Deum ut auctorem referenda sint, quo generatim libri inspirati et omnia, quae in eis continentur, ad Deum referuntur. Deinde exclusa hac inspiratione verbali stricte dicta remanet quaestio, utrum quoad Scripturae verba totiusque orationis formam omnimoda libertas concedenda sit, an vero quoad haec etiam intra iustos limites specialis Dei cura ac providentia, sive specialis Dei influxus in sacrum auctorem eiusque opus postulari possit ac debeat, et quousque praecise haec omnia extendenda sint. De his igitur duobus distinctis capitibus agemus.

CAPUT PRIMUM.

Reiicitur inspiratio verbalis stricte sumpta.

259. Notum est, fuisse theologos quam plurimos *(cfr. Denzinger l. c. vol. II. p. 239. seqq.)*,[2] qui defendebant inspirationem Scripturae, ut dicunt, verbalem et forte hodiedum huic

[1] Haud difficile erit ex iis, quae de inspiratione librorum seu de inspiratione terminativa dicturi sumus, de inspiratione subiectiva sacri auctoris iudicare in praecipuis. Nam influxus Dei in personam auctoris hagiographi per se optime colligitur ex qualitate operis.

[2] De controversia inter Agobardum et Fredegisum saeculo IX. circa rem praesentem praeter Denzinger *(l. c. 124.)* videri potest Cherubinus a s. Ioseph *(l. c. disp. IV. art. 2.)*. Res, quae tamen magni momenti non est, nobis non omnino liquida videtur.

doctrinae patroni non desunt. Contendebant illi, singula Scripturae verba omnemque orationis formam ac tenorem verborum usque ad ultimum fere apicem modo speciali a Deo originem ducere seu, ut accuratius loquamur, haec omnia speciali illa et extraordinaria ratione in Deum auctorem referenda esse, qua nos id generatim pro inspiratione et nominatim pro rebus ac sententiis postulavimus. Quare sicut ex nostra doctrina Deus res et sententias omnes ac singulas, quae Scripturae insunt, primum ordinavit in mente sua ac deinde per specialem atque extraordinariam operationem mediante auctore hagiographo in sacros libros derivavit: ita in hac sententia Deum item omnia et singula Scripturae verba verborumque coniunctiones ac circuitus primitus independenter ab humano auctore sua mente concipere ac deinde per similem operationem efficere debuit, ut sacer auctor in scribendo nonnisi hunc modum teneret et nonnisi his verbis uteretur.[1] In hac sententia, ut apparet, de limitibus inspirationis, quantum ad librum spectat, sermo esse non potest, non minus quam si poneres, Deum digito suo libros istos conscripsisse. In hac enim hypothesi profecto omnia modo speciali a Deo originem ducerent et pariter omnia in Deum qua auctorem referenda forent, non solum res ac sententiae sed et verba verborumque constructio; et per hoc omnia quae in libro sunt, sensu maxime proprio divina atque inspirata dicenda essent.[2] At nobis haec sententia non probatur. Quare merito de limitibus inspirationis loquimur. Ideo initio tractationis nostrae et pro fundamento eorum, quae sequuntur, sententia de inspiratione verbali reiicienda est. In hac re ita procedemus. Primo enervamus argumenta, quae pro inspiratione verbali afferri possunt ac solent.

[1] Relate ad inspirationem obiectivam libri, ut per se intelligitur, plane indifferens est, utrum ponas, Deum sacro auctori singula verba sensu proprio dictasse, an vero contendas, Deum aliis suae omnipotentiae mediis effecisse, ut nonnisi ea verba ab auctore hagiographo adhiberentur, quae ipse Deus primitus elegerat et praeterminaverat. Huc enim referenda sunt, quae de rebus ac sententiis suo loco (*n. 89.*) diximus. Quare in textu non diximus, a patronis inspirationis verbalis omnia ac singula verba immediate inspirata supponi, quia haec locutio ambigua videri potest.

[2] Solum de charta et atramento hi auctores aliter loqui possent. Sed quid ad divinam libri originem refert, quod scriptor humanus chartam et atramentum proprio Marte ac pro lubito suo ipse elegerit?

Deinde afferemus rationes, quae inspirationem verbalem positive excludunt. Sed priusquam hanc tractationem aggrediamur, in antecessum aliquid monemus. Si omnes rationes, quae pro inspiratione verbali afferri possunt, perfecte diluantur, id in re nostra rationem habere potest argumenti positivi. Ratio est, quia inspiratio verbalis certe res omnino extraordinaria esse videtur et suo modo miraculosa. Porro quae sunt huius generis, non praesumenda sed firmis rationibus demonstranda sunt; secus omni iure reiiciuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Reiiciuntur rationes, quae pro inspiratione verbali afferri possunt.

Punctum primum.

Argumentum ductum ex ratione theologica.

260. Ex argumentis, quae pro inspiratione verbali afferri solent *(cfr. Patrit. de Script. dir. comment. I. §. VI. p. 19. seqq.; Suarez de fide disp. V. sect. 3. n. 3.—5.)* primum et forte praecipuum est, quod ex ratione theologica sumitur. Illud ita instrui potest. Scriptura ex doctrina catholica et fidelium omnium persuasione est *verbum Dei scriptum*. Atqui hoc nomine Scriptura immerito cohonestatur, nisi quoad tenorem orationis etiam et quoad verba omnia ac singula Deum habet auctorem seu nisi de verbo ad verbum inspirata est. Si enim verba omnia ac singula inspirata esse negas, aliud remanere non videtur, quam ut Scriptura ideo dicatur verbum Dei scriptum, quod sensa, quae in ea continentur, a Deo derivata sint divinaque auctoritate fulciantur. Atqui hoc ad dictam denominationem nequaquam sufficit. Secus etiam infallibiles ecclesiae definitiones, saltem quando de rebus fidei stricte dictis agunt, tum inspiratae haberi possent tum verbum Dei scriptum dicendae forent. Hoc tamen nemo profecto concedet, nec ullo modo cum veritate dici potest. Si quaeris rationem huius differentiae, alia esse non videtur, quam ista. Licet ecclesiae definitiones doctrinam revelatam sive verbum Dei contineant, verba tamen, quibus haec doctrina in eis expressa invenitur, proprie a Deo non sunt sed ab ecclesia. Quod ulterius con-

firmatur hoc modo. Ultra res sive sensa in Scriptura aliud non reperis, nisi verba formamquae verborum, quibus sensa exprimuntur. Si ergo ad inspirationem alicuius scripti non sufficit, quod sensa a Deo sint divinaque gaudeant auctoritate; aliud remanere non videtur, quam quod ad inspirationem libri praeter sensa etiam verbis formaeque verborum divina origo et auctoritas vindicanda sit.

261. Ad confutandum hoc argumentum haec observamus. Ante omnia negari non potest, quin oratio vel scriptum, quod nonnisi veritates a Deo revelatas continet, etiamsi verba in eo humana sint, vero aliquo sensu verbum Dei dici possit. Id iam alibi ostendimus. *(Cfr. n. 5.—9. 12.—14.)* Confirmatur ex eo, quod theologi passim de verbo Dei scripto ac tradito loquuntur. Porro sub verbo Dei tradito theologi traditionem intelligunt oralem a Christo in Apostolos, ab Apostolis in eorum successores derivatam. Iam vero in traditione ista, maxime ut apud posteros conservatur, certe res solae non autem verba, quibus res exprimuntur, a Deo seu a Christo originem ducunt. Ergo etiamsi in oratione verba sint humana, nihilominus ea aliquando verbum Dei recte dicitur. Hoc posito quod de oratione seu de veritate oretenus tradita valere demonstratur, pari modo de oratione, quae scriptis consignata est, seu de libro valere dicendum est. Dubium ergo non est, quin liber aliquis, licet in eo verba orationisque forma plane humana sint, sub certis conditionibus vere ac proprie verbum Dei dici possit. Sed dices: Hic quaestio est, num liber, in quo verba mere humana sunt, possit dici verbum Dei scriptum. Ad haec ista observanda occurrunt. Primo eodem iure, quo liber huiusmodi dicitur verbum Dei nude sumptum, dici etiam poterit verbum Dei scriptum, in sensu materiali scilicet i. e. verbum Dei, quod in libro aliquo scriptum legitur et hoc sensu revera est scriptum. Concedimus tamen imo contendimus, talem librum non posse dici verbum Dei scriptum in sensu formali h. e. verbum Dei, quod a Deo ipso seu Deo auctore conscriptum est. Ad hoc enim, ut ex supra *(n. 102.)* dictis patet, aliud elementum speciale accedat necesse est. Sed quaeritur, quale illud sit. Aliis verbis, quaeritur: Quid iure postulatur, ut liber aliquis in sensu formali verbum Dei scriptum dici possit. Et nominatim an ad id requiritur, ut singula verba libri qua talia

a Deo sint? Hoc ultimum nos negamus ac contendimus ad dictum finem minus aliquid sufficere. Nam prout nobis videtur, ad id manifesto requiritur et sufficit, ut Deus tum primitus res a se revelandas scriptis commendare decreverit tum deinde decretum hoc suo tempore mediis ad hunc finem utcumque aptis exsecutioni mandaverit. Media porro ac modum, quo Deus hoc decretum exsequi potuerit, supra *(n. 70. seqq.)* accurate descripsimus. Ex ea descriptione manifeste apparet, exsecutionem istam non solum utcumque per hominem fieri potuisse sed nec opus esse, ut Deus tali homini, qui subiective inspiratus dicitur, verba etiam omnia ac singula scribenda inspiraverit, sicut pariter necessarium non apparet, ut Deus omnia libri scribendi verba in antecessum penes se in atomo determinaverit. Aliis verbis ad hoc, ut liber aliquis dicatur verbum Dei scriptum, plus certe non requiritur, quam ut Deus revera eius libri auctor sit. Hoc autem, ut ex superioribus apparet, oppido sine inspiratione verbali stricte accepta fieri potuit. Deinde, ut postea clarius apparebit, non idem est, si negas, Deum omnia ac singula verba totamque verborum constructionem a priori determinasse atque hagiographo inspirasse, et si doces, Deum scriptori hagiographo circa verba atque elocutionem omnimodam concessisse libertatem. Potius alius inspirationis modus, qui inter hos duos extremos medius interiacet, possibilis apparet. Aliis verbis potest quis concedere, in nostris libris verba tenoremque elucutionis non quoad omnia et singula seu, ut dicunt, in atomo a Deo esse, et simul contendere, totum dicendi genus, quod in Scriptura reperitur, usque ad certum gradum tum a Deo in antecessum determinatum tum eodem providente modo, qui ipsi est cognitus, hagiographorum operâ reipsa in eosdem libros derivatum fuisse. Quare adversarii ut hoc argumento causam vincant, sequentem propositionem asserere et demonstrare debebunt: Ut liber aliquis appellari possit verbum Dei scriptum, non sufficit supponere, auctori humano tum res omnes divinitus communicatas tum expressum scribendi mandatum additum et insuper pro scriptione totum dicendi genus aliquatenus licet non in atomo a Deo determinatum fuisse; sed determinatio ista necessario ad omnia ac singula verba et ad ultimum pene apicem extendenda est. Iam vero id usque adhuc non demonstrarunt,

neque, ut nobis persuasum est, demonstrare unquam poterunt adversarii. Secus iidem contendere coguntur, nullam unquam elucubrationem literariam alicui tamquam auctori tribuendam esse, nisi eam aut propria manu conscripserit, aut de verbo ad verbum dictaverit, utut de cetero nonnisi eius nomine ac mandato et ex instructione et scientia ipsius alteri communicata edita supponatur. *(Cfr. n. 102 et Cherub. a s. Ioseph l. c. disp. III. art. 4. §. 2. n. 16.—22. art. 5. §. 2. n. 25.—28. et art. 6. §. 3. n. 35.—41.)*

262. Alia adhuc relinquitur via, qua adversarii nostram solutionem inpugnare suumque argumentum instaurare possunt. En ratio. Ex concessis, ut Deus auctor sit Scripturae, res omnes et sensa, quae utcumque librum ingrediuntur, a Deo in antecessum determinata scriptorique sacro, quo quasi amanuensi uti voluit, singillatim inspirata esse debent. Iam vero res et verba intimo inter se nexu vinciuntur. Nam certus conceptus certum verbum et certa sententia certum postulat verborum circuitum. Quare ubi res et sententiae in atomo determinata esse conceduntur, eodem modo etiam verba et tota verborum constructio determinata erunt. Haec adversariorum instantia dum a nobis repellitur, occasionem praebet plura explicandi, quae pro re praesenti maximae utilitatis sunt. Igitur libenter concedimus, datis ac determinatis rebus, quae scripto exprimendae sunt, usque ad certum gradum etiam verba totumque elocutionis modum datum ac determinatum videri. At negamus, per solas res, quae scribendae sunt, singula verba totumque elocutionis modum usque ad eum gradum determinata dici posse, ad quem patroni inspirationis verbalis proprie dictae procedunt et procedere coguntur. Qui enim id vellet contendere, simul affirmare deberet, impossibile omnino esse, ut eadem res et idem sensus variis verbis varioque verborum circuitu exprimatur. Hoc autem non solum est contra sensum communem sed et contra apertam rerum veritatem. Nam ut taceam de grammaticis et rhetoribus, qui uno ore de verbis synonymis loquuntur, logici ex professo et cum ea diligentia ac certitudine, quae logicae inest, non solum ostendunt, quomodo in certo aliquo syllogismo praemissae diversa ratione formari ordinarique possint, quin syllogismi valor destruatur, sed etiam docent, quomodo una propositio in aliam convertatur aequipollentem, aut

quomodo una propositio complexa in plures exponatur, uno verbo quomodo sensu minime mutato tenor orationis et elocutionis diversimode mutari possit. Ratio est, quia lingua humana magna abundat verborum copia magnaque elocutionis varietate, qua eandem rem diversimode exprimere valeamus. Ita v. gr. forma interrogationis saepe affirmationi aut negationi aequivalet. Ita idem omnino sensus exprimitur verbis propriis et locutione tropica. Et in tropis quanta varietas! Adde parabolas, similitudines aliaque huiusmodi orationis ornamenta. In his enim, ut supra *(n. 220.)* dictum est, sensus proxime ac proprie non est in verbis, sed in rebus, quibus parabola etc. constituitur. Inde primo fit, ut quibuscumque verbis eadem parabola etc. proponatur, semper idem dicatur idemque sensus maneat. Porro eandem parabolam aut similitudinem non solum verbis diversis describi sed generatim ratione diversissima proponi posse, quis negabit? Insuper considerandum est, res, quae aliquando per haec orationis adminicula ad poesim maxime spectantia sub quodam veluti rerum involucro absconduntur, alio orationis genere planis ac propriis verbis dici ac proponi posse. Quanta autem in his elocutionis diversitas? Licet ergo res et sensa alicuius libri accuratissime determinata supponantur, nihilominus magna adhuc pro elocutionis modo electioneque verborum libertas relinquitur. Ita hoc argumentum pro scopo suo ex omni parte infirmum apparet.

Punctum secundum.

Argumentum ex Scriptura depromptum.

263. Haud raro patroni inspirationis verbalis ad Scripturam provocant. Loci, quibus in hunc finem plus minus utuntur, sunt sequentes: Ierem. XXXVI. 1. 2. 17. 18.; Apocal. I. 11. II. 1. 8. 12. 18. III. 1. 7. 14. VII. 14. XII. 10. XIV. 7. 8. 13, XV. 3. 4. et his similia. Facile est ostendere, ex nullo horum locorum sequi, quod praetenditur. De Ieremiae loco, ubi narratur, quomodo Ieremias prophetias ab impio rege combustas de verbo ad verbum restituerit ac dictaverit, iam supra *(n. 43. 44.)* locuti sumus. Quae ibi dicta sunt, etiam pro re praesenti abundanter sufficiunt. Quare ea breviter repetere sufficiat. Ante omnia ibi non de prima scriptione sermo

est, sed solum agitur de miraculosa libri combusti restitutione, ex qua profecto pro prima huius libri scriptione logice nil inferri potest. Deinde etiamsi concedatur, Deum, quando illae prophetiae primo conscriptae vel ore prolatae sunt, Ieremiae Prophetae singula suggessisse verba; non est ratio, cur modus inspirationis tam miraculosus ad omnes alias prophetias sive huius sive alterius auctoris, et multo minus cur ad totam Scripturam extendatur. Haec ultima responsio simul locis omnibus, qui ex Apocalypsi promoventur, applicanda est. Imo haec responsio valet generatim pro omnibus, ubi non a Scriptura expressa et generalis doctrina proponitur, sed solum ab adversariis veluti ab exemplo argumentum ducitur. Numquid v. gr. ex eo, quod unam epistolam aut etiam solum certam epistolae partem propria manu exarasse aut amanuensi de verbo ad verbum dictasse convincor, iam demonstratum erit, id de omnibus meis epistolis et de singulis earum partibus tenendum esse? His quoad locos ex Apocalypsi aliud addimus. Concedamus, Ioannem omnia, quae in visione illa apocalyptica se audisse testatur et ut a se audita Deo mandante scribenda acceperat, de verbo ad verbum in visione audisse. Quid si quis contenderet, Ioannem, quae de verbo ad verbum in visione audierat, non de verbo ad verbum sed solum quoad sensum in scripto suo retulisse? Quo argumento adversarii id omnino impossibile esse ostendent? Certe ab Evangelistis, quorum scripta nequaquam minorem merentur reverentiam quam Apocalypsis, saepe referuntur sermones Christi Domini, qui et ipsi non minus sancti haberi debent, quam quae Ioannes in Apocalypsi ex ore Dei vel Angelorum audisse se narrat. Numquid hi sermones ab Evangelistis semper de verbo ad verbum sunt relati? Minime sane; secus enim in verbis minime discordarent ab invicem. Cur igitur idem in Apocalypsi fieri non potuit? Certe iuxta omnium fere sententiam idem est Ioannes, qui Evangelum et qui Apocalypsim scripsit. Cur ergo in utroque libro eundem scribendi modum tenere non potuit? Ceterum Ioannes in Apocalypsi non solum refert, quae in exstasi aliquando audierat sed et quae viderat. Quo iam quaeso argumento suadebis, Apostolum simul cum visione accepta quoad singula divinitus edoctum fuisse, quibus verbis, quae viderat, describere deberet, cum facillime proprio labore propriisque

verbis id praestare potuerit? Tantum ergo abest, ut ex huiusmodi locis toti Scripturae aut magnae eius parti inspiratio verbalis vindicari debeat, ut talis inspiratio etiam pro illis paucis locis, qui ceteroquin extraordinarii aliquid prae se ferre videntur, valde dubia maneat. *(Cfr. n. 43. 44.)*

Punctum tertium.

Argumentum ex Patrum auctoritate ductum.

264. Tandem defensores inspirationis verbalis magna cum fiducia Patres appellant. Impossibile est, omnes Patrum locos, qui pro hac causa apud varios citantur, singillatim recensere, quo omnibus ac singulis nullam vim inesse monstretur. Seligemus eos, qui merito omnium efficacissimi habentur, et ad eos respondebimus. Ita satis manifeste apparebit, ex Patribus nihil firmi pro ista doctrina afferri posse. Patrum sententias, ut omnis suspicio excludatur, verbotenus afferimus. Itaque *Chrysostomus: „Ne syllaba quidem,* ait *(in Genes. homil. 15.), praetereunda, nam omnia sunt a Spiritu sancto.“ Gregorius Nazianzenus:* «Nos, inquit *(orat. de fuga sua n. 105.),* qui *perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, non concedimus* — neque enim fas est — *vel res minimas a scriptoribus esse temere positas.“ Hieronymus* protestatur *(epist. 102. alias 27. n. 1. ad Marcell.), non adeo hebetis se fuisse cordis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverit aut non divinitus inspiratum. Origenes* denique *(de princip. l. IV. n. 6.)* dicit: *„Nostri auctores non secundum artem scripserunt sed secundum gratiam,* quae super omnem artem est.»

265. Ut horum solutioni via aperiatur, ante omnia aliquam observationem praemittimus. Ipsi sancti Patres et inter eos nonnumquam illi ipsissimi, quorum textus in favorem inspirationis verbalis passim adducuntur, aut inspirationem verbalem aperte negant *(cfr. n. 276.)* aut, quod plus est, hinc inde de Scriptura eiusque auctoritate necnon de modo, quo certi libri sacri per auctores humanos editi fuerunt, ita loquuntur, ut eorum verba non solum defensoribus inspirationis verbalis sed iis etiam, qui reiecta inspiratione verbali de retinendo vero ac pleno conceptu inspirationis in alio sensu satis solliciti

manent, haud levem pariant difficultatem. *(Cfr. Hieronym. ep. 120. ad Hebid. q. 11.; Patrit. de Script. div. comm. §. VI. p. 21. et 25.; Bisping Einleitung in den Hebraeerbrief et hic supra n. 25. 26. 34. 177.)* Aliis verbis nonnulli ex Patribus omnino pro certis locis mitiorem interpretationem postulant, ne per ea, quae dicunt, sacrae Scripturae auctoritatem laesisse et divinam Scripturae originem et inspirationem, quae ab omnibus retinenda est, negasse convincantur. Quare non apparet, quo iure quispiam prohibere nos possit, quominus verbis eorundem in aliis locis, ubi inspirationem nimis urgere videntur, aliquod temperamentum adhibendum esse contendamus.

266. His suppositis ad singula descendamus. Quid igitur in loco citato dixit Chrysostomus? Dixit, in meditanda explicandaque Scriptura ne syllabam quidem esse praetereundam, quia omnia sunt a Spiritu sancto. Per hoc certe asseritur, omnia Scripturae sensa, licet res in sese nullius fere momenti esse videantur et per minimam aliquam voculam vel, si fieri potest, per unam syllabam aut apicem aut utcumque demum obiter ac leviter expressa aut subindicata reperiantur, esse a Deo inspirata divinaque niti auctoritate. Verba deinde et elocutionis modum in hisce locis quod attinet, haec certe per consequens iuxta Chrysostomum retinenda sunt. Voluit Deus et certo modo effecit, ut per verba, quibus hagiographus utitur, res illae et non aliae exprimantur; sicuti etiam Deus continuo invigilare debuit, ne vel per minimam voculam aut syllabam aut alio quocunque modo contra suum consilium aliquid irreperet, quod aut falsum aut mere humanum dicendum foret et qua tale nonnisi humana fide polleret. Haec omnia nos non solum concedimus, sed quam maxime contendimus. At simul persuasum nobis est, per haec verbis Chrysostomi perfecte satisfieri, nec Chrysostomum citatis verbis plus aliquid asserere voluisse. Iam vero in his, quod ad rem praesentem spectat, nequaquam includitur inspiratio, quae stricte verbalis dici possit. Non enim dixit Chrysostomus, in libro inspirato syllabas omnes, praecise qua hae syllabae sunt, aut voces, praecise qua hae voces sunt, illo modo speciali a Deo originem trahere, quo id circa res et sensa Chrysostomus tenuit et omnibus tenendum est. Imo id Chrysostomum dixisse sine maximis incommodis supponi non potest. Sciebat enim Chrysostomus, Genesim, in qua interpretanda tunc occu-

pabatur, non graece sed hebraice ab initio conscriptam esse; sciebat insuper sine dubio, versionem graecam, qua ipse utebatur, non semper de verbo ad verbum aut de syllaba ad syllabam ex textu originali esse translatam. Ergo Chrysostomus iure ibi non de verbis aut syllabis materialibus locutus fuisse creditur; potius unice de sensu, qui syllabis includitur, sermonem habuit. Iam vero in hoc nihil est, quod ab iis, qui impugnant inspirationem verbalem, admitti non possit et a nobis non admittatur libentissime. Idem dic de loco Gregorii Nazianzeni, est enim loco Chrysostomi omnino simillimus.

267. Hieronymi verba prima fronte maiorem difficultatem habere videntur. Si enim eius verba per se et avulsa a contextu considerantur, inspirationem verbalem non solum utcunque asserere sed ut rem certissimam omnibusque notissimam exhibere videntur. At hoc ipsum magnum praeiudicium est, ne non forte verba avulsa a contextu male intelligantur. Quare studium veritatis nos vehementer impellit, ut ea verba in contextu consideremus et examinemus. Iam vero inspecto contextu tota difficultas statim evanescit. Hoc paucis est ostendendum. Igitur contextus est huiusmodi. Reprehenderant nonnulli s. Doctorem, quod in nova, quam adornaverat, Evangeliorum editione in pluribus a veteri versione recesserit. Quare Hieronymus in loco, qui nobis obiicitur, in eo est, ut hanc reprehensionem a se reiiciat. En totius orationis scopus ac contextus. Itaque totus locus ita legitur: «Responsum habeant, non adeo hebetis me fuisse cordis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus inspiratum.» In hoc contextu, praesertim si simul scopus orationis prae oculis habeatur, noster auctor, ut apparet, per ista verba aliud non dicit, quam nullatenus ipsum latuisse, quod simplicissimum etiam latere non potest, scilicet in Evangeliis, dummodo ea sive in textu originali sive in versione, quae quoad sensum ab originali non discedit, prae manibus habeantur, nihil esse, quod correctionem postulet aut admittat; quia in Evangelia, utpote in libros divinitus inspiratos, nulla prorsus erroris umbra cadere potest. At aliud est, sicut ab Hieronymo statim additur, de versionibus, prout communiter habentur. Ratio est, quia vix reperitur versio, quae omnibus numeris absoluta sit. Praeter haec in loco proposito nihil asseritur. Nominatim sive in textu

originali sive in antiqua versione latina, de qua directe sermo est, singula verba qua talia speciali modo a Deo originem ducere seu, quod in idem recidit, simul cum sententiis etiam verba inspirata a Deo fuisse, illis verbis et generatim ab Hieronymo in toto illo loco non dicitur. Neque simile quid affirmare pro auctoris scopo necessarium aut utile videri potuit.[1] Origenes denique, cuius verba in difficultate proposita ultimo loco allata sunt, aliud reapse non dicit, quam Scripturam nequaquam libris humanis comparandam esse, acsi scilicet Biblia sola arte humana humanaque industria composita fuissent. Contendit nimirum, Scripturam, quod nemo hic negat, sub singulari divini charismatis influxu fuisse editam. Unde eo ipso loco statim ita subdit Origines: «Scripserunt enim, quae Spiritus iis loqui dabat.» Quibus satis aperte indicat, se divinum influxum, de quo prius dixerat, pro rebus ac sententiis aut unice aut potissimum censere postulandum. Sed concedamus paulisper, Origenem hoc loco non de solis rebus sed et de verbis et elocutionis modo loquutum esse. Neque sic vincunt adversarii. Nam Origenes per verba, de quibus agimus, sive quoad res sive quoad elocutionem pro Scriptura certe non plus postulat, quam quod requiritur ac sufficit, ut Deus principalis Scripturae auctor haberi possit. Iam vero ad hoc requiri inspirationem, quae stricte verbalis sit, non possumus hoc loco adversariis concedere, cum contrarium contendamus *(cfr. n. 261.)*, cuius ratio ex dicendis adhuc clarius apparebit. *(Cfr. Franzelin l. c. thes. III. coroll. 1.; Patrit. l. c. §. VI. p. 21. 22.)*

Scholion primum. 268. Sunt, qui inspirationem verbalem etiam ex illis Patrum locutionibus deducere conantur, quibus iubemur humanum scriptorem in edendis Bibliis considerare ut *manum Dei vel Christi,* ut *pennam Spiritus sancti* seu generalius ut *instrumentum iners et inanime,* quo Deus in hoc opere condendo usus sit. *(Cfr. n. 21.—23.)* Haud difficile est ad haec respondere. Igitur nullibi expressis verbis a Patribus

[1] Sermo Hieronymo est, ut patet, de antiqua versione latina. Porro in ea nihil corrigendum esse quoad verba, certe asserere noluit Hieronymus, cum ipse tum primo eam correxerit tum post aliorum reprehensionem correctionem istam nullatenus retraxerit. Insuper fatetur, etiam in nova sua recensione nonnulla a se relicta esse, quae propter offensionem populi corrigere non est ausus, licet ipsi correctione indigere videbantur.

asseritur, Deum humanis auctoribus tamquam instrumentis omnino inanimis uti voluisse. Imo s. Patres haud raro aperte docent contrarium. Solent enim iidem in edendis libris sacris etiam scriptori hagiographo eiusque indoli, arti ac industriae suas partes concedere ac tribuere. *(Cfr. Hieronym. in praefat. ad Isai. ex hebr., praef. ad Ierem. et ad Ezech. et infra n. 276.)* Sed etsi Patres hoc monere praetermisissent, id partim ex scopo Patrum, qui dictis similitudinibus utuntur, partim ex natura orationis figuratae, partim ex indole rei, de qua agitur, et ex suavi providentia, qua Deus ubique utitur, concludendum erat. Quis enim nescit, huiusmodi phrases ac similitudines non nimis urgendas esse? Quare Patres iisdem aliud significare non intenderunt, quam Dei operationem, qua in sacrum auctorem inspirando influebat, adeo amplam et efficacem fuisse, ut proprie loquendo non ipse sed Deus haec scripsisse dicendus sit seu aliis verbis ut Deus ipse totius operis auctor proprius ac principalis sit habendus. *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. l. c. disp. III. art. 5. §. 4. n. 91.—105.)*

Scholion secundum. 269. Alii fortasse cum in defendenda inspiratione verbali Patrum auctoritate spoliatos se viderint, ad *scholae catholicae auctoritatem* confugient. Observabunt, doctrinam de inspiratione verbali olim in scholis catholicis aut unanimi omnino consensu aut saltem communissime receptam fuisse, ideoque ab ea tamquam a doctrina communi discedere auctori catholico non licere. *(Cfr. Denzinger l. c. p. 239. seqq.)* Ad hanc observationem ita reponimus. Ante omnia nostris certe temporibus haec doctrina nequaquam amplius communis dici potest. Imo iam doctrinam contrariam fere communem evasisse, merito dixeris. Saltem id certissimum est, quam plurimos viros, qui doctissimi simul et in antiquam scholam pientissimi habentur, sententiam de inspiratione verbali non solum aperte deseruisse sed et libere impugnasse. *(Cfr. Liebermann demonstr. cathol. p. 2. art. 2.; Perrone de loc. theol. p. II. c. 2. n. 100.; Franzelin l. c. thes. III. n. II.; Patrit. l. c. p. 19.—25.; Kleutgen Theol. der Vorz. n. 34.; Hurter l. c. tom. I. n. 169.)* Tum dubitare etiam licet, num revera ea sententia in scholis adeo communis aliquando fuerit. Nam ante omnia notissimum est, aliquot ex antiquioribus maximi nominis theologis ut Canum, Bellarminum, Lessium,

Hamelium, Cornelium a Lapide, Bonfrerium, Calmet, Amort *(cfr. Kleutgen l. c. n. 34. 34.)* a non paucis liberioris circa inspirationem doctrinae accusari. Iam vero licet haec eorum insimulatio in pluribus saltem minus aequa ac iusta esse videatur; tamen, ut nobis persuasum est, ex eorum locis, qui adducuntur, satis certe concluditur, eos patronis, qui docent inspirationem verbalem stricte dictam, annumerari non posse.[1] Deinde pauci sunt ex antiquioris scholae auctoribus, qui hanc quaestionem ex professo tractarunt. Quare si pro inspiratione verbali citantur, id ideo factum est, quia cum data occasione de sacra Scriptura loquuntur, hinc inde aliquas assertiones aut aliqua verba posuisse inveniuntur, quibus inspirationem verbalem supponere aut utcunque eidem favere videntur. Ex hac consideratione fere cum certitudine concludi potest, plures eorum ita explicari posse, sicuti Chrysostomum aliosque Patres paulo ante interpretati sumus. Proinde multi forte perperam tam confidenter citantur ut patroni inspirationis verbalis.[2] Denique si Suaresio credimus, qui certe scholasticorum sententias ut vix alter undequaque perspectas habuit, sententia de inspiratione verbali in scholis catholicis neque suo tempore adeo communis neque adeo antiqua fuit.[3] Is enim *(de fide disp. V. sect. 3. n. 4. et 5.)* primo accurate exponit, quomodo inspiratio verbalis concipienda sit. «Adverto, ait, duobus modis posse intelligi singula verba Scripturae esse a Spiritu sancto, per specialem motionem antece-

---

[1] In Lessio certe inter alia nonnullis etiam hoc displicebat, quod inspirationem verbalem impeteret. *(Denzinger l. c. p. 241.)*

[2] Nec dux scholae s. Thomas adversariis patrocinatur. Id deducitur ex iis, quae docet *(2. 2. q. 176. a. 1. ad 1.)* de dono linguarum in Apostolis. «Paulus, ait, et alii Apostoli fuerunt instructi divinitus in linguis omnium gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam. Sed quantum ad quaedam, quae superadduntur humana arte ad ornamentum et elegantiam humanae locutionis, Apostolus instructus erat in propria lingua non autem in aliena.» Per haec, ut ex obiectione patet, declarat, cur in epistola ad Hebraeos maior eluceat eloquentia, quam in ceteris Pauli epistolis. Ergo s. Doctor ab asserenda inspiratione verbali longe abfuit.

[3] Concedendum omnino est, controversiam de hac re satis antiquam esse. Num iam Agobardus doctrinam, quae doctrinae de inspiratione verbali simillima est, impugnasse inveniatur, dubium est. *(Cfr. n. 259. in nota et Denzinger l. c. n. 124. p. 239.)*

dentem vel tantum per assistentiam et quasi custodiam; prior modus erit, quando Spiritus sanctus vel imprimit conceptum verbi per species infusas saltem per accidens vel peculialiter movendo et excitando species praeexistentes.» Deinde in fine generatim concludit: *„Non videtur autem necessarium, etsi eruditi quidam recentiores id contendant, ut semper dicentur verba hoc peculiari modo. (Cfr. Denzinger l. c. n. 124.; Franzel. l. c. in nota; Kleutgen opusc. de sent. Less. in app. ad Schneemann controv. de div. grat. II. n. 10.; s. Thom. 2. 2. q. 176. art. 1. ad 1.)*[1]

Scholion tertium. 270. Etiam *ex Iudaeorum auctoritate* nonnulli in hac re suppetias quaesierunt. Ita enim, ut apud Liebermann *(l. c.)* legitur, dicere quis potest. «Testibus Iosepho et Philone constans fuit Iudaeorum tum veterum tum recentiorum traditio, quod singula Scripturae verba a Deo fuerint inspirata.» Talis autem traditio non est spernenda. Respondemus cum eodem auctore. «Veterum Iudaeorum traditionem certo scire non possumus; nam quando dicitur, voces omnes inspiratas esse, saepe nihil aliud exprimitur, quam omnia esse inspirata, quae vocibus exprimuntur. Iudaeorum recentiorum ineptias nihil moramur, qui etiam distortos calami ductus in suis codicibus ut divinos venerantur. Nec pluris facimus nugas Cabalistarum, qui in singulis apicibus mysteria recondita rimantur.»[2]

ARTICULUS SECUNDUS.

Inspiratio verbalis argumentis positivis excluditur.

Punctum primum.

Argumentum ex stilo desumptum.

271. Qui libros Scripturae diligentius inspexerit eosque saepius inter se contulerit, facile ante omnia in illis circa stilum inveniet diversitatem haud exiguam. Nonnulli enim ex

[1] Ex Cherubino *(l. c. disp. III. art. 3. §. 3.)* disces etiam, plerosque ex antiquioribus doctrinam de inspiratione verbali solum ut probabiliorem tradidisse. *(Cfr. §. 4. n. n. 98. art. 4. §. 1. n. 3.)*

[2] Haec Iudaeorum traditio, si quid valet, id confirmat, quod in primo libro ostendimus, scilicet omnia Scripturae sensa a Deo esse ideoque omnia divina pollere auctoritate. Alia argumenta, quae praeter ista a nonnullis pro hac re congeruntur *(cfr. Cherubinus a s. Ioseph l. c. disp. III.*

sacris libris magno flumini comparantur, quod lento placidoque gressu incedit. Alii assimilantur torrenti, qui rapido turbidoque cursu ex alto devolvitur. Aliqui omnibus splendent rhetoricis ornamentis, dum alii sine omni fere ornatu simplicissima oratione texuntur. Et quod notandum est, haec stili diversitas in iis etiam libris sese offert, qui aliunde quoad res et sensa, quae continent, admodum similes esse videntur. Quanta v. gr. stili diversitas inter prophetias Isaiae et Ieremiae, inter epistolas Pauli et alias canonicas epistolas? Imo etiam inter singulas Pauli epistolas, quas Apostolus non omnes in eadem aetate eademque animi affectione nec ad easdem ecclesias vel homines dedisse cognoscitur, haud parva apparet stili differentia. Notum est, in certis libris frequenter occurrere phrases, quas in aliis frustra quaeres, licet occasio iis utendi nequaquam defuerit. In aliquibus tum singulae sententiae clarae et apertae sunt, tum contextus sermonis nexusque, quo singulae sententiae sese excipiunt, nullam patitur difficultatem. In aliis obscura saepe sunt haec omnia et difficilia. Ad haec ab omnibus cordatioribus conceditur, reperiri in Bibliis hinc inde nonnulla, quae aut grammaticae aut rhetoricae regulis, ut parum dicam, non admodum sunt conformia. *(Cfr. Hieronym. ep. 121. ad Algas.)*[1] Quodsi deinde haec omnia cum tempore et loco, in quo libri editi sunt, necnon et cum patria, ingenio, indole ac vita illius contuleris, a quo humanitus sunt conscripti; facile perspicies, ea omnia tum tempori ac loco scriptionis tum patriae, ingenio, educationi, fortunae, casibus humani auctoris apprime congruere. Brevi stilus sacrorum librorum saeculo, aetati, loco nativitatis, habitationi, educationi, ingenio, casibus humani scriptoris in quam plurimis ad amussim respondere invenitur. *(Cfr. Hieronym. praef. in Isa. et Ierem.; Franzel. l. c. thes. III. n. II. 3.; Patrit. l. c. p. 21. 22.)*

---

§. 4.), si quid valent, non extenduntur ad totam Scripturam aut ad maiorem eius partem, sed ad summum pro uno aut altero loco vim habere dignoscuntur. Unde haec partim ex supra dictis *(n. 263.)* partim ex dicendis *(n. 311. seqq.)* solutionem habent. *(Cfr. Cherub. a s. Ioseph l. c. art. 4. §. 1. n. 2. et 4.)*

[1] Huc referendi sunt soloecisimi, anacolutha et alia huiusmodi. *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph l. c. disp. III. art. 5. §. 4. n. 106.—118. disp. IV. art 2. §. 3. 4.)*

272. Hoc est factum, ex quo hic argumentum ducimus. Ante omnia parum ad minimum decere videtur, si ea, quibus leges grammaticae ac rhetoricae laeduntur, immediate Deo tribuantur. Aliis verbis nefas esse videtur, Deo ipsi orationis menda ut soloecismos et alia huiusmodi adscribere.[1] Id autem fautores inspirationis literalis facere coguntur. Sed his omissis quaenam quaeso probabilis huius facti ratio reddi potest? Certe non alia convenientior quam haec. Tota illa, quae in stilo observatur, diversitas et imperfectio inde est, quod Deus nequaquam cum rebus, quae scribendae erant, simul totum dicendi genus ac singula sacri textus verba in antecessum constituerit sacrisque auctoribus inspiraverit, sed potius lumine divino, quod per se et directe solum ad res spectabat et ad sensa, semper supposito negotium, quod in eo est, ut sensa aptis verbis convenientique oratione manifestentur, plus minus humanis auctoribus pro ingenio exsequendum commiserit. Concedimus quidem, contrarium absolute impossibile non apparere. Potuit scilicet Deus absolute loquendo in suggerendis verbis scriptoris humani ingenio ac indoli ceterisque rerum ac temporum circumstantiis sese accommodare. At licet haec hypothesis absolute impossibilis non sit, dicenda est tamen omnino improbabilis. Deus enim profecto nihil sine ratione sufficienti fecisse praesumendus est. Quare merito ab adversariis quaerimus: Quaenam est ratio, cur Deus, si semel singula verba suggerere constituerat, hunc in suggerendo modum tenere voluerit? Profecto si supponis, fuisse Dei voluntatem, ut libri sacri ab hominibus tamquam ab ipso de verbo ad verbum dictati seu quoad ipsa etiam verba inspirati suscipiantur, nulla omnino, non dico, sufficiens sed vel tenuis huius rei ratio excogitari potest. Imo ita omnia in Deo contrarium agendi modum postulare videntur.[2] *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph l. c. disp. III. art. 4. §. 2. n. 8.—13. art. 5. §. 1. n. 23. 24.)*

---

[1] Quis ferat dicentem, Deum regulas stili ignorasse aut stilum incorrectum correcto consulto praetulisse et veluti id affectasse, ut ipse auctor soloecismorum et anacoluthorum et huiusmodi habeatur? Porro similia defensores inspirationis verbalis detrectare non poterunt.

[2] In hac hypothesi modus, quo Deus se gessit, revera ioco similis dicendus foret. *(Cfr. n. 273. in nota.)*

273. Econtra in sententia, quae reiicit inspirationem verbalem, ante omnia ratio proxima pro hac stili diversitate facillime assignatur. Ea enim in persona et indole humani auctoris et in ceteris scriptoris scriptionisque circumstantiis reponenda est. Praeter hanc alia insuper et ulterior huius rei ratio reddi potest. Placuit nimirum Deo, ut libri Scripturae non tantum divina sed et humana auctoritate pollerent, et per consequens ut libri isti tum generatim ab omnibus, antequam inspirati esse supponuntur, tum ab iis etiam, qui eorum inspirationem aut ignorant aut pertinaciter negant, ut libri fide digni et ab auctoribus fide dignis editi haberi possint ac debeant. In hunc igitur finem in edendis his libris Deus tum humanis auctoribus plus aliquid concessit, quam simplici amanuensi concedi soleat, tum omnia ita ordinavit, ut humana horum librorum auctoritas inter alia etiam ex indole stili atque orationis omnibus fieret manifesta. Quod aliquo modo etiam de rebus ac sensis dicendum est. Nam ante omnia Deus in rebus inspirandis aliquatenus ingenio auctoris humani sese accommodasse videtur. Tum vero auctores hagiographi, postquam de rebus scribendis divinitus edocti erant, easdem res non solum ut divinas sed simul etiam ut proprias sive appropriatas scriptis commendarunt. Simul ex dictis hagiographi in libris edendis et conscribendis Deo ubique protegente et adiuvante tanta libertate usi sunt, ut indolem temporis ac loci, in quo sunt editi, necnon et ingenium viri, a quo conscripti sunt, in omnibus referant. Ita iure merito libri isti viris illis, a quibus conscripti sunt, secundo loco post Deum qua auctoribus tribuuntur.[1] *(Cfr. n. 276.)* En plena istius oeconomiae ratio.

[1] Haec in adversariorum hypothesi dici non possunt. In hac enim hypothesi humani scriptores ut meri amanuenses considerandi essent. Iam vero non facile intelligitur, cur aliquis in elocutionis forma amanuensis indoli sese accommodet, nisi forte occultare voluerit, quisnam verus alicuius scripti sit auctor. Quis autem in re nostra hoc dicere in animum inducet? Nam praeterquam quod teste Raphaele Archangelo *(Tob. XII. 7.)* opera Dei revelare et confiteri semper honorificum est, tota revelatio huic suppositioni contradicit. Nonne Deus omnia egit, ut ipse ab omnibus horum librorum auctor crederetur? Quodsi ex sententia adversariorum ad hunc finem inspiratio verbalis requiritur, nonne ad Deum spectabat, ut eam inspirationem qua talem modis omnibus manifestaret et non per descriptam accomodationem velut anxie occultaret et fere incredibilem redderet?

Punctum secundum.

Argumentum ex locis parallelis.

274. Plus quam semel in Scriptura contingit, ut eadem res aut idem sermo pluries referatur, semel scilicet in uno libro et in secundo iterum, semel ab uno auctore iterum ab alio. Porro si huiusmodi loci inter se conferantur, saepe in eis haud parva invenitur diversitas. Et haec discrepantia non in eo solum versatur, quod in uno libro certae rerum gestarum circumstantiae vel quaedam incidentes dicti sermonis sententiae notentur diligenter, quae in alio omittuntur. Haud semel etiam ibi, ubi eaedem res gestae secundum easdem omnino narrantur circumstantias aut ubi sermo quoad sensum circa omnia idem relatus legitur, magna diversitas cernitur et in uno libro haec in alio alia verba adhibentur. Exemplo esse possunt ex Evangeliis narratio et mandatum de ultimo Paschate a discipulis praeparando *(Matth. XXVI. 17.—20.; Marc. XIV. 12.—18.; Luc. XXII. 7.—14.),* praedicatio Ioannis Baptistae *(Matth. III. 5. seqq., Marc. I. 6. seqq.; Luc. III. 7. seqq.),* relatio de trina Petri negatione *(Matth. XXVI. 69.—75.; Marc. XIV. 66.—72.; Luc. XXII. 54.—62.; Ioan. XVIII. 25.—27.),* et maxime omnium verba, quibus Christus sacramentum Eucharistiae primo confecisse ac instituisse perhibetur. *(Matth. XXVI. 26.—28.; Marc. XIV. 22.—24.; Luc. XXII. 19. 20.; I. Cor. XI. 23.—26.)*

275. Ex hoc facto pro re nostra eadem fere ratione qua ex facto, de quo egimus in puncto praecedenti, argumentum instruitur sed efficacia longe maiori. Defensores enim inspirationis verbalis, si aliquam huius facti explicationem dare voluerint, ita dicere coguntur: Deus, cum eandem rem pluries diversis temporibus diversisque scriptoribus inspirare ac veluti dictare voluisset, consulto iisdem verbis uti detrectavit. Iam vero hoc licet non appareat absolute impossibile, tamen maxime improbabile videtur. Nam ex hoc facto ante omnia duo certissime concluduntur, primo eandem rem diversis verbis exprimi posse, secundo rem diversis verbis expressam eodem modo manere inspiratam. Aliis verbis inde invicte concluditur, inspirationem per se determinata verba haud requirere. Quo posito quaenam quaeso ratio fingi potest, cur Deus electionem

verborum non permiserit scriptori humano? Aut si id permittere haud placuit sed ipse de se omnia verba in atomo determinare voluit, cur pro una eademque re in uno libro haec in alio alia verba adhibere voluit? Accedit aliud factum simile, quod item omnibus est notissimum. Auctores Novi Testamenti, dum ex Veteri textus afferunt, nequaquam semper omnia de verbo ad verbum referunt, sed aliquando solum sensum curasse deprehenduntur. Nec tamen ulli est dubium, quin textum inspiratum proponere voluerint. Non ergo verba qua talia pro inspiratis habuerunt sed magis sensum. Iure igitur ex hoc facto concludimus, Deum in edendis libris sacris electionem verborum intra certum aliquem gradum humanis scriptoribus permisisse et id ipsos auctores hagiographos suo modo significasse.

276. Haec certe est sententia Augustini. Is enim postquam notavit, praedicationem Ioannis Baptistae a diversis Evangelistis referri modo satis diverso, haec subdit *(de cons. Evang. l. II. c. 12. n. 27.)*: «Si quaeritur, quae verba potius Ioannes Baptista dixerit, utrum quae Matthaeus, an quae Lucas eum dixisse commemorat, an quae Marcus . . . nullo modo hinc laborandum esse iudicat, qui prudenter intelligit, ipsas sententias esse necessarias agnoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium . . . Ut enim quisque meminerat et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eam explicasse manifestum est.» Et rationem insuper huius rei reddere conatur paulo infra *(n. 28.)* subiungens, id Spiritu sancto permittente ita esse factum, ut «intelligeremus, non tam verborum quam rerum quaerendam et amplectendam esse sententiam, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepent, in eadem veritate perstitisse approbamus.» Quam rationem hoc modo magis evolvere possumus. Deus, ut iam monuimus *(n. 273.)*, id intendit, ut libri sacri humana etiam auctoritate instructi apparerent, et in hunc praecipue finem factum est, ut quaedam in Scriptura bis aut ter et in diversis Scripturae libris ponerentur. In hunc vero scopum pene necessarium apparet, ut rerum repetitio non iisdem semper verbis fieret sed verbis plus minus diversis in diversis locis eadem dicerentur. Secus enim unus auctor alterum exscripsisse videretur, dum

hac ratione quadamtenus omnes propria scientia proprioque consilio egisse se demonstrant. Similia Augustino dicit etiam Hieronymus, ita ad Pammachium *(epist. 57. n. 6. 10.; Denz. l. c. n. 124. p. 239.)* scribens: «Alii syllabas aucupentur et literas, tu quaere sententias»; et paulo post: «Obtrectatores mei .. intelligant, non verba in Scripturis consideranda sed sensum.»

Punctum tertium.

Argumentum ex dissertis Scripturae verbis.

277. Primo hic considerandus est *secundus liber Machabaeorum,* in quo duplex reperitur locus, qui pro re nostra facere potest. Primus locus est in prooemio, quod lectori iam ex superius dictis *(n. 111.—116.)* notissimum est. Dicimus ergo: Prooemium illud etiam in eo sensu, quo nos intelligendum esse censemus, haud spernendum argumentum contra inspirationem verbalem suppeditat. Ex eo enim ita argumentari licet. In hypothesi, quod Deus negotium res divinitus inspiratas aptis verbis exprimendi auctori humano permiserit, facile intelligitur, quomodo sacer auctor opus suum plenum laboris ac vigiliarum dicere potuerit *(l. c. II. 27.)*. Econtra in hypothesi inspirationis verbalis ratio tanti laboris ac tot vigiliarum vix ac ne vix quidem reperiri poterit. Adhuc aptior in rem nostram est eiusdem libri conclusio. Ibi enim auctor hagiographus, dum excusat tenuitatem stili et in rebus narrandis atque ordinandis proprii ingenii mediocritatem fatetur, qualitatem elocutionis ac stili satis aperte tribuit sibi ipsi. Ut vis argumenti magis appareat, proponenda sunt verba auctoris et perpendenda. Dicit igitur *(XV. 38. 39.)*: «Ego in his facio finem sermonis. Et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi.» In graeco ita legimus: *Εἰ μὲν καλῶς καὶ εὐθίκτως τῇ συντάξει, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἤθελον· εἰ δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι.* Haec si cum prooemio iuxta interpretationem supra *(l. c.)* datam conferantur, ita verti et explicari debent: Si bene scripsi et ut compendiosae et bene ordinatae historiae congruit, hoc fuit, quod assequi studui; sin autem res minus bene et nonnisi mediocriter cessit, tantum viribus meis et non amplius assequi potui. *(Cfr. Franzel. l. c. thes. III. n. III. sub c.)* Auctorem

hic non movere dubium de rerum veritate sed solum formam orationis aliquo modo excusare voluisse, tum ex eius verbis per se patet tum supra demonstratum et uberius declaratum est. Hoc posito non minus apertum est, tum ex sententia huius auctoris tum ex natura rei verba totumque dicendi genus, quod in hoc libro habetur, non ad Deum sed ad scriptorem humanum esse referendum. Loquitur enim noster auctor expresse de seipso et suas vires non Dei ulterius pertingere non potuisse ingenue fatetur. Idem patet ex natura rei. Quomodo enim pius auctor sine piaculo Deum excusare tentaret; quomodo Dei vires ulterius pertingere non potuisse assereret? Manet ergo certum, hunc auctorem orationis formam adscribere sibi ipsi. Iam vero hic auctor etiam in ista re inspiratus fuisse dicendus est. Credendum ergo est ipsi. Denique ex hoc libro non sine ratione ad ceteros libros concludimus.[1] *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph l. c. disp. III. art. 5. §. 3. n. 50.—90.)*

278. Alter locus haud absimilis invenitur *penes Paulum (II. Cor. XI. 6.)*, qui de se ipso ita scribit: «Nam etsi imperitus sermone sed non scientia,» graece: *Εἰ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει.* Ut ex hoc loco pro doctrina nostra aliquid concludatur, ante omnia suadendum est, Apostolum hic non loqui solum de sermone, qui viva voce profertur, sed per haec simul orationem scriptam et nominatim suas epistolas comprehendere. Hoc primo inde suadetur, quod sermo seu *λόγος* utrumque sermonem complectitur, tum eum, qui scribitur, tum eum, qui ore profertur. Quapropter Apostolus non se simpliciter imperitum sermone dicere potuisset, si id de suis epistolis nullatenus concedere voluisset. Deinde considerandum est, Apostolum, cum haec scriberet Corinthiis, iam unam saltem epistolam ad eosdem dedisse, ad quam istis verbis alludere videtur aut quam in his saltem minime excludit. Subdit enim: «In omnibus manifesti sumus vobis.» Quo posito quis ferat, Deum ipsum dici ab Apostolo imperitum sermone aut, quod in idem recidit, Dei sermonem qua talem i. e. sermonem, qui

[1] Ex dictis *(n. 272.)* cum debita moderatione etiam in aliis sacris auctoribus de tenuitate stili aut de conatu adhibito *(Luc. I. 1.)* sermo esse potest. Quare summo iure ista etiam ad alios Scripturae libros transferimus, cum secundus liber Machabaeorum quoad stilum aliis certe non multum inferior sit.

primitus a Deo conceptus de verbo ad verbum a Deo descendit in scripta Pauli, revera dicendum esse sermonem imperitum? Iam vero hoc tibi dicendum foret, si epistolas Pauli credis de verbo ad verbum a Deo inspiratas. Insuper Apostolus in eo, quod sese dicit imperitum sermone sed non scientia, dum inter sermonem et scientiam accurate distinguit, satis clare indicat, scientiam, quam habebat et in suis epistolis manifestabat, ex Deo seu ex altiori fonte descendere, sermonem vero h. e. modum elocutionis non ita. Aliis verbis significat per haec Apostolus, suum sermonem, etiam si de rebus divinis scriberet aut loqueretur, suo modo manere humanum, quoad stilum scilicet. Quid quaeso pro re nostra clarius? Quo semel concesso quis id, quod Paulus testatur de seipso, non ad alios auctores canonicos sine scrupulo transferat? Paulus profecto inter sacros scriptores haud minimus fuit, imo fuit charismatibus divinis, si quis alter, abundanter exstructus. *(Cfr. I. Cor. XIV. 18.)*[1]

Scholion primum. 279. Nonnulli contra inspirationem verbalem afferunt et urgent quam maxime locos, ubi Scriptura indeterminate aut dubie loquitur, aut ubi sacer auctor quaedam se ignorare fatetur. *(Cfr. Patrit l. c. n. 23. 24. et ubi supra n. 162.)* His locis nos consulto non utimur, nec sine magna ratione. Sciendum est enim, id, quod in huiusmodi locis indeterminatum dubiumque manet, primarie non ad verba et ad elocutionis modum spectare sed magis ad res atque sententiam. Quare ex huiusmodi locis utique bene concluditur, inspirationem, seu quod in idem recidit, influxum divinum in sacrum auctorem haud in omnibus fuisse perfectissimum sed in multis plus minus limitatum. At ea limitatio proxime et immediate in res cadit atque sententias non in verba et elocutionem. Hinc ista contra inspirationem in genere difficultatem creant;[2] unde fit, ut praecise contra inspirationem verbalem ex iis per se nil certi concludi possit. Supponendum est enim ex alibi dictis, in huius-

[1] Ibi iuxta graecum legimus in hanc rem ex ore Pauli: Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶ.

[2] Hanc ob causam de huiusmodi locis supra *(n. 162. seqq.)* egimus, et quomodo talia intelligenda sint ostendimus. Ex iis apparet, omnia ita intelligi posse, ut nullo modo negare cogamur, res et sententias omnes a Deo inspiratas esse.

modi locis sententias omnes, sicut vere a Deo inspiratae sunt, ita non alio modo inspiratas fuisse, quam prouti ibidem habentur. Sunt ergo res illae a Deo inspiratae modo indeterminato ac dubio. Quo posito si conceditur, Deum res eo modo inspirare potuisse, concedendum pariter erit, Deum, si voluisset, potuisse non minus inspirare verba, quae in sese indeterminata ac dubia sunt. Imo in dicta suppositione sensus aliis verbis exprimi non potuit.[1] Quare argumentum, quod ex huiusmodi locis contra inspirationem verbalem sumitur, aliquo modo infirmum est. Id unum iis, qui eo argumento utuntur, concedendum videtur, quod in hypothesi inspirationis verbalis primo aspectu difficulter intelligitur, cur Deus, si in Scriptura omnia ipsis verbis non exceptis speciali modo ab ipso originem sumpserunt et quasi dictata fuerunt, in edendo ac dictando huiusmodi opere aliquando verba indeterminata adhibere talibusque phrasibus uti voluerit, quae res utcumque in dubio relinquunt.

Scholion secundum. 280. Alii contra inspirationem verbalem argumentum instruunt ex versionibus Bibliorum in alias linguas. *(Patrit. l. c. p. 24.)* Hoc argumentum attentione dignum apparet, non iam ut ex eo rem, quae aliunde iam satis certa videtur, amplius confirmemus, sed ut, quod in se indeterminatum et vagum esse videtur, quoad fieri potest, magis determinetur ac circumscribatur. Potest ergo ex versionibus pro re praesenti duplici modo efformari argumentum. Primo igitur sunt, qui ita argumentari videntur. Homines, qui a pueris et a natura eam linguam callent, in qua Biblia primitus sunt conscripta, in comparatione aliorum paucissimi sunt; pauciores adhuc forte inveniuntur, quibus concessum est, studio eam linguam addiscere. Nihilominus libri inspirati pro omnibus sunt editi. Imo illi etiam, qui in rebus religiosis constituti sunt magistri aliorum et qua tales libris inspiratis iure primario utuntur eosque authentice interpretari debent,

[1] Qui contra ea, quae supra *(lib. I.)* demonstrata sunt, in Scripturae inspiratione etiam quoad res ac sententias certos limites ponendos esse autumant, idque ex huiusmodi locis demonstrare conantur; profecto consequenter agunt, si limitationem, quam admittunt circa inspirationem rerum, ex eadem ratione etiam ad verba extendunt. At cum nos eorum doctrinam quoad rem principalem non sequamur, neque quoad secundum omnibus eorum argumentis uti possumus.

aut illius linguae notitia penitus destituuntur, aut saltem communiter non textu originali sed versionibus in suo munere uti consueverunt. Concludendum est ergo, sacros libros etiam in versionibus plene manere inspiratos. Iam vero versio certe non iisdem materialiter verbis constat nec constare potest, quibus constat textus originalis. Derelinquenda est ergo doctrina de inspiratione verbali. Argumentum sub hac forma propositum aliquid certe demonstrat, sed, ut nobis videtur, parum admodum. Nam ex eo per se solum sequitur, Scripturae verba non esse inspirata, ut ita dicam, quoad sonum materialem, quod nobis revera parum admodum esse videtur. En ratio manifesta. Hoc argumento non obstante quis inspirationem verborum urgere in eum modum poterit, ut ab inspiratione verbali parum aut nihil distare videatur. Dicere enim adversarius potest: Concedo, verba non esse inspirata praecise qua hebraica sunt vel graeca; at ea qua omnibus linguis humanis aut saltem illis, quae cultiores sunt, communia habentur, inspirata esse contendo. Ad instantiam istam et totam hanc rem magis declarandam pauca addimus. Ponatur exemplum in iis, quae theologi communiter docent de formis sacramentorum. Formae illae ex omnium sententia utique non solum in lingua latina vel graeca sed in omnibus omnino linguis valent. Nihilominus in iis aut omnibus aut aliquibus singula verba a Christo Domino ita fuerunt determinata vel saltem ita determinari potuerunt, ut non valeant, nisi omnino de verbo ad verbum ex lingua originali translatae fuerint. Idem ergo, ita aliquis contendere posset, etiam de sacris libris asserendum est, si inspirationem plene conservare debeant. In hac assertione et explicatione, ut nobis videtur, doctrina de inspiratione verbali quoad substantiam salva consisteret. Nam eius defensores in rigore plus exigere non videntur. Si enim semel concesseris, in Scriptura singula verba ita a Deo positive et a priori fuisse determinata, sicut v. gr. tenemus, a Christo determinatam fuisse formam consecrationis panis eucharistici, quae ex Christi institutione omnino, in quacumque lingua proferatur, his quatuor verbis aut aequivalentibus constare debet: «Hoc est corpus meum»; omnes fere acquiescent et patroni inspirationis verbalis rem a se victam credent. Certissimum est enim, talem inspirationem ab inspiratione verbali stricte dicta parum aut nihil differre et

merito verbalem appellari posse. Ex his satis patet, sententiam de inspiratione verbali ab argumento ducto ex versionibus, si in hac forma satis consueta proponatur, directe parum aut nihil tangi.[1]

281. Igitur argumentum ex versionibus sub alia forma efficaciori proponi potest. In hunc finem versiones Bibliorum non in abstracto sed in concreto considerandae sunt. Itaque non solum utcumque concedi debet, Biblia etiam in versione posse manere inspirata, sed insuper tenendum est, versiones illas, quae in ecclesia usu satis frequenti ac diuturno sunt adhibitae, qualis nominatim est vulgata latina ac graeca, quae septuaginta viris tribuitur, generatim[2] ut inspiratas habendas esse. Quo posito si istae versiones attentius considerentur et cum textu originali conferantur, statim apparet, eas nequaquam semper literae textus originalis presse inhaerere. Potius versiones istae haud raro tum in verbis tum in forma modoque loquendi a textu originali haud parum discedunt, licet quoad sensum cum eodem in omnibus fere locis et praesertim in rebus maioris momenti apprime conveniant. Ex hoc facto post dicta iure concludimus: Ut liber aliquis vere sit inspiratus, inspiratio singulorum verborum nequaquam requiritur. Aliis verbis potuit Deus edere libros inspiratos seu Deus auctor librorum fieri potuit, quin scriptoribus, per quos illi libri erant edendi, in eligendis verbis modoque loquendi omnem libertatem eriperet. Potius eisdem tantam saltem libertatem dare potuit, quantam probati Bibliorum interpretes in vertendis sacris libris sibi sumpsisse reperiuntur.[3] Sed de hoc satis, cum ista res in capite sequenti accuratius sit determinanda.

---

[1] Dico directe, quia verum est, versionem, quae ubique de verbo ad verbum textui originali inhaereat, fere impossibilem videri. Quare ex versionibus semper vel ex primo iam et obvio rerum aspectu magnum contra inspirationem verbalem praeiudicium oritur.

[2] Dico generatim. Notum est enim, versiones istas hinc inde non solum quoad verba sed etiam quoad sensum ab originali textu discedere. Easdem in talibus locis pro inspiratis haberi non posse, libenter concedimus. Ceterum quantum versiones istae quoad sensum cum originali conveniant, seu quantum earum authentia extendatur, nostrum non est disputare.

[3] Cum logice de posse ad esse non valeat illatio, ex facto proposito nondum sequitur. Deum sacris auctoribus illam libertatem de facto concessisse. Potuit enim Deus, si voluit, facere plus, quam quod stricte

CAPUT SECUNDUM.

Extremi inspirationis limites accuratius definiuntur.

282. Ex dictis in capite praecedenti sequitur, in Scriptura praeter elementum divinum elementum etiam humanum esse admittendum. Quare hic sponte insurgit quaestio, an impossibile sit, tradere accuratam regulam, qua elementum humanum a divino discernatur, seu an non limites inspirationis paulo accuratius definiri possint. Id licet a nemine fere factum reperiatur, revera in totum impossibile non videtur. Simul clarum est, in hac re supremam iudicandi normam in eo collocandam esse, quod supra posuimus et in re nostra semper prae oculis habendum est. Nimirum tantum nec plus nec minus Deo tribuendum esse videtur, quantum requiritur ad hoc, ut ipse sit auctor principalis totius Scripturae omniumque eius partium.[1] Deinde Franzelin *(thes. III.)*, qui hanc rem tangit, distinguit in sacris libris partem formalem et partem materialem, et praedictae normae inhaerens dicit, formale libri ad Deum ut auctorem referendum esse, materiale vero minime. Aliis verbis quod in libris sacris mere materiale esse deprehenditur, id humano auctori tribui potest. Haec regula certe in se verissima est et omnia in nuce continet, quae de hac re dici possunt. Nihilominus ante omnia non tam facile est quoad omnia perfecte distinguere, quid in libro materiale, quid formale dicendum sit. Dein nisi res uberius explicetur et ad particularia aliquo modo descendamus, totum, quod dicitur,

requirebatur. At cum nihil sine ratione sufficienti sit asserendum, illud plus ab adversariis positivis argumentis esset demonstrandum. Insuper in adversariorum suppositione semper verum maneret, textum originalem modo longe nobiliori inspiratum esse quam versiones, licet eae in omnibus sensum textus originalis tenuisse supponantur. Iam vero hoc est, quod nemo tam facile concedet et sensui communi repugnare videtur. Si enim aliquatenus textus originalis versionibus praefertur; id inde est, quod versiones non semper et in omnibus verum ac integrum sensum textus originalis referre deprehenduntur. De cetero ex communi persuasione versiones textui originali in nullo cedere videntur.

[1] Cfr. n. 259. Ostendimus ibi, influxum Dei ultra necessaria extendendum non esse. In primo vero libro vidimus, omnia, quae de Scriptura tenenda sunt, illa formula complecti, quod Deo auctore sit edita.

satis vagum et obscurum manet. Utique ex iis, quae hucusque dicta sunt, scimus, res et sensa omnia ad formale libri pertinere et qua talia ad Deum ut auctorem referenda esse, ideoque nihil ex iis, quae ad res et sententias spectant, pro elemento mere humano haberi posse. At id nequaquam plene sufficit. Nam ex iustis causis nobis non tam leviter concedendum videtur, pro sacris libris nihil omnino praeter res et sententias a Deo in antecessum et veluti a priori determinatum et in eosdem specialiore providentia introductum esse seu nihil praeter res ac sententias ad formalem sacrorum librorum partem pertinere. Quare nos hanc rem in praesenti capite accuratius definire conabimur. In hunc finem ante omnia, quantum fieri potest, accuratam aptamque statuemus normam, iuxta quam in libro quolibet materiale a formali distinguendum est. Deinde normam istam ad libros nostros applicantes in eis pro verbis et elocutione extremos statuemus divini influxus limites. Et ut in hac re ordinate procedamus, initio significabimus, infra quem terminum in re nostra nunquam descendere liceat; deinde quantum supra hunc terminum infimum ascendere possimus aut debeamus seu quam prope ad inspirationem verbalem accedere liceat, explicabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Norma, qua inter formale et materiale elementum libri tuto distingui possit.

283. In rebus quam plurimis inter materiam ac formam seu inter partem materialem et formalem distinguere solemus. Id, quod rei per se inest, quo res est id, quod est, quodque proinde in ea auferri nequit aut mutari, quin res desinat esse id, quod erat et quod ex sese esse debet; rei forma dicitur seu formale eius elementum constituit. Quod vero rei magis per accidens inesse cognoscitur ac solum propter aliud adest, quodque in ea tolli aut mutari potest, quin res desinat esse, quod erat et esse ex se debet; id in eadem ut materiale merito habetur. Rem declaremus exemplo. Domus communiter pluribus constat partibus. In ea communiter sunt parietes, tectum, fenestrae, scalae, cubicula, ambulacra. At non omnia aeque sunt necessaria. Sine parietibus, tecto, porta et uno saltem in interiori parte

cubiculo domus certe concipi aut consistere nequit. Quapropter haec omnia sine dubio ad formalem domus partem spectant. Sed ad constituendam domum in communi parum refert, utrum parietes ex saxo an ex cocto latere aut ligno sint constructi, utrum in interiori pluribus an uno solo constet cubiculo, utrum una instructa sit porta ac fenestra an pluribus. Nam cum una porta unaque fenestra et cum parietibus ex ligno domus in communi sine dubio stare potest. Unde haec et similia quoad domum in genere indifferentia ac materialia esse cognoscuntur; licet fieri possit, ut pro certa aliqua domorum specie, puta pro palatio regio, huiusmodi nequaquam indifferentia sint. Simile quid dicatur de libro. Utrum liber sit manu conscriptus an typis excusus, utrum literae, verba ac sententiae papyro an pergamenae an chartae sint impressa et alia huius generis profecto ad rationem libri in genere indifferentia sunt. Unde quae sunt huiusmodi, sine dubio ad materialem libri partem spectant. Econtra sine verbis, quae scripto expressa et ita inter se ordinata sint, ut ex iis aliquis sensus seu aliqua sententia oriatur, poterit forte esse res aliqua, quae speciem tum externam tum internam libri referre videatur; at reipsa liber non erit. Quare haec certissime ad formalem partem libri spectant.

284. Sed hoc pro scopo nostro nondum sufficit. Quare res ista, quantum fieri potest, adhuc magis determinanda est. Ut iam innuimus, fieri potest et saepissime fit, ut aliquid pro re in genere considerata sit indifferens, quod pro re considerata in certa specie magni momenti imo essentiale esse invenitur. Id sine dubio etiam in libris contingit. Nam v. gr. pro libro in genere indifferens est, utrum in eo tractetur de religione, an de philosophia, aut de mathematica. Item interdum parum interest, utrum res, quae in libro proponuntur, concinne ac brevibus verbis et certo ordine exponantur an secus. At si postulas librum, qui ex se et ex scopo auctoris ad id ordinatur, ut institutioni iuvenum in una vel altera ex dictis scientiis serviat; haec merito ad essentiam talis libri pertinere aut essentiales libri partes esse dicentur. Proinde ista pro tali libro haudquaquam inter ea, quae in eo materialiter se habent, numerari poterunt. Quo posito iure ulterius quaeritur: Ubinam norma apta inveniri potest, iuxta quam in re quapiam et

nominatim in libro id, quod mere materiale est, ab eo, quod est formale, tuto discerni possit? Arbitramur, in hac re certiorem normam inveniri non posse, quam quae ex fine rei scopoque auctoris desumitur, maxime si hic scopus ex ipso opere satis manifestus appareat. Id sequenti consideratione comprobatur. Notum est, finem rei generatim ad cognoscendam eius naturam plurimum iuvare. Finis enim ex doctrina philosophorum est una ex causis rerum omnium, imo ea in certo sensu prima inter causas omnes numeranda est. Id multo magis valet in rebus artefactis. Quae enim opera artis sunt, nunquam non ab artifice ad determinatum aliquem finem destinantur. Imo artis opera praecise et unice ad certum aliquem finem consequendum ab artifice excogitantur et conficiuntur. Ex hoc consequitur, totam eorum essentiam pendere a fine. Quare quid in iis essentiale, quid accidentale sit, quid in iis mutari possit, quid non, quin desinant esse, quod sunt et ex mente artificis esse debent; ex nulla re melius cognoscitur quam ex eorum fine.[1] Cum ergo libri manifesto operibus artis accensendi sint, illis eadem regula applicanda est. Quare *quid in iis materiale quid formale sit, ex fine potissimum diiudicandum est.* Unde ad solvendum problema, in quo versamur, ante omnia finis sacrorum librorum accurate determinandus erit. Inde magni momenti consequentiae deduci poterunt. *(Franzel. l. c.)*

ARTICULUS SECUNDUS.

Terminus inspirationis infimus.

Punctum primum.

Finis Bibliorum in genere.

285. Ubi de fine sacrorum librorum quaeritur, ante omnia certissimum est, eos ex primaria Dei intentione ideo datos esse, ut per eos homines in fide et moribus instruantur. Unde quae in iis leguntur, maximam partem ad religionem spectant. Nihilominus negari nequit, legi in Scripturis haud pauca, quae aut nullo modo aut nonnisi remotissime ad religionem pertinere videntur. Plura enim ibi sunt, quae directe

[1] Vice versa iterum ex natura, viribus et usu, quem res artificiales habent, finis scopusque artificis tutissime ac facillime cognoscitur.

aut ad historiam profanam, aut ad historiam naturalem, aut ad geographiam, aut ad astronomiam, aut ad chronologiam spectant et huiusmodi. Quare ex principio, quod pro discernendo elemento humano posuimus, procedendo a priori quispiam forte hanc consequentiam inferre conabitur. Cum res, quae ad fidem ac mores nullatenus spectant, pro fine sacrorum librorum indifferentes sint, res istae sine scrupulo elemento humano accenseri possunt. Proinde in iis locis, ubi inveniuntur res huiusmodi, non solum verba nullatenus a Deo originem ducunt, sed neque res necessario Deo tribuendae sunt. Quare loci huiusmodi tandem non alia quam humana auctoritate pollere videntur.[1]

286. Ut huic difficultati occuramus, generalis finis Bibliorum accuratius determinandus est. Primo concedimus, id, quod hic dicitur, per se et in abstracto non esse impossibile aut absurdum. Aliis verbis concedimus, in abstracto et in alio rerum ordine posse existere libros sacros a nostris non omnino absimiles, qui, dum partim de rebus religiosis partim de rebus profanis tractant, solum quoad res prioris generis divina gaudeant auctoritate. Pro huiusmodi igitur libris finis generalis per ea, quae modo dicta sunt, satis indicatus haberi posset.[2]

[1] Revera non defuerunt, qui ita argumentabantur et ita sentiebant. *(Cfr. Calmet dissert. de div. libr. sacr. inspir. art. 2. et in I. Mach. VIII. 16; Ackermann. l. c. §. 24.; supra hic n. 34.)* Haud absimilia sunt, saltem quoad verba, quae docet Schaefer. *(Bibel u. Wissenschaft p. 118 et 149.)*

[2] Non omnes haec concedent. Contra id enim, quod concessimus, ita quispiam excipere posset. Ut haec sine incommodo concedi possint, requiritur, ut inter res religiosas et profanas tuto distinguere possimus. Porro id satis arduum imo impossibile videtur. Hoc argumento, ut alibi *(n. 10.)* diximus, plures utuntur, ut demonstrent, in Bibliis omnia inspirata esse et omnia in sacris libris divina gaudere auctoritate. At hoc argumentum, ut ibidem diximus, non undequaque firmum est. Immerito enim pro hominibus absolute impossibile dicitur, ut religiosa a profanis, sacra ab indifferentibus secernant. Quaedam enim profecto sunt, quae statim cuique apparent ut sacra, alia ut profana. Deinde cogitari posset, Deum ad id munus instituisse magisterium, quod Spiritu divino regitur. Imo reapse in ecclesia simile magisterium existit; et revera nonnunquam in ecclesia exurgit necessitas discernendi inter res, quae ad fidem et bonos mores spectant, et alias, de quibus contrarium dicendum est. Nam v. gr. in definitionibus conciliorum non omnia sunt de fide, nec omnia infallibilia. Item vulgata versio latina iuxta optimos auctores non in omnibus sed solum in rebus fidei et morum tamquam authentica habenda

At si de abstracto veniamus ad concretum, seu si de re possibili transeamus ad factum, res longe aliter se habet. Supra *(libro I.)* enim ex fontibus revelationis abunde demonstravimus, omnia, quae in Bibliis habentur, divina gaudere auctoritate.[1] Haec doctrina non est nunc iterum demonstranda sed solum contra eam difficultatem munienda, quae ex librorum fine scopoque auctoris desumi potest. Id consequemur, si finem sacrorum librorum, quos a Deo accepimus, accuratius determinaverimus. Pro re ista haec advertimus. Finem rerum, qui communiter finis operis dicitur, utique quoad principalia ex earum natura, vi et efficacia, quae extrinsecus sese nobis offerunt, satis tuto colligere possumus. At ut hac via finis certae rei perfecte et integre cognoscatur, eius naturam, proprietates atque vires perfecte perspectas habeamus necesse est. Idem, ubi de viro bono ac prudenti agitur, aliquatenus etiam de fine ipsius operantis dici potest, cum finis operis in tali suppositione necessario sit simul finis operantis. At ex dicto fonte finis operantis certe non perfectius attingitur, quam ipse finis operis. Ad haec in operante praeter strictum finem operis alius finis, qui pressius finis operantis appellatur, locum habere potest, qui certe ex sola natura operis sufficienter non colligitur. Sed his omissis hic aliud attendendum est. Ad cognoscendum finem tum operantis tum ipsius operis alia praeterea via patere potest, quae priore interdum et bervior est et securior. Huc spectat testimonium ipsius operantis aut alterius, qui utcumque finem operis et operantis ceteris perfectius cognoverit. Iam vero haec via ad cognoscendum finem sacrorum librorum revera nobis patet. Deus

est. Et tamen nemo negat. ad definitiones illas et ad vulgatam latinam ecclesiae tutum semper patere recursum. Quare concedendum est, ecclesiam de iis, quae in vulgata aut in decretis conciliorum generalium leguntur, tuto decernere, si opus fuerit, an ad fidem ac mores pertineant necne. Ergo in abstracto stat firma nostra concessio. *(Cfr. Franzel. l. c. thes. XIX.)*

[1] In Bibliis nonnunquam occurrere notitias, quae ad geographiam, historiam, chronologiam, historiam naturalem etc. spectant, indubitatum esse debet. Concedendum est tamen, quae ibi de hisce rebus reperiuntur, perfectum systema geographiae, chronologiae, physiologiae nequaquam constituere. Haec duo si distinxisset Schaefer *(l. c.)*, non adeo vage et interdum etiam minus accurate de his rebus locutus fuisset, sicut de facto pluries penes eum *(cfr. p. 145. 164.)* reperire est.

enim, prout notum est, in revelatione sua tum naturam, tum proprietates praerogativasquae omnes Scripturae sacrae et per hoc finem eiusdem manifestavit accuratissime. Quid igitur circa ista de sacris Scripturis docet divina revelatio? Per eam ex dictis tenemus ut certissimum, in Scriptura non solum res religiosas ac sacras sed et indifferentia ac profana quoad sensum divinitus inspirata esse et omnia sine exceptione divina pollere auctoritate. Quare finis generalis Scripturae plenius ac perfectius ita significatur: *Scripturam Deus in eum finem edidisse intelligitur, ut homines, dum fide ac bonis moribus imbuuntur, librum habeant, cui in omnibus tuto ac facile credere possint.* Qui finis ut efficaciter obtineatur, Deus per providentiam suam supernaturalem id efficit, ut in eo libro omnia, sive proxime sive remote tantum sive etiam nullo modo directe ad religionem spectare deprehendantur, non solum vera sed et divina auctoritate munita appareant. Qui haec minus attenderit, finem Bibliorum undequaque perspectam habere nullatenus potest.[1]

287. Ut declaretur, quo sensu res profanae aut indifferentes fini Bibliorum serviant et a Deo intentae esse possint,[2]

[1] Dicet quispiam: Si ita est, credere cogimur, Deum homines voluisse instruere in geographia, astronomia, historia etc. Iam vero hoc quis credat? Respondemus concedendo, quod primo loco assumitur, et negando, quod subiungitur. Et re quidem vera demonstravimus, integram Scripturam cum omnibus suis partibus esse opus Dei et in nominatim sacris libris sensa omnia a Deo esse inspirata. Porro nemo negare potest, reperiri in Scriptura aliqua, per quae in geographia aliisque humanis scientiis aliquo modo instruimur aut instrui possumus. Quare pariter concedendum est, subministrare notitias huiusmodi aliquatenus ad finem Scripturae pertinere. Finis enim ex rei natura et ex eius proprietatibus recte infertur. Item ex natura et fine operis colligitur ex parte saltem finis operantis. Nam Deus in operando finem operis excludere haud potuit. Negari ergo non potest, quin Deus aliquo modo per Biblia nos de illis rebus instruere voluerit. Idem alio modo ita dici potest. Intelligi non potest, quomodo Deum vel minima pars operis a se suoque nomine edendi vel quaecumque eiusdem operis proprietates et effectus, qui ex illo per se sequuntur, latere potuerint. Quodsi conceditur, Deum in antecessum haec omnia novisse et nihilominus opus tale et non aliud edere voluisse, Deus profecto simul omnia, quae operi insunt, suo modo intendisse dicendus est. Quod concedendum est, ut iam insinuavimus, est illud unum, haec non tradi systematice nec directe et propter se sed propter alia et magis indirecte a Deo intenta fuisse. Quod statim in textu magis declarabitur.

[2] Quaeres 1.: Cur Deo placuit, ut in Bibliis rebus sacris hinc inde profana et indifferentia admisceantur? Respondemus, quia res reli-

utimur exemplo, quo ante nos usus est Augustinus, illudque eius verbis proponimus. «Non sane omnia, inquit *(de civ. Dei l. XVI. c. 2. n. 3.)*, quae *(in Scriptura)* gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa etiam ea, quae nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed ut hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria: et soli nervi in citharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed ut aptari possint, adsunt et cetera in compagibus organorum, quae non percutiuntur a canentibus, sed ea, quae percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia dicuntur et aliqua, quae nihil significant, sed quibus adhaereant, quae significant, et quodammodo religantur.» Verum quidem est, Augustinum in hoc loco directe prae oculis habere significationem mysticam. Sed manifestum est, quae de ea dicuntur, aequo iure de re nostra dicenda esse. Ex istis haec concludere licet. Qui conficit aratrum vel citharam, eius intentio non ad solum vomerem aut ad solas chordas sed ad cetera etiam, ut Augustinus loquitur, aratri membra citharaeque partes extenditur. Hoc unum verum est, quod eius intentio principaliter fertur in vomerem et chordas, in cetera vero solum consequenter et secundarie. At falsissimum esset, si quis contenderet, cetera praeter vomerem et chordas ab artifice nullo modo intendi, neque haec ad id, quod in aratro aut in cithara formale est, ullo modo pertinere. Ita pariter dicendum est in re nostra. Deus in sacra Scriptura res profanas, quae religiosis hinc inde admiscentur, vere intendit. Quare haec etiam suo modo ad formalem libri partem pertinere ambigendum non est.[1]

giosae ab homine suavius leguntur, si hinc inde aliis rebus temperentur. Insuper Deus voluit, ut libri sacri libris humanis admodum similes sint necnon ut libri isti suo modo auctoribus humanis adscribi possint. *(Cfr. n. 273 276.)* Iam vero id fieri vix potest, quin libri huiusmodi hinc inde profani aliquid contineant. Quares 2.: Cur Deus etiam res profanas inspiratas et divina auctoritate suffultas esse voluit, cum et aliter idem principale intentum assequi potuisset? Respondemus, quod in textu supra iam innuimus: Quia ita homines multo facilius ac securius his libris uti possunt. Nam multo suavius fidimus libris, in quibus nullum cuiusvis generis errorem reperiri posse persuasum habemus, quam alius, in quibus saltem in rebus profanis hinc inde erroneï quid occurreret vel occurrere posset.

[1] Res et sententias semper et ubique pertinere ad formale libri et ab auctore intentas esse debere, insuper hoc modo demonstrari potest.

Punctum secundum.

Consequentiae inde deducendae quoad verba.

288. In superioribus ostensum est, inspirationem Scripturae tum ex doctrina revelata tum ex fine suo, prout is ex revelatione plenius innotescit, quoad res et sententias limitationem nullam admittere. Aliis verbis res et sententiae in Scriptura expressae omnes et ubique ut verae et divina auctoritate suffultae habendae sunt. Ex hac supppsitione pro verbis Scripturae, quae alioquin aliquatenus parti materiali accenseri possunt, fluit consequentia maximi momenti. Est autem ista: *Verba Scripturae,* utcumque de cetero non a Deo sed ab humano scriptore esse dicantur et formalem librorum partem non constituant, tamen *ubique debent esse eiusmodi, ut sententiam inspiratam et a Deo intentam re ipsa contineant et exprimant.* Aliis verbis *sacer textus ubique ita comparatus esse debet, ut adhibitis sanae hermeneutices regulis nemo ex eo cogatur haurire sententiam, quae non sit ea ipsa, quae a Deo intenta fuit; imo talis sit oportet, ut inde ille ipse sensus erui possit, quem Deus intendit et inspiratum dicimus.* Ex his consequenter simul intelligitur, quantum ad minimum Deus inter scribendum in sacros auctores circa usum electionemque verborum influere aut quantum invigilare debuerit. Tantum scilicet ad minimum Deus praestare omnino debuit, quantum ad dictum effectum requiritur. Ratio istorum est manifesta. Sicut homo quilibet sive loquens sive scribens aliud non agit, quam ut per verba sententiam suam aperiat; ita liber, per quem auctor ad lectorem loqui censetur, in ultima analysi aliud non est, quam series verborum, quae auctor libri ad sensa sua manifestanda

---

Quicumque edit librum, in qualibet libri parte lectorem aut docere vult aut movere aut delectare. Iam vero ubi de docendo agitur, res et sententias ad formalem libri partem spectare, per se patet. Sed idem dicendum est de partibus, ubi praecipue de movendo aut delectando agitur. Nam liber non intendit delectare, ut delectat cantus vel ars mimica et huiusmodi, nec movere potest, ut movet vis externa aut caeca naturae inclinatio, sed haec omnia facit modo, qui libri est proprius h. e. per res, quae ut ad delectandum aut movendum aptae lectoris menti proponuntur. Ergo et in his res et sententiae ab auctore libri quam maxime intentae esse debent, et ad id, quod in libro formale est, apprime spectant.

ac communicanda in scriptis proponit. Quare sicut auctor in scribendo, si sincere agat, necessario eiusmodi verbis uti debet, quae, quod ipse sentit, exprimere valeant; ita revera sensus libri alius dici non potest quam ille ipse, quem eius verba, prout iacent, prae se ferunt. Id adeo verum est, ut, quando auctor verum quidem sensum cogitat sed in scribendo verbis utitur, quae necessario aliud, quod falsum est, significant; liber errorem continere dicendus sit. Econtra si supponis, errare quidem auctorem in iis, quae cogitat, at, dum scribit, uti inadvertenter verbis, quae non errorem illum, quem cogitat, sed aliud, quod verum est, significant; liber ipse seu scriptum qua tale omnino ab errore immune declarandum est.[1] Quare cum Scriptura, ut saepe dictum est, ab omni cuiusvis generis errore in quavis materia sit immunis, verba Scripturae ubique talia esse debent, quae verum sensum fundere possint et ex intentione auctoris principalis reapse fundant. Si enim aliquando in Scriptura invenirentur verba, quae verum sensum non admittunt; tum revera concedendum esset, Scripturam falsum dicere. Quare in hac hypothesi tandem Deus ipse, qui eius auctor est, erroris insimulandus foret. Sed haec propter rei gravitatem uberius declaranda sunt.

289. Primo per modum declarationis aliquid addimus, quod prae dictis rationem restrictionis habere videtur. Igitur *inspiratio non obstat, quominus verba Scripturae haud raro esse*

[1] Placet hic advertere, quanta in hac re inter Deum et alium auctorem sit differentia. Homo, prout notum est, in hac vita semper peccato et errori subiectus manet. Quare 1. saepe fit, ut homo vera cogitet sed nolit loqui, quae cogitat. Aliis verbis homo mentiri potest et haud raro mentitur. Deinde 2. fit, ut homo vim verborum, quibus utitur, aut non plene cognoscat aut ad verborum significationem minus attendat. Denique 3. per se contingere potest, ut hominis lingua in loquendo, manus in scribendo ab eo, quod est in mente, temere aberret. At Deus ut nullius mendacii capax est, ita etiam in adhibendis verbis falli nullo modo potest. Ergo Deus, sive voce sive scriptis loqui velit, semper talibus utatur verbis necesse est, quae internam eius mentem, quae utique nonnisi vera esse potest, revera continent et pro scopo proposito satis apte significant. Ceterum pro tota tractatione insequenti unum monendum est. Per se patet, omnibus, quae de veritate et intelligibilitate locutionis biblicae dictum sumus, non maiorem certitudinem tribuendum esse, quam doctrinae de omnimoda Scripturae inerrantia superius *(n. 3. seqq. 34. 35.)* positae, cui tamquam necessario fundamento tota haec tractatio superstruitur.

possint plus minus obscura, ambigua ac vaga falsaeque interpretationi obnoxia, imo etiam plus minus impropria. Haec propositio intelligitur ex more, qui hominibus in loquendo familiaris est. Omnibus scilicet familiare est, ut interdum verbis plus minus vagis et impropriis utantur. Semper tamen qui consulto fallere haud intendit nec de industria occultare satagit, quod in mente habet. si prudenter agit, ita loquatur necesse est, ut ab iis, qui audiunt, si ad omnia satis attenderint, quod dicit, absolute loquendo intelligi possit. Pari ratione nihil obstat, quominus Deus, qui per Scripturam hominibus loquitur, interdum minus proprie, obscure aut ambigue loquatur, dummodo locutio talis maneat, ut homines ex ea iuxta sanas hermeneutices regulas sensum a Deo intentum absolute loquendo assequi posse videantur. Ex his insuper aliud infertur. Facile fieri potest, ut in Scripturae verbis sensus ille, qui verus Scripturae sensus est et a Deo intenditur, non sit ille ipse, qui spectata vi verborum videtur esse omnium maxime obvius et naturalis. Imo haud raro accidit, ut verus Scripturae sensus suo modo abstrusus ac propemodum violentus dici debeat. Non enim omnino alienum a moribus hominum esse cognoscitur, ut aliquando ita loquantur. Ideo in huiusmodi sermone ab eo, qui ad hunc morem rite attenderit, semper verus sensus cum sufficienti securitate cognosci poterit, licet de cetero satis abstrusus ac violentus esse videatur.[1] Nunquam tamen Scripturae locutio ita impropria ac violenta tribuenda est, ut ille, qui ambages quaerere detrectaverit, ingenue fateri cogatur: Revera ex more, quem homines in loquendo sequi solent ac tenentur, talis sensus talibus verbis subesse nequaquam potest, sed potius a quopiam illis verbis temere affingitur et per fas et nefas locutioni obtruditur. Ratio horum manifesto patet ex dictis.

290. Placet rem istam illustrare exemplis. Sic ante omnia nanciscemur occasionem quaedam uberius evolvendi. Simul per haec solvemus difficultates, quae contra nostram doctrinam

[1] Tale quid in Scriptura reapse occurrit, idque non solum ubi de rebus levibus agitur, sed et in rebus, quae magni momenti esse et ad fidem ac bonos mores plus minus spectare noscuntur. Exempla habes Luc. II. 52.; Ioann. XIV. 28.; Marc. XIII. 32.; I. Ioann. I. 27.; Matth. V. 32.; et alia penes Philippum a ss. Trinitate theologia mystica p. II. tract. 3. dis. 4. art. 7.

ex nonnullis Scripturae locis enascuntur. Igitur in initio Geneseos Deus, ut notum est, sex diebus coelum et terram omnemque ornatum eorum fecisse legitur. Quisnam sit obvius huius narrationis sensus, neminem latet. Sed quia haec narratio secundum sensum obvium accepta aliunde et praecipue ex scientiis naturalibus, quae nostris temporibus mirum quantum profecerunt, haud leves patitur difficultates, ideo sensus obvius huius narrationis a plurimis reiicitur. Sunt nimirum, qui sex creationis dies de totidem longissimis annorum periodis interpretantur, quae ordine utique a Moyse descripto sibi temporaliter invicem successerint.[1] Alii longius progressi in diebus genesiacis nil aliud agnoscunt, quam sex distinctos totius operis velut aspectus ac momenta sive sex praecipua rerum creatarum genera, quae omnia eodem tempore producta credi possunt. Quia scilicet haec rerum creatarum genera ex Dei intentione ab homine distincte et singillatim consideranda sunt et quia in hunc praecise finem Moysi vel Adamo[2] a Deo per visionem, qua revelationem de creatione mundi ipsis dare

[1] Iuxta maiorem partem eorum, qui hanc interpretationem sequuntur, singulae creaturarum classes v. gr. plantae, pisces, quadrupedia per istas periodos ita sunt distribuendae, ut ante illam periodum, quae a sacro textu illis animalibus assignatur, nullum omnino illius generis vestigium v. gr. nullum animal terrestre ante periodum ultimam, quae animalibus terrestribus assignatur, ponatur extitisse. Iuxta alios vero statim ab initio seu in qualibet periodo plantae et animalia omnis generis in certo quodam numero simul ac permixtim extitisse conceduntur. At simul ad successionem, de qua Moyses loquitur, salvandam supponunt, ex Dei providentia factum esse, ut in respectivis periodis, quae in Genesi certis creaturarum et animalium generibus v. gr. plantis aut piscibus assignantur, illud genus creaturarum et animalium potissimum evolveretur et veluti prae ceteris dominaretur. Haec, dicunt, et non alia est ratio, cur certis creaturarum generibus a sacro textu determinata periodus fuerit assignata. *(Cfr. Hummelauer Schöpfungsbericht; Schaefer Bibel u. Wissenschaft p. 180. seqq.)*

[2] Ponunt praeterea auctores isti, quod nemo dubitat, non Moysi primum sed iam Adamo fuisse a Deo revelatum, qua ratione Deus hunc mundum ab exordio produxerit. Addunt aliud, quod nihilominus, ut nobis videtur, efficaciter demonstrari non potest. Supponunt scilicet, Moysen, dum in Genesi creationem mundi narrare instituit, aliud non fecisse, quam ut ea, quae audierat, iisdem fere verbis, quibus ea a progenitoribus narrari audierat, scriptis consignaret. Denique Adamum primitivam revelationem circa opus sex dierum per visionem accepisse autumant, de quo infra.

placuit, singillatim ac successive totidem visionibus partialibus et, si placet, totidem diebus successivis ostensa fuerunt; ideo singula operis momenta non sine ratione in descriptione creationis sex diebus successivis assignata inveniuntur. *(Cfr. Hummelauer l. c. et Schaefer l. c. p. 180.)* Quaeritur: Quid, si omnia secundum proposita principia examinentur, de hisce interpretationibus et generatim de tota illa narratione ac nominatim de diebus genesiacis censendum est? Sed ante solutionem accipe aliud exemplum, quod in re praesenti difficultatem creat. In Levitico *(XI. 6.)* legimus, leporem immundum esse, quia ruminat sed non dividit ungulas. Iam vero, ut ex historia naturali notissimum est, lepus nequaquam ruminat; potest tamen species externa facile in eum errorem inducere, cum lepus haud raro ad modum ruminantium ora movere cernatur. Quaeritur ergo, quomodo haec locutio accipienda sit, ut ab errore purgari possit. Item notissimum est, quod in sacra historia per modum miraculi *(Iosue X. 13.)* narratur de Iosue. Scilicet orante Iosue sol ac luna stetisse dicuntur atque, ut Israel ulcisceretur de inimicis suis, diem illum per Dei omnipotentiam solito longius fuisse productum. Iam vero prima ista locutio manifesto falsa esse cognoscitur. Nam nostris temporibus indubitatum est, temporum seu diei ac noctis vicissitudinem non a motu solis circa terram sed a motu terrae circa proprium axem originem ducere. Ideo in dicto eventu ad orationem Iosue non sol sed terra stetisse dicenda erit. Aliud exemplum suppeditat liber Sapientiae. *(VII. 2. seqq.)* In eo loco Salomon loquens inducitur his verbis: «In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus in sanguine.» In his ante omnia sacer textus primo aspectu significare videtur, Salomonem illius libri esse suctorem. Iam vero id nostra aetate fere ab omnibus ut minus verum aut saltem maxime incertum habetur. Deinde verba ista sine ulla ambiguitate docent, foetum humanum formari ex sanguine matris aut saltem prolem in utero ali sanguine. At iuxta praesentem scientiae physiologicae statum neutrum sustineri poterit. *(Cfr. Gutberlet in h. l. et Schaefer l. c. p. 137.)* Ulterius in libro Tobiae narratur *(VI. 2. 3.)*, immanis magnitudinis piscem ad devorandum Tobiam e flumine Tigri ascendisse. Iam vero impossibile aut saltem incredibile videtur, in flumine Tigri piscem tantae magnitudinis inventum

fuisse, qui homini devorando par esse potuerit. *(Cfr. Gutberlet in h. l.)* Quare narratio ista aut falsa aut exaggerata esse videtur. Denique in libro Numerorum *(XVI. 33.)* legimus, Dathan et Abiron aliosque, qui contra Moysen et Aaron seditionem moverant, hiante terra derepente vivos ad inferos descendisse. Nemo tamen erit, qui facile credat, seditiosos illos mortem corporalem nullatenus subiisse sed stante pede, ut aiunt, et ante iudicii universalis adventum non solum in anima sed et in corpore locum aeterni supplicii subiisse. *(Cfr. Stimmen aus Maria Laach ann. 1879. seu tomo XIV. pag. 34. seqq. et 423.; Melch. Can. l. c. l. XI. c. 5. ad 7.)*

291. Priusquam magis in particulari dicamus, quid de his locis ac de variis eorum interpretationibus dicendum sit et quid ex iis pro re nostra deduci possit; repetimus, quod a nobis saepe iam est dictum sed vix satis inculcari potest. Igitur qui iuxta Patrum et scholae catholicae sensum genuinam et integram doctrinam de inspiratione Scripturae retinere voluerit, ut nobis indubitatum est, nullum cuiuscumque generis errorem in quocumque demum Scripturae loco et in quacumque materia admittere potest.[1] Hoc igitur semper supposito

[1] Calmet *(in Sap. VII. 2.)* de hac re ita scribit: «Quis iubet sacros auctores ex physicorum principiis loqui; communes illi aetatis suae opiniones sequuntur.» Haec nobis videntur parum accurate dicta. Quod primo dicitur, auctores sacros non loqui ex physicorum principiis, in genere libenter concedimus. Item quod statim additur, eosdem in rebus physicis suae aetatis opiniones sequi, haud displicet, quamdiu agitur de opinionibus, quae, licet valde rudes sint et imperfectae et a scientifica rerum physicarum cognitione longissime absint, tamen prae iis, quae revera dicunt, ponuntur esse verae. Talis v. gr. est opinio, qua veteres credebant, terram, quae habitatur, undique claudi oceano, solem et lunam per influxum suum operari plura sive in plantis sive in animalibus etc. At quod idem auctor simul supponere aut subindicare videtur, scilicet auctores sacros qua tales i. e. per verba, quae in libris inspiratis leguntur, accepta eo praecise sensu, quo Deo gubernante aut permittente ibi sunt posita, sequi interdum opiniones sive suae sive alterius aetatis, quae non solum imperfectae et parum scientificae sed omnino falsae dicendae forent; id negamus. Nec contrarium, ut nobis videtur, ullo exemplo invicte ostenditur. Et certe in hoc non sine ratione agimus. Nam in adversariorum hypothesi simul concedendum foret, non solum auctores ipsos errasse, sed errare Scripturam; quia in ea hypothesi per verba Scripturae proponerentur aut supponerentur opiniones tamquam verae, quae

nunc quaeritur, tum generatim quomodo loci isti et alii similes ab omni errore vindicentur, tum magis in particulari an liceat verbis Scripturae tantam vim inferre, quanta revera illis a nonnullis interpretibus infertur aut ab omnibus inferenda videtur, si hi et similes loci ab omni errore liberari debeant. Quaeritur v. gr. magis in specie, an liceat dies creationis aut de longissimis annorum periodis aut etiam simpliciter de diversis rerum creatarum speciebus sive de simultaneis creationis momentis exponere; uno verbo quaeritur, quid salva genuina et integra de inspiratione doctrina circa verborum usum concedi possit aut negari debeat; quaeritur, quatenus Scripturae locutionem aliquando minus propriam minusque accuratam dicere liceat. Primo ad ista propositione generali responderi potest. Sic sufficit repetere, quod iam dictum est. Scilicet sicut concedi nequit, Deum, qui principalis Scripturae auctor est, quoad res, quae in Scriptura proponuntur et asseruntur, falsi aliquid aut in mente sua opinatum fuisse aut verbis proponere voluisse;

---

reipsa sunt falsae. Item minus placent, quae habet Schaefer *(Literar. Handweiser ann. 1880. coll. 757. coll. Bibel u. Natur p. 98.)*, dum carpit Florianum Ries, eo quod affirmaverit, in numeris Bibliorum, prouti in textu originali habentur, nullum inesse errorem. Significat scilicet doctus auctor, nolle se huic assertioni dare calculum. Quare Schaefer non solum in vulgata aut in versione Septuaginta aut in textu hebraico nunc communiter recepto errores supponere sed plus aliquid admittere videtur. Nimirum cum numeri interdum ad scopum religiosum Bibliorum parum aut nihil spectant, ex praestituta sibi inspirationis theoria credit, nullum fore piaculum, si quis simile quid de textu primitivo suspicaretur vel concederet. Sed quomodo quaeso Scriptura in hac theoria manet immunis ab omni errore, quod tenendum esse in primo libro ostendimus? Igitur haec res magis determinanda est. Concedi quidem per nos potest, numerum aliquem, qui in Bibliis ponitur, esse numerum, ut dicitur, rotundum, seu numerum minus exactum positum esse pro numero exacto. *(Cfr. Gen. XV. 13. coll. Exod. XII. 40.)* At talis numerus ac proinde talis locutio, ut cordatus quisque concedere cogitur, falsa non est. Nam is, qui ita loquitur aut scribit, sive sciat numerum praecisum sive nesciat, nequaquam praecisum numerum indicare intendit. Neque qui haec audit aut legit, numerum ut praecisum accipere cogitur. Ratio est, quia hic indeterminatus loquendi modus hominibus admodum familiaris esse solet. At numerum in textu originali ac primitivo Bibliorum non solum minus exactum sed in re profana omnino falsum esse posse, ex demonstratis concedere non possumus. Nec quisquam talem errorem hucusque in genuinis Bibliis monstrare potuit.

ita pariter concedi nullatenus potest, a Deo permissum fuisse, ut auctor hagiographus verbis uteretur, quae tum spectato modo loquendi, qui hominum est proprius, tum attentis sanae hermeneutices regulis nonnisi eum sensum fundere possunt, qui cum rerum veritate pugnat. At sicut ex altera parte homines interdum aut verbis minus propriis minusque accuratis utuntur aut de certis rebus satis vage et ambigue loquuntur, et propterea fieri potest, ut sensus, qui a loquente intenditur, non semper sit ille, qui audienti maxime obvius apparet ac naturalis, sed haud raro plus minus abstrusus sit ac difficilis, seu sicut in sermone humano interdum verba accipienda sunt in sensu minus proprio; ita per se nihil impedit, quominus Deo permittente etiam in Scriptura aliquando simile loquendi genus ab hagiographo adhibitum fuerit. Responsio haec ut apparet, habet duas partes. Quare pro maiore rei declaratione principium, quod in ea continetur, exemplis propositis successive applicandum est.

292. Igitur narrationem creationis quod attinet, haec advertimus. Si ponis, Deum hunc mundum non in sex diebus communibus creasse sed creationis opus in totidem longioribus annorum periodis invicem sibi succedentibus absolvisse; sicut Deus de ea re sermonem faciens, nonnisi quae vera sunt, dicere potuit, ita Deus pariter nullo modo permittere debuit, ut Moyses tamquam auctor inspiratus in describendo Dei opere illis uteretur verbis, quae iuxta sermonis humani indolem nonnisi de sex diebus communibus seu de spatio viginti quatuor horarum accipi possunt. Item, ut rem istam ulterius prosequamur, si supponis, terram nostram a Deo ita fuisse conditam, ut statim ab initio aut a tertia saltem die vel tertia annorum periodo simul plantae et animalia eaque tam perfecta quam imperfecta extiterint, uno verbo si contendis, nullam fuisse diem seu nullam periodum, in qua solae plantae sine animalibus, aut animalia imperfectiora sine perfectioribus extiterint; tunc Deus permittere non potuit, ut Moyses, dum referre voluit, qua ratione terra a Deo condita atque ornata fuerit, iis verbis uteretur eumque narrandi tenorem sequeretur, quo sine ulla ambiguitate significatur, fuisse aliquando tempus, in quo aut nondum creatis animalibus solae plantae extiterint aut animalibus perfectioribus nondum procreatis sola imperfectiora ap-

parere coeperint.[1] Item quoad secundum exemplum cum certum sit, leporem non ruminare in eo sensu, qui modo scientificus habetur, seu cum hodie inter doctos nemo nesciat, leporem nequaquam cibos semel deglutitos iterum in os reducere, ut eos, sicut boves et alia animalia faciunt, iterato dentibus comminuat; Deus haud quaquam permittere potuit, ut Moyses de lepore agens uteretur termino, qui nonnisi hunc determinatum sensum admittat.[2] Pariter in tertio exemplo concedendum astronomis omnino est, si dies nostra aliquando per miraculum ultra tempus consuetum producenda sit, id non eo fieri debere, ut motus solis circa terram, qui nullus est, inhibeatur, sed eo potius, quod sistatur motus terrae circa proprium axem. Quare consequenter Deus permittere non potuit, ut auctor sacer miraculum illud, de quo in libro Iosue agitur, illis verbis describeret, quibus sine ulla ambiguitate sive directe sive indirecte soli motus diurnus ac realis circa terram nostram

[1] Sunt, qui ponentes omnia rerum genera statim ab initio condita fuisse, pro re sua haec observant. Fieri potuit, ut in priori die vel in priori periodo maxime et prae aliis creaturis evolverentur plantae, in subsequenti pisces et huiusmodi, in ultima animalia perfecta et nominatim quadrupedia. Ii ex dictis ante omnia ostendere debebunt, in eo, quod ponunt, esse rationem sufficientem, cur ab auctore hagiographo prior periodus plantis, altera piscibus etc. assignetur. Deinde doceant necesse est, quomodo in verbis Geneseos nihil reperiri possit, per quod de successione rerum ac specierum a Moyse per verba totumque orationis modum, quo utitur, plus aliquid significatum et assertum inveniatur, quam quod ipsis placet.

[2] Difficultas, quae huic loco inest, ex nostra sententia hoc modo solvitur. Verba et vocabula rebus et actionibus non a viris literatis sed a vulgo primitus imposita esse, per se patet. Iam vero vulgus in imponendis vocibus non ad rerum essentias sed ad externam rerum speciem attendere solet. Ideo «ruminare» ex primitiva significatione aliud non significat, quam motum illum oris, qui omnibus ex visu est notissimus, licet eius utilitas ab initio nemini aut paucis perspecta fuerit. Neque concedendum est, hoc vocabulum propter progressum scientiae in ore communi hominum significationem suam mutasse seu primitivam significationem penitus amisisse. Manet ergo verum, leporem iuxta aliquam imo iuxta communem vocis significationem revera ruminare. Porro id et non aliud Moyses tamquam auctor inspiratus significasse dicendus est. Ad finem rei quod spectat, distinctionem Legis inter animalia munda et immunda non tam a natura et multo minus a ruminatione in sensu scientifico sed a libera voluntate Dei pendere, nemo negabit.

attribuitur.[1] Ad locum ex libro Sapientiae notamus ista. Si Salomon, ut modo nemo fere dubitat, non est eius libri auctor

[1] Id revera de narratione, prout legitur in libro Iosue, de iure dici non posse, elucet ex his, quae subiicimus. Auditur hodiedum a doctis non minus quam ab indoctis saepissime locutio huiusmodi: «Sol oritur mane, vespere occidit,» vel «sol aestate ascendit altius.» vel «obnubilatur pluviae tempore» et «in eclipsi vel integre vel ex parte obscuratur»: «luna crescit et decrescit» vel «nunc luna nulla est aut plena.» Item ab iis, qui navi vehuntur, communiter haec audiuntur et similia: «Litus paulatim recedit.» Profecto qui ita loquitur, per huiusmodi phrases nullatenus asserere intendit, solem, prouti in se est, realiter moveri aut obscurari, vel lunam, prout in se certae magnitudinis corpus est, in magnitudine ista revera augeri aut minui, vel quod ad obiectivam rerum veritatem spectat, litus moveri non navem. Quod homines per phrases istas significare volunt, sunt phaenomena omnibus notissima et verissima praecise qua talia, quocumque tandem modo eveniant et nascantur. Quare phrases istae revera in rigore aliud non significant quam certa naturae phaenomena, quae omnibus nota sunt. Schaefer *(l. c. p. 139. 149.)* dicit, in huiusmodi phrasibus relativam tantummodo non vero absolutam contineri veritatem. Quare raprehendit Franzelin et alios, quod phrasibus huiusmodi in Scriptura absolutam veritatem vindicare conentur. At quod auctor iste observat, aut falsum est aut saltem falsae intelligentiae obnoxium. Si enim istae phrases, ut diximus, aliud non significant quam phaenomena; tunc, quod iis significatur, non relative tantum sed absolute verum est. Quod ita magis suadetur. Notum est omnibus, etiam homines doctos tali locutione sive in vita familiari sive in libris scientificis haud raro uti. Imo semper, ubi non praecise de explicandis hisce phaenomenis agitur, docti non minus quam indocti in dicto sensu phrasibus istis utuntur. Iam vero non puto, hominem doctum aequo animo tolerare, si ipsi significaveris, cum per haec dicere, quod falsum est aut quod nonnisi relativam veritatem habet. Reponere enim poterit. His phrasibus, prout omnibus est notum, aliud significare nolo quam phaenomena in se verissima. Quare ignoro, quid in meo sermone reprehendendum sit, aut quid tali sermoni ad absolutam veritatem deesse possit. At dices: Non sol movetur sed terra. Respondebit: Scio. At ego neque unum neque aliud asserui, sed solum significavi phaenomenon. Ceterum si dixissem, ut tu supponere videris, solem moveri realiter, non veritatem relativam, ut tu insinuare voluisti, sed quod simpliciter et absolute falsum est, dixissem. Instet adversarius: At neque, sicut revera est, dixisti, moveri terram. Reponere poterit: Concedo, id non dixi; et ideo non dixi omnia, quae vere de ea re dicere poteram. At inde nondum sequitur, ea, quae dixi, non esse absolute vera, ut tu asseris. Hoc igitur est, quod nos non solum cum Franzelin sed cum omnibus fere catholicis ut veram de inspiratione doctrinam defendimus. Nec erat, ut apparet, cur Schaefer haec reprehenderet. Nam aut falsum omnino aut obscurum valde est, quod ab eo dicitur. Quid enim est veritas relativa, de qua loquitur? Num adeo bene,

Deus tamquam principalis illius libri auctor permittere non potuit, ut humanus eiusdem libri auctor iis uteretur verbis eumque loquendi modum adhiberet, qui veritatem habere nullatenus potest, nisi in hypothesi, quod revera Salomon eum librum scripserit. Aliis verbis in doctrina nunc recepta Deus permittere non potuit, ut libro Sapientiae inscrerentur verba, quibus sine ambiguitate Salomon illius auctor scribitur. *(Cfr. n. 150 in nota.)* Alterum locum quod spectat, si verum est, foetum in utero matris nullatenus i. e. neque immediate neque mediate formari aut ali matris sanguine, Deus item permittere non potuit, ut in sacrum textum talia introducantur verba, quibus necessario tale aliquid significatur.[1] Iterum quoad Tobiae historiam si piscis, qui Tobiae insidiari videbatur, tantae magnitudinis non erat, ut devorare eum posset, Deus permittere non potuit, ut casus, qui Tobiae accidit, iis describeretur verbis, ex quibus, si non exaggerata sed vera esse ponuntur, necessario tanta, quantam diximus, piscis illius magnitudo arguenda foret. Aut si narratio talis esse demonstratur aut supponitur et aliunde in Tigri pisces tantae magnitudinis communiter non aluntur; simul supponendum est, ea occasione eventu extraordinario et per miraculum piscem tantae magnitudinis in eum locum devenisse. Tandem si — quod est exemplum ultimum — homines illi, qui in deserto contra Moysen et Aaron seditionem moverunt, ut libenter concedimus, non statim in anima simul et in corpore ad locum aeterni supplicii descenderunt, Deus nullatenus potuit permittere, ut Moyses in illa narratione

prout ipse loqui cogitur, quod in se et absolute falsum est, relative verum esse dicitur? Sit. At nos quod in Scriptura dicitur, si vere intelligatur, suo modo absolute verum esse ostendimus. Cur ergo nobis nostrum modum loquendi retinere haud licebit?

[1] Verba ac textum libri Sapientiae neque quoad primum punctum neque quoad alterum adeo determinata esse, ostendunt communiter auctores introductionis biblicae et interpretes illius loci. Quodsi revera pro illo loco mitior interpretatio inveniri non posset; tunc ex demonstratis potius id reiiciendum censemus, quod scientia humana invenisse se gratulatur, quam ut in eo loco Scripturae ullum errorem adscribamus. Post ea enim, quae saepius dicta sunt, non licet eo uti praetentu, quod talis error fidei parum aut nihil noccat. Nocet enim quam maxime, cum ex dictis per hoc ea destruantur, quae ex revelatione divina de infallibilitate Scripturae credenda sunt omnibus.

iis uteretur verbis, quae aliam significationem non admittunt. Econtra si verba Scripturae aliam expositionem omnino respuerent, tunc hoc ipsum, quod per ea dicitur, sine dubio admittendum foret; neque id in se omnino absurdum aut impossibile dici potest.[1]

[1] Facile est Scripturae verba, quae huc pertinent, alio modo exponere. Neque enim infernus semper determinate locum aeterni supplicii significat, sed infernus saepissime de sepulchro aut indeterminate de loco quolibet subterraneo sumitur. Ad maiorem rei declarationem haec addimus. Non licet nodum, de quo agimus, ita solvere. Quod in Scriptura inveniantur verba, quae nonnisi sensum falsum fundere possunt, non Deo sed auctori humano tribuendum est. Sive enim ponas, auctorem humanum quoad rem in mente sua, quae vera sunt, sensisse, sed ex infirmitate humana in usu verborum errorem commisisse, sive eundem etiam interne errasse supponas; semper eodem modo error in Deum refunditur, qui primarius Scripturae auctor existit. Uno verbo si ea, quae in Scriptura leguntur, nonnisi talem sensum fundere possunt, qui cum rerum veritate pugnat; necessario concedendum est, Scripturam ipsam falsum dicere. *(Cfr. n. 288.)* Potius absolute loquendo concedi posset, quod huic a diametro opponitur. Scilicet absolute loquendo concedi potest, sacrum auctorem, dum scriberet, aliquando aliquid, quod revera est falsum, in mente habuisse, sed Deo gubernante iis verbis fuisse usum, quae praeter sensum falsum, quem ipse tunc in mente gerebat, aliam expositionem admitterent, quae vera est et a Deo unice intenta. Si enim mens humani auctoris aliquando a mente Dei discordasse ponitur, tunc Scripturae inerrantiam tribuimus, prout Dei opus est et Dei verbum, non prout est verbum et opus hominis, qui a Deo discordare supponitur. In hac hypothesi haberes casum, qui illi omnino esset similis, ubi Propheta verba, quae a Deo audivit, fideliter quidem refert sed penes se non bene aut minus accurate intelligit. *(Cfr. n. 133. n. 1.)* Per hoc, ut patet, veritas prophetiae nullum detrimentum patitur. Nam error Prophetae ita mere concomitanter se haberet et in ipsam prophetiam, prout a Deo originem ducit, nullatenus influeret. Quare, ut addamus exemplum, parum refert inquirere, utrum auctor libri Iosue circa motum solis in mente sua erraverit necne. Parum refert, inquam, utrum auctor iste, dum ea scriberet, actu iudicaverit, non terram stetisse sed solem, an vero ab illo iudicio falso saltem pro eo momento Deo revelante praeservatus fuerit. Dummodo verba, quae scripsit, errorem determinate non significant et ex intentione Dei significare non debebant, sed Deus per ea solum phaenomenon independenter a modo, quo factum fuerit, proponere intenderit; Scriptura qua talis ab eo errore manet immunis. Idem fere alio modo ita proponi potest. Pone, auctorem libri Iosue, dum ea scriberet, ab aliquo fuisse interrogandum, an revera illis verbis asserere vellet, solem motu reali moveri circa terram. Respondere poterat, et si prudens erat, respondere debuit: Utique in ea opinione semper fui. Ceterum per mea verba aliud significare nolo, quam solem ea die solito

293. Manet adhuc illustrandum, quod in propositione statuta secundo loco est additum *(n. 289. et 291.)* i. e. quo-

---

longius super Gabaon splenduisse. Si forte phaenomenon istud — ita addere posset — alio modo fieri potuerit, quam eo, quo ipse semper credidi, nollem circa hanc rem aliquid asserere. Imo licet ipse id alio modo factum esse certo cognoverim, nollem tamen alio modo loqui. Mihi enim ad scopum praefixum nonnisi de phaenomeno loquendum est, quare si ita loquor, ab omnibus, quod dicere intendo, facillime intelligitur. Ex his vides, neque auctorem humanum, si erravit, in eo casu necessario errasse. *(Cfr. supra n. 93. et Suarez de fide disp. VIII. sect. 4. n. 1. 2.)* An expositiones liberiores huius loci, quales a variis proponuntur *(cfr. Brentano-Dereser die hl. Schrift in h. l.)* et a locutione poëtica subsidium quaerunt, verbis textus sacri non nimiam vim inferant, iudicent alii. Ceterum in hac re diiudicanda, quae mox *(n. 294.)* dicemus, attendenda videntur. Simili modo, ut nobis videtur, sentiendum est de locis, ubi Apostoli data occasione significare videntur, suis temporibus diem ultimi iudicii proxime instare. *(I. Thess. IV. 14.; I. Petr. IV. 17.; Iacob. V. 8.)* Eorum verba nequaquam adeo determinata sunt, ut alium sensum respuant. Id paucis ostendemus de citato loco Pauli, qui certe omnium efficacissimus est. Ibi Paulus significare videtur, Christum Dominum adhuc superstite et vivente generatione praesenti ad iudicium adventurum, quod historia manifeso falsum ostendit et, ut multi dicunt, ipse in secunda epistola *(II. 2. 3.)* corrigere coactus est. Respondemus: Ante omnia Paulus nullibi dicit, se corrigere, quod ipse docuerat; sed corrigit opinionem nonnullorum, qui de adventu Domini errabant et epistolam suam minus bene intellexerant. Hoc praemisso tota difficultas in illis verbis esse videtur, quibus dixit: «Nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt.» Iam vero ista verba adeo determinata non sunt, ut mitiorem expositionem non admittant. Dicere enim possumus: In his Paulus non locutus est aut de se personaliter aut de generatione praesenti, sed de tota humanitate praesenti et futura in oppositione ad praeteritam. Ita autem per ea verba de propinquitate adventus Domini nihil significatur. Et reapse Paulus de ea re nihil significare potuit, quia paulo post subdidit: «Sicut fur de nocte, ita veniet *(dies Domini)*.» Nec dicas, hanc expositionem nimis violentam esse. Nonne quispiam de certo regno aut oppido mala prophetaturus sed tempus malorum penitus ignorans dicere posset: Beati mortui, nobis enim horribilia imminent mala, quin per hoc significare velit, aut se personaliter aut adstantes omnes nullo excepto, aut etiam unum solum ex adstantibus personaliter illa mala experturum? Sine dubio; loquitur enim de regno aut de oppido qua tali, cuius vita non mensuratur aetate unius hominis aut unius humanae generationis. Talis igitur est locutio Pauli. Res videtur magni momenti. Si enim ista explicatio respuitur, non solum Paulo, sed ex dictis Scripturae ipsi seu Deo error aut mendacium tribuendum foret. Alia quaestio est, quid tunc Paulus privatim opinatus fuerit. Ista quaestio, ut apparet, nos non tangit. Quare solum dicimus, Paulo non

modo fieri possit, ut verba Scripturae obscura sint atque impropria falsaeque interpretationi obnoxia. Exempla huius rei in sacris libris occurrunt ubique. Quis enim non videt, in exemplis, quae supra *(n. 290.)* ex variis Scripturae libris attulimus, verba falsae interpretationi esse obnoxia et simul prae vero sensu, quem continent, haud parum obscura? Quis non videt, ut ex locis huiusmodi verus sensus eliciatur, verba sumenda esse in sensu minus obvio simul et minus proprio? Sed ceteris omissis denuo redire libet ad primum caput Geneseos. Quis negabit, obviam illius capitis expositionem, et in quia verba in sensu maxime proprio sumuntur, eam esse, quae toti creationis operi sex dies communes assignat? At quamdiu non demonstratur, verba illius loci aliam interpretationem omnino respuere, et multo magis si e contrario ostenditur, iuxta modum loquendi hominum aut iuxta hebraicae linguae indolem sub nomine dierum posse intelligi longiores temporum periodos; eam interpretationem ex solis criteriis intrinsecis nemo ut omnino falsam atque impossibilem traducere poterit. Item ex modo, quo ibi totum creationis opus describitur, certe multo magis obvium et naturale est supponere, ante diem sextum — sive dies communis ille fuerit sive longa annorum periodus, nil refert — nulla extitisse quadrupedia, ante diem quintum nullos pisces etc. At si cui ostendere dabitur, iuxta modum loquendi, quem homines tenere solent, omnia, quae in primo capite Geneseos leguntur, sine laesione veritatis iisdem omnino verbis eodemque narrationis ordine proponi potuisse, etsi omnia rerum genera simul fuerint producta; aut hoc excluso saltem sufficere, si ab initio et ante animalia in certa quadam annorum periodo plantae potissimum multiplicatae fuerint, in alia pisces, in ultima quadrupedia, licet de cetero in quantitate minore omnia semper rerum genera simul ab initio extiterint: tunc huiusmodi interpretatio, quae minus obvia apparet, ex principiis mere intrinsecis et independenter ab interpretatione authentica Patrum aut ecclesiae certo excludi non potest.[1]

facile errorem adscribendum esse, ubi nulla cogit necessitas et multa suadent contrarium. Denique ad confirmationem rei recolendum est, Paulum in persona sua etiam alia occasione *(Rom. VII. 9.)* simili substitutione, imo quae multo audacior videtur, usum fuisse. *(Cfr. I. Cor. IV. 7.)*

[1] „Ut, quod sentimus de hac re, breviter hic innuamus, haec pauca subiicimus. Nobis ista ultima interpretatio cum vi verborum et cum toto

Scholion primum. 294. Sunt *(Hummelauer l. c.; Scheeben Dogmatik B. II. n. 300.—302.; Stimmen aus Maria Laach l. c; Schaefer l. c. p. 182. et p. 211.; Brentano-Dereser Bibel-Werk ad Ios. X. 14.),* qui pro certis Scripturae locis recte intelligendis maximi interesse credunt, utrum auctor humanus, quod narrat vel utcumque refert, ipse suis oculis usurpaverit vel ipse in se expertus fuerit necne, aut, quod fere in idem recidit, utrum res scribenda hagiographis a Deo per modum visionis propheticae an alia via communicata fuerit, denique utrum locutio poëtica sit an prosaica. Quare ut certas, quae ipsis praeplacent, alicuius loci interpretationes contra alias tueantur, solerter observant, pro intelligendo sacro textu prae oculis habendum esse, unde et qua ratione sacer auctor notitias istas primitus acceperit. Ita v. gr. ut simultaneam rerum omnium creationem facilius defendant, supponendum esse contendunt, Moysen vel potius Adamum, ex cuius traditione Moyses ea scripsisse ab illis supponitur, revelationem de creatione mundi accepisse in visione quadam exstatica. In visione, aiunt, et sopore exstatico Deus Adamo sub quibusdam imaginibus invicem sibi succedentibus totum creationis opus ob oculos posuit. Iterum ut declarent, quomodo de pisce aliquo, quales in fluminibus inveniri solent, verificentur ea, quae in libro Tobiae de immani illius piscis voracitate et de iunioris Tobiae trepidatione narrantur; observant, ea ab ipso Tobia, qui discrimen illud subiit, fuisse conscripta. Denuo ut ostendant, quomodo in libro Numerorum dici potuerit, seditiosos contra Moysen et Aaron vivos ad inferos descendisse; solerter notant, Moysen, qui illa scripsit,

narrationis ordine, prout in Genesi habetur, pugnare videtur. Certe haec interpretatio, quantum nos iudicare possumus, ab auctoribus, qui tales opiniones sequuntur, ut textui conveniens non ostenditur. Quare ab iis gratuito asseritur aut supponitur, quod ipsis ante omnia demonstrandum esset. Ostendant ergo, homines aliquando ita loqui solere aut ita aliquando locutos fuisse, sicut ipsi Moysen locutum esse supponunt; ostendant, qua ratione sine laesione veritatis ita loqui liceat. Id enim non adeo facile ab omnibus perspicitur, et ideo a plerisque nonnisi cunctanter illis opinionibus aliqua probabilitas conceditur. Aliter iudicamus de opinione eorum, qui dies genesiacos simpliciter protrahunt in longissimas annorum periodos; dies enim in Scriptura satis indeterminatam significationem habere videtur, et certe non semper significat tempus viginti quatuor horarum. *(Cfr. Eccli. XLVI. 5.)*

coram adstitisse et totam rem propriis oculis inspexisse. Non quaerimus hic de his et similibus, quae fieri solent, suppositionibus, quanta illae certitudine aut probabilitate in se nitantur. Item ultro concedimus, has et alias similes suppositiones quaestionesque non solum ad eruditionem plus minus conferre sed haud raro ad assequendam pleniorem sacri textus intelligentiam haud parum adiuvare. Ita enim certe saepe facilius intelligitur, cur sacer scriptor in certo quodam loco talibus verbis utatur, aut tali ordine narrationem texat, aut cum tanto affectu aut adeo graphice loquatur. Quod quaerimus, aliud est. Quaerimus nimirum, utrum huiusmodi suppositiones ad Scripturam bene intelligendam et ab omni errore vindicandam sint omnino necessariae. Aliis verbis quaerimus, an fieri possit, ut verba Scripturae, quae in se falsa videntur ac sunt i. e. quae in se considerata necessario falsum fundunt sensum, per huiusmodi suppositiones incipiant esse vera; seu generalius quaerimus, an per eas suppositiones sensus Scripturae i. e. sensus verborum biblicorum mutetur in alium, prout citati auctores interdum insinuare videntur. Id nos omnino negamus, et ideo huismodi suppositiones nequaquam necessarias nec semper adeo utiles credimus, sicut alii supponunt. Ut quod contendimus, facilius intelligatur, ad superius posita exempla revertimur. Dicis: Verba, quibus auctor libri Tobiae de illo pisce loquitur, prout in se sunt, ut vera esse possint, omnino piscem tantae magnitudinis postulant, qui homini devorando par sit. Quid igitur? Quantumcumque supponas, ea verba ab ipso Tobia dictata aut conscripta fuisse, simulque observes, Tobiam aspectu piscis perculsum forte magis timuisse, quam timendum erat, cum per animi turbationem piscem maiorem, quam in re erat, existimaverit, ac tandem advertas, nonnisi ex recordatione timoris ac turbationis illius factum esse, ut Tobias casum illum verbis talibus descripserit: semper in magnis versamur angustiis. Semper enim hoc dilemmate stringimur: Aut narratio illa in libro Tobiae falsa est, aut piscis ille, quidquid de Tobiae turbatione ac timore dicatur, revera tantae magnitudinis fuisse conceditur, ut Tobiam devorare potuerit. Quodsi e contrario persuasum tibi fuerit, verba libri sacri, prout iacent, manere vera, etiamsi piscis ille homini integro devorando impar fuerit, dummodo id utcumque attentare potuerit; absolute necessarium non est, ut

ad salvandam verborum veritatem ad illam suppositionem ac turbationem Tobiae confugias. Item suppone, verba primi capitis Geneseos in se talia esse, ut eorum vi per se attenta clare et sine ambiguitate de sex diebus successivis aut saltem de sex successivis temporum periodis accipienda sint, in quarum prima et secunda neque sol neque luna neque stellae neque ullae plantae aut animalia extiterint, in tertia vero, cum sol et luna nondum lucerent neque existerent, plantae primum enasci coeperint, in quarta deinde sol, luna ac stellae primitus exortae fuerint, in quinta demum pisces et in sexta animalia, quae terrestria dicuntur, ceteris supervenerint. In hac suppositione quantumcunque credas, Moysi aut Adamo mundi creationem a Deo in visione prophetica et exstatica demonstratam fuisse, in solitis versaris angustiis. Si enim Scripturae errorem adscribere nolis, defendendum tibi erit, Deum revera in creatione mundi illum tenuisse ordinem, qui verbis Geneseos indicatur. Quodsi ostendere possumus, verba textus sacri, prout in primo capite Geneseos leguntur, talem rerum successionem haudquaquam determinate postulare et asserere; pro tuenda sententia de creatione simultanea nullatenus ad somnum exstaticum Adami recurrere compellimur; sicut neque s. Augustinus simile quid supposuit neque s. Thomas, qui praecipui illius theoriae fautores ab omnibus merito habentur.[1] Idem valet de forma poëtica,

[1] Neque dicas: Iuxta theoriam, quae ponit, homines revelationem creationis primitus per visionem accepisse et inde narrationem creationis in Genesim fuisse derivatam, non haberemus in Genesi narrationem creationis, prout ea suo tempore a Deo exsecutioni mandata est, sed potius haberemus narrationem visionis et revelationis primitivae. Aliis verbis per Moysen in ista theoria solum dicitur, quo ordine res creatae Adamo in visione monstratae fuerint, non quo ordine omnia suo tempore sint producta. Ita enim ad haec reponimus. Certe verba Geneseos, prout iacent, nequaquam dicunt, quid Adamo vel Moysi in visione monstratum fuerit, sed omnino narrant, quid in rerum natura ab initio Deo iubente sit factum. Quodsi nihilominus contendis, tum notitias istas per visionem primitus fuisse acceptas tum in Genesi per Moysen aliud non esse factum, quam ut visio illa, prout habita est, ex ordine proponatur, ex dictis in priori hypothesi, quam de verborum potestate in textu fecimus, hoc simul retinere debes: Ordo, quo res in visu Adamo vel alteri sunt monstratae, ad amussim respondere debet ordini, quo eaedem res antea factae fuerant. Iam vero si id concedere debes, iterum sequitur, theoriam illam ad solvendas difficultates et ad tollendas discrepantias apparentes inter Scripturae narrationem et scientias naturales parum iuvare aut nihil,

quam quidam in primo capite Geneseos deprehendisse credunt et suis theoriis haud parum patrocinari arbitrantur. Cavendum est igitur, ne in exponenda Scriptura huiusmodi suppositionibus nimium tribuatur. Nominatim non est credendum, per theorias huiusmodi e vestigio omnes tolli difficultates, quae sine iis indissolubiles forent, aut per eas utcumque Scripturam admittere sensum, quem alioquin et sine illis nullatenus admitteret.

Scholion secundum. 295. Ex dictis alia etiam quaestio solvitur. Nimirum quaeri potest, *utrum ob inspirationem libri*

Quare repetere possumus, quod in textu diximus. Si narratio, prout in Genesi iacet, cum successione dierum aut periodorum successionem rerum determinate postulat; tunc ea successio neque quoad opus creationis nullatenus in dubium vocari potest. Nam verba in quacumque theoria naturalem potestatem non amittunt. Econtra si verba Geneseos talem successionem non postulant; non erit necesse, ut pro tuenda creatione simultanea ad istam theoriam visionis te recipias. Unum addere nobis liceat. Nos in narratione Geneseos ne vestigium quidem aut visionis habitae aut narrationis poëticae invenire potuimus. Sed etiamsi narratio poëtica foret, aut in ea habitae visionis aut mentio fieret aut vestigia aperta recurrerent, fautoribus illius theoriae et similium haec perpendenda proponere possemus. Ante omnia fieri potest, ut aliquis rem, quam ipse vidit aut expertus est, non admodum graphice describat; necnon ut quis rem aliquam, quam videndo aut experiendo vehementer motus est, postea verbis omnino planis ac sine animi commotione referat. Item aliquando is, qui rem neque vidit neque expertus est neque adeo per eam est commotus, admodum graphice describere aut in recordatione eius vehementer commoveri potest. Pariter nullatenus impossibile apparet, ut quis rem, quam communibus mediis accepit, per modum visionis propheticae aut poëticae proponat. Nec repugnat, ut quis vice versa ea, quae per visionem propheticam cognoverat, sine visione planis verbis et solum quoad sensum explicet. Exemplum haud ineptum habes in Evangelio, ubi Christus de eversione Ierusalem et de fine mundi loquitur. *(Matth. XXIV.)* Verba enim Christi a modo, quo Prophetae visiones suas proponere solent, parum aut nihil differunt. Et tamen dici nequit, Christo Deo homini, quae tunc locutus est, nonnisi per modum visionis propheticae a Patre ostensa fuisse. Stilum denique poëticum quod attinet, utique verum ac notum est, in eo locutiones audaciores ac hyperbolas facilius admitti. At dici simpliciter nequit, verba, quae in prosa omnino falsa sunt, in poëtica oratione vera fieri. Potius quaecunque verba absolute aut vera dicenda sunt aut falsa. Quare sicubi in libro poëtico verba occurrunt, quae audaciora sunt et nonnisi iuxta morem poeticum verum sensum admittunt, ea simpliciter vera sunt dicenda. Quodsi non solum in libris poëticis sed et hinc inde in libro, qui prosaicus habetur, in huiusmodi locutiones pedem offendamus, non dicemus, eas reapse falsas esse, sed librum in istis ad poësim proxime accedere aut in poësim transire putabimus.

cogamur credere, res, quae narrantur, eo praecise, quo narrantur, semper ordine evenisse; an vero interdum aliter opinari liceat. Quaestio etiam ad sermones extenditur, qui ex ore aliorum in Scriptura relati leguntur. Quaeres enim: Numquid retinendum est, sermones istos semper ea praecise occasione eoque loco ac tempore et eo rerum ordine, quo referuntur, prolatos primitus fuisse; an vero de his circumstantiis aliquando dubitare licet? *(Cfr. Patrit. l. c. p. 18.—18.)* Ut hanc quaestionem dilucide tractemus, ante omnia tres casus distinguimus. *Primo fieri potest, ut in Scriptura ipsa aut verbis expressis aut aequivalenter asseratur, res eo ordine, quo narrantur, accidisse, aut talem hominem certa occasione et determinato ordine, quae de eo referuntur, protulisse.* Id inter alia aequivalenter fieri censendum est, quando unum factum vel dictum proponitur tamquam effectus aut consequentia alterius, de quo in antecedentibus sermo erat. In hoc igitur casu de dicto rerum ordine non solum dubitare haud licere, sed eum, qui illum ordinem deseruerit, aperte contra inspirationem agere, per se clarum est. Nam in hoc casu ordo vere a Scriptura asseritur. Iam vero sacrum textum nihil unquam sine auctoritate divina asserere, saepe diximus. *Secundo accidere potest, ut ordo rerum, quae narrantur, aut series eorum, quae dicta a quopiam in sacro textu referuntur, nullibi sive directe sive indirecte asserta inveniatur aut expressa.* Huiusmodi casus est, quando simpliciter una res post aliam aut unum dictum post aliud positum invenitur, et aliunde nulla inter ea necessaria dependentia aut connexio apparet.[1] In tali casu, ut nobis videtur, dubitare per se licet, an ordo rerum ordini narrationis ac relationis ad amussim semper respondeat. Unum tamen hic monendum censemus. In hac re diiudicanda semper ad scopum sacri textus et generatim ad totius libri indolem attendendum erit. Inveniuntur enim certa librorum genera, quorum scopus atque indoles omnino postulat, ut in rebus, quas tractant, certum

[1] Id Cornelius a Lapide negare videtur, dum *(in II. Tim. III., v. 16.)* ita scribit: *(Deus Scripturae auctor est 3.)* quia omnes *(hagiographorum)* conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus s., v. gr. ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco et ita consequenter collocarent et scripto consignarent; hoc enim proprie est librum aliquem concinnare et conscribere.»

ordinem teneant. Quis enim v. gr. ferret eum, qui assereret, ad librum historicum nequaquam pertinere, ut saltem generatim historicum rerum ordinem sequatur? Hoc posito aliquid sumimus, quod fere per se intelligitur et mox uberius declarabitur ac demonstrabitur. Nimirum persuasum nobis est et ab omnibus concedi debet, in sacris libris ultra res ac sententias etiam scopum et genericam saltem eorum indolem Deo ut auctori tribuendam esse. Quare consequenter in Bibliis ea, quae in generali librorum indole ac scopo necessario includuntur, ut est ordo historicus in opere historico, a divina auctoritate non sunt excludenda. Hoc tamen non impedit, quominus etiam in libris, qui operibus historicis accensendi sunt, non semper et in omnibus res usque ad minimam secundum ordinem temporis digestae inveniantur. Nam hoc est, quod haud semel apud optimos historicos videmus factum, ut data occasione quaedam narrando anticipata inveniantur, quae iuxta seriem temporis differenda erant; et iterum penes eosdem alia, quae iuxta ordinem chronologicum in certo loco narranda veniebant, quia narrationis filum nimis interrumpere videbantur, in opportuniorem locum remissa reperiuntur.[1] Aliorum vero librorum ea est indoles, ut prae ipsorum scopo ac natura ordo tractationis aut parum aut nihil ad rem pertineat. Talis v. gr. quoad magnam saltem partem esse videtur liber Proverbiorum. Nec sine probabilitate huc referri possunt eae Evangeliorum partes, in quibus coacervatae inveniuntur aut parabolae a Christo Domino propositae aut sententiae morales, ut est Christi sermo in monte habitus. In his et similibus igitur sine ulla fere difficultate semper tamen cum debita circumspectione et ex rationibus convenientibus ordinem rerum ac sententiarum invertere licebit.[2] *Denique tertio fieri potest, ut sacer auctor non*

[1] Ergo necesse non est, ut credamus, quae Christus gessit aut dixit, in omnibus semper eodem ordine sibi successisse, quo ab Evangelistis narrata inveniuntur. Hoc docet simul inter quatuor Evangelistas instituta comparatio, quam latius persequendam aliis relinquimus.

[2] Haec si ad libros propheticos applicaveris, ante omnia diiudicare poteris, quatenus et quantum, si dicta Prophetarum in unum colligere et ita, quantum fieri potest, in antecessum futurorum temporum historiam texere volueris, in hoc opere inhaerendum sit ordini, quem in describendis rebus futuris et in narrandis visionibus propheticis Prophetae ipsi tenuisse inveniuntur. Simul ex his determinare poteris, quale et quantum inter

tam in ipso decursu tractationis sed aut ab initio libri aut in fine generali sententia declaret, teneri in tractatione sua ordinem rerum obiecticum et historicum. In hoc sensu a plerisque accipitur, quod in exordio Evangelii Lucae legitur. *(I. 3.)* «Visum est, ait, *omnia ex ordine scribere*" ἔδοξε κἀμοὶ, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι. In tali casu certe contra inspirationem ageret, qui contra expressam scriptoris hagiographi assertionem, quae sine dubio et ipsa inspirata est, rebus et sententiis alium ordinem assignare praesumeret, quam ipse assignavit hagiographus. Unum tamen in hac hypothesi attendendum est. Rei natura postulat, ut sensus ac vis verborum, quibus auctor hagiographus propositum sequendi in omnibus ordinem historicum manifestat, diligenter perpendantur. Quare huiusmodi verbis non maior vis tribuenda erit, quam quae illis iuxta sanas interpretationis regulas necessario inest.[1]

Scholion tertium. 296. Aliud denique dubium circa rem praesentem moveri potest, quod et ipsum iuxta data principia solvendum est. Videmus nimirum, in *Bibliis* haud secus ac in aliis libris *ad illustrandas res,* de quibus agitur, *modo aliquid assumi ex historia naturali, modo ex observationibus physiologicis vel psychologicis, modo ex historia profana etc.* Imo aliquando *comparationes huiusmodi opinionibus vulgi* et, quod plus est,

ea intervallum ponere liceat, quae a Prophetis oratione continenti unum post aliud proponuntur. Solum unam animadversionem, ne in hac re erretur, adiungendam censemus. Prophetis haud raro mos est, ut raptim et sine ullo indicio exteriori de una ad aliam rem transeant. Insuper quia Prophetae Deo revelante et Dei nomine loquuntur, tempora non mensura humana sed, ut ita dicam, mensura, quae Dei propria est, dimetiri solent, iuxta quam teste Scriptura mille anni sicut dies hesterna reputantur. *(Ps. 89. v. 4.)* Quare quod Prophetae dies est, pro longissimo tempore accipere possumus; eo vel magis, quod in Scriptura haud raro dies generatim pro tempore ponitur. *(Cfr. Matth. XXIV. 21. 29.)*

[1] Ex his colliges, quae sequuntur. Si quis assereret, etiam Lucam interdum, praesertim in rebus minoris momenti, ordinem historicum deseruisse, et contenderet, nonnunquam rerum ordinem ab aliis Evangelistis accuratius servari quam a Luca; non poterit in hoc graviter reprehendi, nisi haec indubie demonstrata supponantur. Primo illud καθεξῆς nonnisi de ordine historico intelligi potest. Secundo huic verbo tanta inest efficacia, ut historicum ordinem ab Evangelista ubique etiam minimis non exceptis ad amussim servatum esse significet. Porro haec duo non omnes tibi ultro admittent sed indubiis argumentis demonstranda sunt, si Lucam quoad ordinem historicum semper et ubique ceteris praeferre volueris

fabulis mythologicis ac *ritibus religiosis gentilium superstructae esse* inveniuntur. Exempla habes in Tob. II. 14,—17.; Iudith. XVI. 8; Iob. XXI. 33. XLII. 14.; Prov. VI. 7. 27. 28.; Cantic. VI. 1. coll. Genes. XXX.14.; Sap. XVII. 13.; Ps. XVIII. 6. CII. 5.; Isa. I. 1. XIII. 21. 22. XIV. 9. XXXIV. 14. 24.; Ierem. VIII. 7.; Amos. V. 8.; Matth. XVI. 2. 3. XXIV. 28. 32. 33.; I. Cor. XV. 9. *(Cfr. Escobar et Mendoza de sacr. Script. stilo et obscur. c. 6. in appendice ad commentar. Menoch. Venet. 1722.)* Rebus ita stantibus merito quaeritur, *quid de huiusmodi locis dicendum sit.* An per Scripturam Faunos et Titanes aut avem illam, qui phoenix dicitur, admittere; an fide credere cogimur, formicas regem non habere, coelum, si vespere rubeat, pro crastino diem serenum indicare et alia huiusmodi? An vero sine laesione inspirationis ita dicere possumus: Scriptura ad illustrandas res, quae ibi vere asseruntur et quae utique in se omnino verae esse debent, aliquando assumpsit aliquid, quod dubium aut etiam aperte falsum est? Haec est quaestio, cui praeiactis inhaerentes principiis uno verbo ita respondere possumus. *Etiam res, quae a Scriptura tantummodo ad alias illustrandas assumuntur, in sensu, quo iis Scriptura utitur ac de iis loquitur, divina auctoritate ut verae retinendae sunt.* Ratio huius assertionis manifesta est. Licet enim res huiusmodi in Scriptura non propter se sed propter aliud afferantur et proinde neque per se ac directe sed magis indirecte ac per accidens asserantur imo, potius quam asserantur, solum supponantur; tamen semper verum est, easdem revera afferri a Scriptura et ab eadem in certo quodam sensu ut veras atque existentes asseri aut supponi. Quare cum Scriptura ex saepe dictis errare nullatenus possit, res illae eo sensu, quo asseruntur aut supponuntur, verae esse debent. Ita v. gr. in eo, quod Sapiens *(Prov. VI. 6. seqq.)* pigrum mittit ad formicam, ut consideret vias eius, si non directe asserit, certe manifesto supponit, tum formicas reapse existere tum certum vivendi morem sequi, qui pigris exemplo esse possit. Quare propter auctoritatem Scripturae retinendum esse videtur, tum formicas revera existere tum earum vivendi rationem talem esse, sicut ibi ab hagiographo describitur. Idem dic de aliis exemplis, quae huic sunt similia. Quae enim a quopiam aperte supponuntur, ab eodem aequivalenter asserta dici possunt.

297. At, si quando, certe in his praecipue materiis caute procedendum et omnia diligenter perpendenda sunt, ne res huiusmodi ultra auctoris scopum et ultra necessariam orationis ac comparationis vim premantur et extendantur. Ut, quod dicere volumus, magis intelligas, haec perpende. Certissimum est, opiniones vulgi et communes hominum conceptiones, etiamsi in se falsae sint et ut falsae cognoscantur, haud semel ad res veras atque utiles illustrandas inservire posse. Quare res huiusmodi praecise tamquam id, quod sunt, et abstrahendo ab earum veritate aut falsitate ad dictum finem adhiberi haud repugnat. Quod si ita fiat, manifesto sine laesione veritatis fieri cognoscitur. Id apparet evidentissime, ubi ille, qui ita agit, simul expressis verbis significat, se res, quibus ad comparationem utitur, neque ipsum habere ut veras, neque aliis ut veras proponere, sed potius id unum intendere profitetur, ut per conceptus vulgo notissimos et communiter receptos res quaedam occultiores et minus perviae illustrentur et ob oculos ponantur. Idem consequenter aliquando valere poterit, licet dicta monitio expressis verbis non addatur. Sed tunc ex natura rei ante omnia requiritur, ut ille, qui tali comparatione utitur, nulla ratione significet, se res, unde comparatio ducitur, ut veras habere ac proponere. Secundo in hac suppositione si non omnino necessarium saltem convenientissimum apparet, ut ex variis indiciis intentionem loquentis colligere et indolem comparationis cognoscere liceat. Ex his pro re nostra sequens fluit conclusio: *Non omnino repugnat, ut Scriptura sive auctor hagiographus, ubi de re quapiam illustranda agitur, in seligendis illustrationis adminiculis sub certis conditionibus de rerum veritate abstraxisse et interdum conceptu communi aut opinione vulgi usus fuisse supponatur, de cuius veritate dubitare licet.* Ratio ex dictis manifesta est. Nam sub hisce suppositionibus circa rem, quae in comparationem assumitur, ex auctoritate Scripturae aliud admittere non compellimur, quam conceptum, quo tota comparatio absolvitur, tum pro illustratione rei propositae aptum apparere tum illis, ad quos sermo proxime dirigebatur, satis notum esse potuisse. Alia quaestio est, an haec doctrina pro Scriptura nostra applicationem realem habeat seu an in nostris libris revera aliquando res falsae atque fabulosae in comparationem adducantur. Sed nos cum hanc quaestionem, quae

nobis satis salebrosa videtur, pro scopo nostro prosequi haud cogamur, eam aliis solvendam relinquimus. *(Cfr. Matth. XVI. 2. 3.; Escobar l. c ; Gutberlet, Buch Tobias ad VI. 17.)* Quod ad nos spectat, per dicta satis patet, quomodo loci, quos supra *(n. 295.)* indicavimus, aliquo modo explicari possint, quin in iis ipsi Scripturae aliquid falsi ac fabulosi tribuere cogamur. Ceterum onus explicandi singula nos in sacros interpretes reiicimus.[1]

ARTICULUS TERTIUS.

An quoad orationis indolem Deo plus aliquid vindicandum sit?

298. Diximus, normam, secundum quam tuto atque accurate definiendum est, quas partes Deus in edendis sacris libris habuerit, ex eorum fine desumendam esse. Quare si in superioribus finis, quem Deus in edendis libris sacris habuisse dicendus est, quoad omnia perfecte indicatus fuisset; relate ad verba formamque loquendi ex parte Dei nil aliud postulari posset, quam quod articulo antecedente postulavimus. Aliis verbis idem ita dici potest. Si Deus in edendis Bibliis aliud non intendisset, quam ut generi humano pro instructione religiosa suppeteret liber, qui pro securitate omnimoda non solum in rebus religiosis, quae in eo per se ponuntur, sed et in rebus profanis, quae magis per accidens hinc inde rebus religiosis immiscentur, infallibili et divina polleret auctoritate; tunc pro verbis formaque loquendi influxus Dei ad simplicem fere assistentiam coarctari posset, per quam sacri auctores ab omni errore praeservati supponuntur. At nobis in superioribus finis, quem in edenda Scriptura Deus sibi proposuit, nequaquam totaliter et secundum omnia indicatus esse videtur. Plura enim

---

[1] Sunt, qui in quaestione, an Iob persona historica fuerit, pro sententia negativa in supra positis principiis subsidium quaerunt. *(Cfr. Brentano-Dereser Einleitung zu Iob.)* At, ut de prooemio ac conclusione ipsius libri nihil dicamus, quae penes Ezechielem *(XXIV. 14.)* et Iacobum Apostolum *(V. 11.)* de Iob legimus, quantum nos iudicare possumus, non tantummodo supponunt cum istis auctoribus narrationem aliquam communiter notam, quae ceterum poëtica esse possit, sed omnino postulant virum in omni rigore historicum.

ad hunc finem magis explicandum ac determinandum adiungi posse ac debere, pro certo habemus. Quare consequenter ad propositum principium etiam quoad verba et totam elocutionis indolem praeter dictam assistentiam influxus Dei aliquanto amplior postulandus videtur. Haec igitur res est, quam in articulo praesenti uberius evolvendam suscipimus. Quare pro scopo nostro ante omnia finis Scripturae ex parte Dei accuratissime describendus est; deinde variae consequentiae inde deducendae.

Punctum primum.

Finis ac natura Bibliorum accuratius determinatur.

299. Iam supra monuimus, finem rerum artificialium et scopum, quem auctor in aliquo opere sibi proposuit, vix alia via melius ac tutius cognosci posse, quam si illius rei sive operis natura, vires et efficacia attente considerentur, simulque usus, cui opus illud ex sese accommodatum esse videtur, solerter perpendatur. *(Cfr. n. 284. 286.)* Quare pro scopo nostro ante omnia natura et efficacia Bibliorum accurate examinanda est simulque inquirendum, qualem usum libri nostri ex voluntate Dei et ex natura sua habere possint ac debeant. Qua in re ne a vero aberremus, continuo ad praxim sensumque Ecclesiae respicere placuit, in cuius manu ab initio a Deo Scripturae sunt positae et quae teste Apostolo *(I. Tim. III. 15.)* columna est et firmamentum veritatis.

300. His praenotatis Scriptura imprimis sese nobis offert ut librum, qui praecipue de religione supernaturali ac revelata tractans diversissimas hominibus notitias subministrat tum de Deo eiusque attributis ac vita interna, tum de ortu et evolutione rerum omnium ac imprimis de humani generis origine ac progressu necnon de primitivo hominis statu. Sequuntur deinde notitiae de lapsu humani generis eiusque reparatione, quae in paradiso primum promissa deinde per Christum exsecutioni mandata est ac demum in fine saeculorum per Deum consummanda erit. Cum his connectitur doctrina de aeterna bonorum felicitate poenaque malorum et alia, quae cum his cohaerent et maximam partem captum hominum quam longissime excedere noscuntur. At, ut vel levi Bibliorum inspec-

tione apparet et ex tempore modoque, quo singuli libri sunt editi, adhuc luculentius perspicitur, libri isti non constituunt nec constituere debent pro hominibus ac pro populo Dei instructionem catecheticam, neque pro iis, qui fidei sunt magistri, systematicum sacrae theologiae cursum exhibent. Imo ex sensu Ecclesiae hi libri nullatenus a Deo in eum finem sunt dati, ut inde singuli aut prima hauriant verae religionis rudimenta, aut per solam lectionem Scripturae notitias prima educatione inditas magis in dies excolant. Potius haud pauci ex libris nostris proxime et immediate conscripti sunt ad singulares quasdam certi temporis indigentias sublevandas. Quare tota demum librorum sacrorum collectio ex primaria intentione Dei magisterio ecclesiastico data atque consignata esse cognoscitur tanquam instrumentum authenticum, quo fidei magistri in praedicanda, explicanda ac defendenda religione divinitus revelata continuo uterentur. *(Cfr. Franzelin de div. Trad. thes. IV. et XVIII. de div. Script. thes. V.-IX.)* Hinc factum est, ut a fidei magistris sacri libri ab antiquissimis temporibus populo in ecclesia legerentur et explicarentur, ut tota instructio religiosa maximam partem his libris superstrueretur, ut mysteria fidei ab ecclesiasticis doctoribus, quantum fieri potest, omnia ac singula tum ex Scriptura demonstrarentur tum, quantum fas est, ipsis Scripturae verbis traderentur et explicarentur. Idem valet circa solemnes ecclesiae catholicae de rebus fidei definitiones. Ad haec publicae preces, quibus ecclesia utitur, non solum quoad sensum sed maximam partem quoad ipsa verba ex Scriptura desumptae sunt. Denique institutione primitiva supposita debitisque servatis limitibus etiam singulis fidelibus lectio Scripturae sive integrae sive per partes pro captu uniuscuiusque maxime commendatur. Nec dubium, quin ea lectio recte facta rei christianae plurimam possit afferre utilitatem. Id vero multo magis valet de viris ecclesiasticis, qui tradendis scientiis theologicis, praedicando verbo Dei et erudiendae plebi sunt destinati. Nemo enim dubitat, quin viri ecclesiastici in his et similibus officiis obeundis per lectionem Scripturae tum relate ad doctrinam et cognitionem rerum tradendarum praeclarissimum inveniant praesidium, tum etiam, ubi de elocutione modoque proponendi agitur, quam plurimum inde iuvari possint ac debeant.

301. Quid inde concludendum est? En sententia nostra. Si Scriptura sacra tam multiplici usui accommodata est, si insuper ad ea, quae enumeravimus, praestanda, quod nemo negabit, non veluti invita trahitur sed sponte et ex natura sua se offert: quis dubitare poterit, quin haec omnia ex antecedenti et praeconcepta Dei voluntate fiant et ab aeterno in Dei intentione ac consilio posita fuerint. Quod hac ratione magis confirmari potest. Quo Scripturam attentius consideraveris, eo manifestius apparebit, in ea res et verba sicut in homine animam et corpus harmonice inter se cohaerere et utrumque elementum ad dictos fines obtinendos conspirare ac iuvare se mutuo. Quo igitur iure quaeso praesumi poterit, illud a divina intentione divinoque consilio penitus esse excludendum, quod cum iis, in quae intentio Dei in condendo isto opere principaliter ferebatur, tam harmonice nectitur et ad fines a Deo intentos haud parum conferre dignoscitur? Libet hanc rem paulo latius prosequi. Igitur sicut in Scriptura res et sententiae modo grandes sunt atque sublimes, modo simplices ac humiles, plerumque vero ex sublimi et humili, ex grandi et simplici mirum in modum permixtae esse inveniuntur; ita et tota Scripturae elocutio modo grandis apparet et sublimis, modo humilis ac simplex, plerumque mixta ex utroque. Ita fit, ut in Scriptura habeamus librum, quem ob sententiarum non minus quam verborum sublimitatem simul ac simplicitatem nemo, sive bonus sit sive malus, sive doctus sive idiota, dummodo cum debita attentione et sine animo nimis praeoccupato ad legendum accedat, sine quodam reverentiae et admirationis sensu evolvere possit.

302. Quae si nobis non creduntur, credantur s. Augustino, qui ut ex una parte Scripturas attentissime et diligentissime legerat, ita ex altera parte humanae mentis indolem ac ingenium legesque humanae eloquentiae prae primis noverat. Audiamus ergo primo, quid s. Doctor de Scriptura quantum ad res ac sententias dixerit; tum quid de eiusdem eloquentia senserit, subnectamus. Igitur: «Tu, ait *(de genes. ad lit. l. V. c. 3. n. 6.)*, cum Scriptura non deserente infirmitatem tuam et materno incessu tecum ambulante proficias; quae *sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.*« Et alio

loco *(epist. 137. al. 3. c. 1. n. 3.)*: «Tanta est christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere; non quo ad ea, quae necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate, sed quum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur; *tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque* non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, *verum etiam in rebus, quae intelligendae sunt, latet altitudo sapientiae, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis* cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: *cum consummaverit homo, tunc incipiet*“ Et iterum: *(de genes. ad lit. l. I. c. 20. n. 40.) Cohibeant se* tandem, qui literis inflati saecularibus haec *(Geneseos verba) ita posita, ut omnia pia corda nutriant, velut imperitum atque impolitum aliquid exagitant,* sine pennis in terra reptantes, volatu ranarum avium nidos irridentes. *Periculosius autem errant, qui... saluberrimae pietatis libros cum fastidio repetunt, et quos dulciter haurire deberent,* vix patienter attingunt, a segetis asperitate abhorrentes et spinarum floribus inhiantes. Non enim vacant videre, quam suavis est Dominus . . . atque . . . pigri sunt vellere spicas et tamdiu versare manibus contritasque purgare, donec ad escam perveniant.»

303. Haec magis ad sensum pertinent, licet hinc inde etiam elocutio cum praecipua laude tangatur. Videamus modo, quid s. Doctor magis expresse de elocutione judicet: *„Hic aliquis forsitan quaerit,* ait *(de doctr. christ. l. IV. c. 6. n. 9.), utrum auctores nostri,* quorum scripta divinitus inspirata canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, *sapientes tantummodo an eloquentes etiam nuncupandi sint.* Quae quidem quaestio apud meipsum et apud eos, qui mecum, quod dico, sentiunt, facillime solvitur. *Nam ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes, qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quaedam eloquentia, quae magis aetatem iuvenilem decet, est, quae senilem, nec iam dicenda est eloquentia, si personae non congruat eloquentis; ita est quaedam, quae viros summa aucto-*

ritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt; *nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem, quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate sed soliditate transcendit.* Ubi vero non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est, ubi intelligo. *Ipsa quoque obscuritas divinorum salubriumque dictorum tali eloquentiae miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus* non solum inventione verum etiam *exercitatione deberet.*" Notat insuper *(l. c. c. 7. n. 10.)* harmoniam intimam inter res et verba hoc modo: « Res dicuntur, ut *verba,* quibus dicuntur, non a dicente adhibita sed *ipsis rebus velut sponte subiuncta videantur,* quasi sapientiam de domo sua id est de pectore sapientis procedere intelligas et tamquam *inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam.*" Denique allatis plurimis exempli causa locis, ubi prima fronte Scripturae eloquentia deesse videtur *(n. 21.)*, ita concludit: „*Neque enim haec humana industria composita sed divina mente sunt fusa et sapienter et eloquenter: non attenta in eloquentiam sapientia sed a sapientia non recedente eloquentia.* Si enim, sicut quidam dissertissimi atque acutissimi viri videre ac dicere potuerunt, ea, quae velut oratoria arte discuntur, non observarentur et notarentur et in hanc doctrinam non redigerentur, nisi prius in oratorum invenirentur ingeniis; quid mirum, si et in istis inveniuntur, quos ille misit, qui facit ingenia. *Quapropter et eloquentes quidem,* non solum sapientes, *canonicos nostros auctores* doctoresque *fatemur tali eloquentia, qualis personis eiusmodi congruebat.*" *(Cfr. confess. l. VI. c. 5. l. XI. c. 2. de morib. eccl. l. I. c. 7. serm. 23. al. de div. 122. n. 3. de catechiz. rud. n. 1; Bonavent. breviloq. prooem. §. V.; Melch. Canus l. c. l. II. c. 15. in fine; Menoch. proleg. c. VIII; Bonfrer. praeloq. c. 10. sect. 1.)*[1] Repetimus: Ista si vera sunt, quis dicat, haec ad finem ac naturam Bibliorum nullatenus pertinere? Quid inde concludendum sit, magis declarabimus in sequentibus.

[1] Notum est, etiam poëtas profanos omnium fere nationum christianarum, praeclariores praecipue, Bibliorum eloquentiae plurimum detulisse et ex eorum lectione multum profecisse.

Punctum secundum.

Ducuntur ex dictis consequentiae generaliores.

304. Assertio generalis. *Non sufficit dicere, sacros auctores a Deo in usu verborum ab omni errore fuisse praeservatos, sed insuper tenendum est, Scripturae elocutionem a Deo in antecessum aliquanto pressius fuisse definitam. Quare simul speciatiori Dei nutu ac providentia erga sacros auctores effectum est, ut libri sacri etiam in elocutione ideae divina mente praeconceptae per omnia congruerent.* Haec assertio demonstratur primo ex eo, quod *Deus est auctor principalis* imo in suo ordine totalis seu solus sacrorum librorum. Argumentum ita construitur. Deus ex concessis est principalis Scripturae auctor. Iam vero ad hoc requiritur, ut in suo ordine parem non habeat. Quare Deus consequenter in certo quodam sensu solus auctor totius operis haberi atque dici poterit ac debebit. Quo posito ut paulatim propius ad rem accedamus, perpende, quae sequuntur. Certe fieri potest et saepissime fit, ut in determinato librorum genere determinata verba ac determinata elocutionis ratio ad formalem libri partem et veluti ad eius essentiam pertineant. Ita v. gr. nemo negabit, in grammatica idioma linguae et in lexico insuper etiam ordinem verborum, sive etymologicus sive alphabeticus fuerit, ad formales talis libri qualitates, ut non dicamus, ad eius essentiam pertinere. In aliis libris elocutio ad minimum intelligitur esse proprietas, quae naturam libri plus minus intime afficiat et ad integritatem totius operis pertineat. Quare ea nequaquam prae libro isto et prae scopo auctoris indifferens dici potest, quia talis elocutio ad finem, cui ex natura sua talis liber inservire debet et quem auctor in edendo libro sibi proposuit, iuvat quam plurimum. Quis enim v. gr. loquens de eclogis Virgilii metrum elocutionemque poëticam, aut de orationibus Ciceronis sermonem instituens totum eloquentiae ornatum ad tale opus parum aut nihil pertinere et haec omnia prae libris istis mere materialia atque indifferentia esse dixerit? Certe Virgilius aut Cicero, si ipsis easdem quidem sententias, quibus eorum libri constant, sed aliis omnino verbis et sine ullo eloquentiae ornatu expressas proposueris; in his opus suum agnoscere recusabunt. Et iure merito. Nam in nova, quae supponitur, forma res, quae dicuntur,

lectorem parum aut nihil delectabunt ac commovebunt aut saltem multo minus quam in forma primitiva, nec sicut ipsis, dum haec scriberent, cordi fuerat. Unde viri isti ex tali opere parum aut nihil laudis sperare poterunt; dum per opera genuina laudem et admirationem omnium temporum sunt promeriti. Ex his ita concludes. Ubi de conscribendo libro agitur, auctor ex natura rei ita procedere solet. Communiter auctor, imo aliquatenus semper, priusquam ea, quae mente concepit, scriptis mandare incipiat; simul cum rebus formam libri et elocutionis indolem in mente sua constituit, quam deinde in scribendo sive ipse sive alius, qui suo nomine scribit, tenere debeat. Quod si ita est, idem etiam ad scriptionem Bibliorum et ad Deum, qui summo ac pleno iure eorum auctor creditur, transferendum erit.

305. Ad confirmationem huius rei ex dictis haec observa. Elocutio totumque dicendi genus, quale de facto in Bibliis reperitur, ad consequendum finem, quem Deus in iis edendis sibi proposuisse cognoscitur, haud parum iuvat. Quod ut tibi magis persuadeatur, pro momento sequentem fac hypothesim. Pone, res ac sententias, quae in sacra Scriptura insunt, aliter proponi. Verba sint admodum incommoda, quo fiat, ut libri sub hac forma ad multiplicem, quem supra indicavimus, usum parum apti appareant. Num in hac forma manebunt libri, quales primitus dedit Deus ac dare intendit, seu quorum Deus est auctor? Nequaquam. Supponimus enim, Deum in edendis nostris libris multiplicem illum usum non solum praevidisse sed et simul revera intendisse. Quare libros, qui intentioni suae ad amussim haud respondent, ut suos agnoscere nequaquam poterit. Fieri ergo non potuit, quin Deus statim ab initio, ubi primum libros inspiratos edere decrevit, pro iisdem usque ad certum gradum etiam formam elocutionis mente constituerit. Quo semel admisso consequenter dicendum erit, Deum sacris auctoribus simul cum rebus, quae scribendae erant, aliquatenus etiam formam elocutionis communicasse atque praescripsisse. Aliis verbis tenendum est, specialiori Dei providentia factum esse, ut sacri auctores illum praecise in scribendo tenerent modum, quem Deus praestituerant. Idem fere alio modo ita dici potest. Pone, Deo praeter exclusionem erroris circa elocutionem nihil curante res ac sententias, quibus

sacri libri constant, primitus verbis admodum incommodis fuisse expressas. Adiunge, tempore posteriori libros istos ab homine aliquo ad hanc, quam omnes miramur, formam perfectam redactos fuisse. Dico: Hic homo, nisi nomine Dei impulsuque divino egerit, simul cum Deo ut partialis Scripturae auctor isque non solum secundarius sed suo ordine primarius habendus erit. Id si negas, convincet te erroris tum rei consideratio tum communis hominum sensus. Atqui auctor primarius Bibliorum alius habendus non est, quam Deus isque in suo ordine totalis ac solus. Hoc enim habere videtur communis sensus Patrum et theologorum. Idem simul ex iis, quae certa sunt apud omnes, hoc modo concluditur. Deus ab omnibus simpliciter auctor Scripturae dicitur. Atqui id in hypothesi, quam fecimus, iure fieri non potest. Sicut enim nemo simpliciter et sine restrictione dicet: Petrus fecit statuam, si in eodem ordine Paulum coadiutorem adhibuit; ita neque aliquem simpliciter dicemus auctorem libri, qui non solum ut causam ministerialem sed in ordine primario alium cooperatorem habuit.

306. Id confirmatur deinde, *Augustini auctoritate adhibita, ex ipsa eloquentiae biblicae indole.* Profecto si eloquentia Scripturae adeo singularis est et admirabilis, qualis ab Augustino describitur, iam a priori valde improbabile, ut non dicam, impossibile videri debet, hominem purum sine positivo et extraordinario Dei auxilio opus tam mirandum edere potuisse. Augustinus enim sine dubio in Scriptura etiam quoad elocutionis formam aliquid humana arte sublimius vereque divinum agnovisse deprehenditur, dum scribit *(ll. cc.): „Est quaedam* (eloquentia), *quae viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi* (sacri auctores) *locuti sunt; nec ipsos decet alia, nec alios ipsa;“* et iterum: *„Nec haec humana industria sed divina mente sunt fusa et sapienter et eloquenter.“* Nec dicas: Si quid divini est in Scriptura et quod hominum captum superare videtur, id ad sententias non ad verba referendum est. Nam licet libenter concedimus, pulchritudinem ac maiestatem in Scriptura rebus praecipue esse tribuendam; negamus tamen, inde verba atque elocutionem penitus esse excludenda. Ita, ut ex dictis constant, de Scripturae stilo expressis verbis docet Augustinus, licet aliunde et ipse in Scriptura eloquentiam qua talem iubeat habere ut elementum acces-

sorium atque secundarium, docens Scripturam eloquentem videri «non attenta in eloquentiam sapientia sed a sapientia non recedente eloquentia.»

307. Idem denique sequenti observatione fulcitur. Asserit Augustinus, quod negari vix poterit, in Scriptura verba et elocutionem ubique rebus ac sententiis convenientissime respondere. Audiantur verba s. Doctoris: *„Audeo dicere,* ait, *omnes, qui recte intelligunt, quod illi* (sacri auctores) *loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse.“* Ex altera vero parte in Scriptura saepe recurrunt res ac sententiae, quae captum humanum longissime superant et divinis sunt plena mysteriis. Ad hoc haud raro rebus, quibus sensus literalis constat, subest sensus mysticus, qui ex dictis non in solis rebus sed saltem ex parte continetur etiam in ipso modo narrandi ac loquendi. Semper vero sensus mysticus per verba aliquo modo subindicari debet ac iuvari. *(Cfr. 187. 212. seqq.)* Tandem recolatur, eos, qui sacrorum auctorum munere fungebantur, plerumque natura parum eloquentes ac disciplinis liberalibus parum excultos fuisse. His ita se habentibus merito quaeritur: Quomodo huiusmodi homines sine speciali Dei adiutorio id praestare potuerunt, cui vel eloquentissimus et exercitatissimus parum aptus esse videbatur? Revera si sacri auctores sibi ipsis relicti fuissent, potius exspectandum erat, eosdem si non semper interdum saltem in inveniendis verbis aptis defecisse aut nimis laborasse et hinc inde quaedam protulisse, quae quoad eloquentiam minus perfecta dicenda essent. Si ergo nihilominus cum Augustino fateri cogimur, omnia in Scriptura non humana industria sed divina mente esse fusa et sapienter et eloquenter, et si cum eodem satis clare perspicimus, sacros auctores, ubi eos perfecte intelligimus, non aliter loqui debuisse; cur non simul fatebimur, haec mere humana non esse? Cur tanta pulchritudine victi non dicemus: «Digitus Dei est hic?»[1]

[1] Dices: Sufficit supponere, Deum hagiographis suggessisse res omnes; nam cum rebus etiam verba data esse videntur. Haec obiectio iam in superioribus soluta est. Falsum nimirum est, quod assumit obiectio. Id ante omnia ostendunt errores nec leves nec rari, qui etiam viris ceteroquin doctis et acutis in exprimendis ipsorum sensis et conceptibus obrepere solent. Deinde recolendum est, inter elocutionem et elocutionem maximam differentiam intercedere posse. Nam aliquando elocutio, licet in

Punctum tertium.

Huius doctrinae fines accuratius circumscribuntur.[1]

308. Assertio prima. *Ante omnia dubitari nequit, quin saltem specifica libri forma, quae de facto inest singulis, v. gr. ut sit liber scriptus in forma epistolae aut dialogi etc. qua formalis libri pars ad Deum ut auctorem specialiter referenda sit.* Primo quod asserimus, paulo magis explicabimus. Si sacros libros, quales de facto sunt, inspicias, haec invenies. Aliqui ex eis formam librorum historicorum prae se ferunt, ita tamen ut praecipue historiam revelationis persequantur et rebus historicis hinc inde veritates religiosas reflexionesque morales inserant. *(libri Reg. Mach. etc.)* Alii moralium sententiarum collectionem constituunt *(Prov. etc.)*; alii texuntur maximam partem in forma dialogica *(Iob, Cantic.)*; alii quoad substantiam sunt epistolae doctrinales ad ecclesias, in quibus nihilominus hinc inde historicae res varii generis tanguntur, in fine adduntur salutationes ad amicos et familiares et huiusmodi *(epist. ad Rom. etc.)*: aliae potius epistolae familiares esse videntur, plenae tamen sensibus affectibusque religiosis *(ad Philem.)*; alia carminum sacrorum naturam prae se ferunt, quae modo ad genus lyricum modo ad heroicum accedentia modo mixta ex utroque plerumque preces ad Deum fundendas subministrant cordi humano convenientissimas *(Psalmi)*: alii denique ex libris sacris fere ex integro visionibus ac prophetiis constant, quibus tum futura praenuntiantur tum pro praesenti corriguntur homines ac malis poenae, bonis praemia

se vera esse deprehendatur, rudis tamen est et imperfecta, aliquando vero pulcherrima simul et aptissima. Hoc cognovit omnino Augustinus. *(ll. cc.)* Ideo non dixit, sacros auctores non potuisse aliter loqui, sed non debuisse. Ideo asserit, Scripturam non solum vere sed et eloquenter loqui consuevisse. Manet ergo verum, etiam rebus suppositis pro locutione qua tali specialiorem Dei influxum postulandum esse.

[1] Si quaeritur, qua ratione Deus, quod efficiendum statuerat, reipsa effecerit seu cuius generis influxus divinus in sacros auctores pro re praesenti cogitandus sit; repetenda et rei praesenti applicanda veniunt, quae supra *(l. II.)*, dum de suggerendis rebus agebatur, in re simili dicta sunt. Ibi declaravimus, qua ratione Deus in mentem ac voluntatem hagiographorum influxisse seu egisse praesumendus sit, ne ultra necessitatem difficultates multiplicentur et miracula gratis supponantur.

proponuntur, neque tamen ex libris huiusmodi notitiae historicae aut preces ad Deum ac sacra cantica penitus excluduntur. *(Prophetae, Apocalypsis.)* Eloquentiam quod spectat, aliqui eorum prosa simplicissima exarati sunt, alii fere semper in forma poëtica incedunt ornatuque splendent quam maxime. *(Iob, Cantic. Isai. Threni.)* Hoc est factum omnibus notum. Quod igitur circa ista hic asserimus, generalibus verbis ita proponi potest. Omnis haec, quae in libris sacris quoad librorum genus et verborum eloquentiam diversitas cernitur, simul cum rebus ac sensibus ad opus Dei pertinet; nec cum veritate dici potest, hanc formae et eloquentiae varietatem a Deo primitus nullatenus intentam fuisse sed independenter ab ipso, ac Deum quod spectat, plane per accidens sacris libris accessisse. Unde per modum consequentiae haec inferimus. Si per possibile aut impossibile supponatur factum, ut res eaedem eademque sensa, quae in nostris sacris libris reperiuntur, omnia ac sola non sub descriptis librorum formis sed sine illis alicubi expressa inveniantur; huiusmodi scriptum non foret opus illud, quod Deus ab aeterno per sacros auctores edere statuit et suis temporibus reapse edidit ac ab omnibus usitato nomine nostra Scriptura sacra appellatur. Haec assertio ex dictis iam demonstrata censeri potest. Quis enim negabit unquam, exteriorem librorum indolem proprietatesque reliquas in ea saltem generalitate, in qua easdem paulo ante descripsimus, ad finem, quem Deus in edendis Bibliis ex supra *(n. 299.)* demonstratis sibi proposuisse dicendus est, non solum iuvare plurimum sed certo sensu plane necessarias videri? Iam vero omnia, quae ad finem operis haud leviter conducunt eumque directe iuvant, ad formalem operis partem pertinere ac proinde ad verum ac principalem eius auctorem referenda esse, supra *(n. 283. 284.)* demonstratum est. Quare, ut hanc consequentiam expresse indicemus, qui sacros libros ita transformaret, ut retentis omnibus sententiis quoad indolem et proprietates externas aut uniformitatem prae se ferrent omnimodam aut a statu praesenti aliunde penitus abluderent; is opus divinum aliquatenus mutilasse et ex parte saltem Bibliorum inspirationem laesisse dicendus esset. Per se intelligitur, laesionem istam non cum ea comparandam esse, qua quis aliquam sententiam a Scriptura expungeret aut novam sententiam introduceret. Qui enim

ita ageret, veluti vas angelica manu confectum ex parte frangeret aut partem profanam de suo adiungeret: dum in nostra hypothesi potius laesio ita concipienda est, acsi quis poculum aureum a summo artifice summa arte elaboratum nutu proprio transformaret in vas deforme eiusdem ponderis ac magnitudinis.

309. Assertio secunda. *Praeter haec alia quam plurima, quae sive in Scriptura universim sive in singulis eius libris librorumque partibus ad eloquentiae biblicae indolem pulchritudinemque constituendam haud parum faciunt, ad elementum divinum suo modo pertinere dicenda sunt.* Haec etiam assertio ante omnia enucleatius declaranda deinde demonstranda est. Igitur quicunque Scripturas attentius consideraverit, eum certe latere non potuit, ibi res, quae dicendae sunt, nequaquam nudis semper verbis exprimi, sed in iisdem proponendis varia plerumque eloquentiae ornamenta adhiberi. Ita in Scriptura omnes, quae dicuntur, figurae rhetoricae tibi occurrunt, ipsa ironia ac hyperbole non exclusis. *(I. Cor. IV. 8. VI. 4. 5.; Ioan. XXI. 25. etc.)* Occurrunt insuper haud semel similitudines, parabolae et alia id genus quam plurima. Porro haec ut haud raro in se sublimissima ac pulcherrima esse deprehenduntur, ita nihilominus simul saepissime omnium captui quam maxime adaptata sunt. Hac ratione, ut rem exemplis illustremus, dum in Scriptura Dei omnipotentia ac maiestas depingitur, ita ex ore Dei legimus: «Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum» *(Isa. LXVI. 1.)*, et iterum de Deo dicitur: «Quis mensus est pugillo aquas et coelos palmo ponderavit, quis appendit tribus digitis molem terrae?» *(ibid XL. 12.)* Dei misericordia vero et amor erga homines materno affectui in filios comparatur. Quare inter alia amoris teneritudine Dei viscera commoveri dicuntur. *(ibid. XLIX. 15. LXIII. 15; Luc. I. 78.)*, tum dextera eius donis redundare scribitur. *(Ps. CII. 28.)* Alibi sapientia ac scientia eius assimilatur soli omnia collustranti aut oculo ex alto cuncta prospicienti. *(Hebr. IV. 13.; Ps. XXXIII. 16.; Eccli. XV. 20.)* Iterum ut iustus atque ultor malorum esse intelligatur, confertur cum homine, qui ira corripitur, aut tempestati similis ignem spirare dicitur. *(Ps. XVII. XCVI.)* Ut ad alia transeamus, synagoga in Deum semper ingrata modo assimilatur vineae sterili *(Isa. V.)*, modo mulieri adulterae. *(Ez. XVI.)* Ecclesia vero Novi Testamenti

nunc exhibetur ut Dei sponsa ornata veste nuptiali *(Is. LXI. 10.)*, nunc ut mater ultra omnem modum foecunda filiorum *(ib. LXVI.)*, nunc ut arbor aut vitis, quae ramos ac palmites extendit undique et continuo incremento usque ad fines orbis terrarum pertingit *(Ez. XVII. 22. seqq.; Ps. LXXIX. 10. seqq.)*, nunc ut corpus organicum et Spiritu Dei animatum. *(I. Cor. XII.)* Ecclesiae praesides repraesentantur modo ut columnae, quibus ut fundamento Ecclesiae aedificium superstruitur, modo ut gregis dominici custodes ac pastores, modo ut pacis ac verae felicitatis nuntii. Notandum hic est, ex huiusmodi similitudinibus stabiliri iterato mutuas inter praepositos ac subditos relationes, inferri inde officia tum praesidum ad invicem et relate ad populum, tum iterum fidelium inter se et erga suos praepositos. *(Matth. XVI. 18.; Galat. II. 9.; Ez. XXXII.; Ioan. XXI. 15.; Rom. X. 15.)* Vita praesens mox repraesentatur ut iter ac peregrinatio in terra caliginosa ac plena periculis, mox ut certamen in arena aut cursus in stadio peragendus. *(II. Petr. I. 19.; Iob. VII. 1.; I. Cor. IX. 24. seqq.)* Ut omnibus appareat, mortem homini ex improviso supervenire, ea aut nocturno assimilatur furi aut mulieri, quae derepente doloribus partus corripitur. *(Apoc. III. 3.; I. Thes. V. 2. 3.)* Ex similitudine seminis, quod, antequam germinet, in terra corrumpitur, non solum suadetur sed et elegantissime illustratur dogma de resurrectione mortuorum. *(I. Cor. XV. 36, seqq.)* Ut hostis maligni indoles ante oculos ponatur et nos eius fraudes salubriter timeamus, vocatur modo leo, modo serpens et alia huiusmodi. *(I. Petr. V. 8.; Genes. III. 15.; Apoc. XII. 3.)* Haec et similia fere in immensum multiplicari possent. Sed allata, ut spero, sufficiunt, ut indoles elocutionis biblicae aliquatenus ob oculos ponatur. Solum advertatur quaeso, haec et similia orationis ornamenta per se non ad res et sententias sed ad elocutionem unice pertinere. Nam dubium non est, quin omnia omnino, quae sub huiusmodi imaginibus aliisque orationis ornamentis dicuntur, nudis verbis ac sine ullis similitudinibus aut per alia orationis ornamenta edici potuerint.

310. His positis igitur asserimus, totum istum, quem descripsimus, orationis ornatum, si non semper in atomo, ut dicunt, et usque ad ultimum apicem, saltem in genere et ad certum usque gradum a Deo in antecessum specialiter intentum

ac determinatum fuisse. Proinde nobis ornatus iste suo modo in Bibliis inspirationi divinae attribuendus seu elemento divino adnumerandus esse videtur. Id hac ratione ostendimus. Per hunc orationis ornatum Scripturam sacram pro fine, quem in ea edenda Deus sibi proposuit, multo accommodatiorem evadere, imo talem ornatum ex parte saltem ad eum finem fere necessarium videri; aequus nemo negabit. Intelligere enim vix possumus, qua ratione sepositis illis eloquentiae ornamentis fieri potuerit, ut res, de quibus agitur, ex una parte tam plane et ad captum omnium rudiorum etiam apte dicerentur, et ex altera parte simul omnibus tanta vis movendi, tanta sermonis pulchritudo tantaque dictorum profunditas inesset. Uno verbo non intelligimus, qua ratione sine illis eloquentiae adminiculis Scriptura multiplici usui, qualem supra descripsimus, satis convenienter aptari possit; non intelligimus, quomodo, ut verbis Augustini utar, sacra Scriptura alias sic loqui potuerit, ut, quod certe Dei intentio habebat, «altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.» Atqui, ut supra demonstratum et a nemine negandum supponimus, omnia, quae in sacris libris ad finem a Deo intentum aut necessaria sunt aut multum conducunt, elemento divino accensenda sunt. Id ergo de toto, qui Scripturae inest, eloquentiae ornatu non sine causa a nobis asseritur. Haec assertio nostra ita amplius confirmari potest. Pone, sacros libros aut omnino aut maximam partem omni orationis ornamento exui et omnia planis ac nudis verbis dici. Credo, libros ita transformatos ex communi hominum existimatione non amplius pro iisdem reputari, nec auctorem humanum, puta Isaiam, prophetias a se datas aut sermones a se prolatos sub hac forma ut suos velle recognoscere, sicut de Virgilii et Ciceronis operibus supra *(n. 304.)* diximus. Qua ergo necessitate Deum teneri censebimus, ut libros adeo immutatos sub hac nova forma ut suos recognoscat? Nulla, ut nobis videtur. Est enim Deus auctor librorum, quales de facto existunt, et modo haud absimili ab eo, quo homines auctores librorum haberi solent. Ergo eloquentiae ornatus, qui Scripturae inest, si non ut pars essentialis divini operis, saltem habendus est ut pars eius integralis, qui sine aliqua laesione operis ac sine

iniuria auctoris ab eo auferri nequeat. *(Cfr. s. Thom. 3. p. q. 60. a. 5. ad. 1.)*[1]

311. Assertio tertia. *Tandem in locis quibusdam Scripturae singularibus saltem ex parte verba ipsa et totius elocutionis formam in individuo a Deo determinata fuisse, et ita in iisdem locis ad inspirationem verbalem parum aut nihil deesse, haud improbabile est.* Etiam haec assertio primo declaranda deinde demonstranda est. Notentur ergo sequentia. Primo cum de inspiratione verborum sermonem habemus, nequaquam de verbis materialibus seu de materiali verborum sono, qualis nonnisi in uno aliquo determinato humanae linguae idiomate, puta in lingua hebraica aut graeca, habetur, loqui intendimus. Solum de verbis verborumque circuitu ac constructione in sensu formali sermonem instituimus, qualis in quocumque humanae linguae idiomate reperitur, dummodo omnino rude

[1] S. Thomas *(l. c.)* ita habet: «Etsi idem potest per diversa signa significari, determinare tamen, quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significantem. Deus autem est, qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut iudicio Spiritus sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quae res ad significandum assummatur in hoc vel in illo sacramento.» Haec, ut apparet, quoad substantiam est doctrina nostra. Ceterum quod modo diximus, utique per se et immediate solum eas Bibliorum partes tangit, in quibus similia orationis ornamenta inveniuntur. Sed suo modo haec doctrina etiam ad alias partes transferri potest, ubi stilus est simplex et ornatu speciali destituitur. Nam primo ideo oratio ibi simplex est, quia tum rei subiectae tum scopo auctoris ibi ea oratio magis convenit. Ergo et hic talis stilus suo modo a Deo intentus credi potest. Deinde in Scriptura generatim ea invenitur eloquentia, quae, ut Augustinus loquitur, viros summa auctoritate dignissimos ita decet, ut alia eos decere non videatur, quaeque non deceat alios. Quare fere ubique aliquid inveniri poterit, quod suo modo Scripturae prae aliis libris proprium humanoque sermone altius esse videatur, ut ex hac ratione iure ad Deum ut auctorem referri possit. Ceterum haec nimis urgenda non sunt. Libenter enim concedimus, multos locos reperiri, ubi sacris auctoribus pro invenienda elocutione competenti suppositis rebus admodum laborandum haud fuerit et in quibus praeter suggestionem rerum extraordinarius Dei influxus vix postulandus videatur. Aliis verbis concedimus, quoad elocutionem interdum meram assistentiam sufficere potuisse. Nam haud raro in Scripturis, quidquid ibi magni ac divini reperitur, ad res potissimum spectat, ex quibus teste Augustino per se et veluti sponte similis maiestas etiam in verba derivari solet.

et incultum non fuerit. Ut, quod volumus, clarius appareat, breviter hic repetendum est, quod theologi de formis sacramentorum docent. In sacramentis nimirum verba formae plerumque a Deo et Christo, qui sacramentorum auctor habetur, ita determinata esse censentur, ut infra certos limites iis nihil addi nihil demi possit. Neque in iisdem pro lubitu verborum ordo inverti aut eorum constructio mutari potest. Per hoc tamen non excluditur, quominus sacramentorum formae, ut dici solet, de verbo ad verbum et eadem servata constructione verborum in varias linguas verti queant. Non enim in his sonus verborum sed sensus quaeritur. *(Cfr. s. Thom. 3. p. q. 60. art. 7. et 8.)* Id igitur ad rem praesentem aliquatenus applicandum censemus et in eo sensu hic loquimur. Deinde, ut ex ipsa enuntiatione assertionis apparet, quod hic asserimus, nequaquam ad totam Scripturam sive ad omnes ac singulas Scripturae partes, imo neque ad maiorem aut absolute magnam eius partem extendere propositum est. Potius assertionem hanc ad paucos admodum locos restringendam esse censemus et totum, quod hic dicimus, ut quid extraordinarium haberi volumus. His positis en rei demonstratio.

312. Ante omnia erit forte, qui pro veritate assertionis propositae ita argumentandum esse censeat. Haud semel in Scriptura leguntur verba, quae praecise qua haec verba sunt, ex speciali ratione extrinseca merito non humana sed divina ac coelestia sunt dicenda. Talia certe sunt, quae Deus ipse data occasione per miraculum protulisse legitur, ut sunt v. gr. quae Deus in paradiso ad primum hominem et ad serpentem est locutus, aut quae ad populum Israel in monte Sinai praecipiendo promulgavit, et alia similia. *(Genes. III. 9. 22.; Exod. XX. 2. seqq.; Matth. III. 17. XVII. 5. cum parall.; Ioan. XII. 28.)* Talia deinde sine dubio habentur in sermonibus Christi Domini, prout passim in Evangeliis referuntur, talia item videntur esse, quae sacer scriptor in visione aliqua prophetica aut simili occasione ut a Deo aliisve coelicolis ad se dicta et a se audita narrat *(in Apocalypsi passim)*. Neque opponas, huiusmodi verba, quae ex ore aliorum in Scriptura referuntur, ex supra dictis *(l. III.)* immediate et in se ut verba libri sacri aut auctoris hagiographi haberi nequaquam posse, sed solum mediate libris sacris tribuenda esse. Semper enim verum manet, ibi verba, quae

sine dubio quoad res ac sententias inspirata sunt et ita verissime ad formalem Scripturae partem spectant, praecise qua verba sunt, non a terra nec ab homine sed e coelo et a Deo vel ab Angelis originem duxisse. Porro haec est assertio nostra. Forte ita oppositionem urgebis: Quomodo ostenditur, ea, quae certa occasione Deus aut Angeli sunt locuti, non solum quoad sensum sed quoad sonum etiam seu de verbo ad verbum a sacro auctore relata fuisse? Iam vero hoc est, quod ad rem praesentem simul cum aliis ostendendum esset. Ad haec ita reponimus. Etsi id, quod exigitur, omnino certo demonstrari non possit, saltem ab omnibus statim et sine demonstratione valde probabile censebitur. Quid enim probabilius, quam huiusmodi sermones, si non semper strictissime de verbo ad verbum, saltem sine nimia mutatione et prope verbatim, prout primitus pronuntiati fuerant, a sacris auctoribus relatos haberi? Quae si semel conceduntur, non omnino immerito pro nostra assertione ad huiusmodi locos provocamus. Ita enim verum manet, in huiusmodi locis non solum res ac sententias sed et elocutionem ac singula fere verba non ab homine fuisse inventa, sed magis e coelo sive a Deo originem ducere. Hoc autem est, quod nos hic intendimus et quod ad inspirationem verbalem et requiritur et merito nobis videtur sufficere aut saltem proxime ad eam accedere cognoscitur.[1]

313. Secundo, ut saepius innuendum erat, inspirationi haud repugnat et in se valde probabile videtur, in Scriptura aliquando aliquid contineri, quod vel ipse auctor hagiographus, dum scriberet, perfecte intelligere non valuit. *(s. Thom. 2. 2. q. 137. a. 4.; Cherubinus a s. Ioseph l. c. disp. III. art. 3. §. 4. n. 86.—90.*

[1] His fere alii nonnulli loci accenseri poterunt. Ante omnia illos aio, ubi referuntur sacra cantica v. gr. Mariae Virginis *(Luc. I. 46. seqq.)*, Zachariae *(ibid. 67. seqq.)*. Annae *(I. Reg. II. 1. seqq.)* etc. His adiunge Psalmos aliquos v. gr. Ps. XVII. *(cfr. II. Reg. XXII. 1. XXIII. 1.—3)*, Ps. XLIV. et Psalmum relatum II. Reg. XXIII. 3. seqq. necnon et prophetias quasdam, ut Iacob morientis *(Genes. XLIX.)* aut Balaam Ammonitae. *(Num. XXIII. XXIV.)* Haec enim omnia, ut aut ex dissertis Scripturae verbis aut ex eorum indole colligitur, sub influxu Dei omnino extraordinario prolata fuerunt, qui sine dubio ex natura sua saltem aliqualenus in verba etiam redundasse dicendus est; de cetero vix est dubium, quin haec fere ad verbum, prout prolata fuerant, in Scripturam sint relata.

art. 6. §. 2. n. 17. 18.; Bonfr. l. c. c. 20. sect. 6.) Quod ut magis suadeatur, ante omnia provocare possumus ad certas partes Apocalypseos Ioannis Apostoli. *(Apocal. passim.)* Deinde lectorem ad nonnullas prophetias Veteris Testamenti remittere licet. *(Ezech. I. 4. seqq. XL. seqq.; Daniel passim.)* In his enim et similibus tum imagines rerum praedictarum, quae ibi describuntur, tum verba, quibus textus sacer utitur, interdum adeo obscura esse videntur, ut ea omnia ante rerum eventum perfecte intelligere et explicare homini singulari impossibile merito dici possit. Imo dubitari saltem licet, an ea ante rerum eventum vel ab Ecclesia ipsa, quae ipsis Prophetis certe inferior non est, quoad omnia e vestigio perfecte explicari possint. Quodsi ita est, quaenam quaeso ratio nos cogit supponere, ea a sacro auctore, dum scriberet, quoad omnia perfecte fuisse intellecta? Huc deinde referri possunt loci plures Veteris praesertim Testamenti, in quibus sub sensu literali latet sensus mysticus. Talis enim sensus merito quoad multa maxime absconditus dici potest et quoad nonnulla nonnisi a Christo Domino aut ab aliquo ex Apostolis, qui fuerunt praecones Novi Testamenti, suo tempore plane patefactus fuit. Quare temerarium non videtur, si suspicari volueris, sacro auctori, qui primitus ea scripsit, forte non omnia mysteria, quae sub rebus ibi relatis continentur, undequaque perspecta fuisse; sicut de synagoga aut de quovis alio viro quantumvis spirituali et illuminato Veteris Testamenti idem suspicari nequaquam impossibile aut temerarium apparet. Exempla plus minus probabilia habes, ubi in libris Veteris Testamenti inter alia Salomon exhibetur tamquam typus Christi *(cfr. II. Reg. VII. cum parall. ex I. Paral.; Ps. II. et LXXVIII.; Hebr. I. 5.)*, aut ubi populus Israel ex Aegypto liberatus exhibet figuram Christi ex Aegypto redeuntis. *(Osc. IX. 1.; Matth. II. 15.)* His adde nonnullos Psalmos *(Ps. XL. 10.; LXVIII. 26.; CVIII. 8. coll. Act. I. 16.—10)*, qui teste Petro Apostolo prophetiam continent de Iuda proditore. Item huc referri possunt ea, quae de primogenitorum oblatione et de purificatione puerperae per Moysen in lege *(Exod. XIII. 2.; Lev. XII. 2.)* praescripta erant, si pro vero habetur, quod magni auctores aperte docent *(cfr. s. Thom. 3. p. q. 37. art. 3. et 4.; Suarez in 3. p. s. Thom. part. II. disp. XVI.; Maldonat in Luc. II. 23.)*, si ex Dei dispositione, inquam, factum creditur, ut in

enuntianda lege illa ea verba ponerentur, quibus ex una parte Christus Dominus eiusque Mater Virgo ob miraculosam conceptionis partusque rationem nequaquam tangerentur, et ex altera parte conceptus ille partusque admirabilis in antecessum tacite innueretur.[1] Sed satis de exemplis. Quaeris nunc: Quid ex his pro re, quam hic agimus, concludi potest? Audi. Si conceditur, scriptorem sacrum, quae scripsit, non semper quoad omnia perfecte perspecta habuisse; simul concedendum erit, eundem in huiusmodi locis aut verba ipsa a Deo dictata accepisse aut saltem in iisdem seligendis speciali modo fuisse gubernatum. Ita enim et non alia ratione fieri potuit, ut verba, quae homo posuit, ubique totam, quam Deus volebat, significationem non admitterent solum, sed et aliquo modo subindicarent, prout non solum natura sensus literalis omnino exigit sed et sensus mysticus proprio iure sibi postulare videtur. *(Cfr. Franzel. de Verb. incarn. thes. III. n. II. n. 18.)* Inde, ut apparet, consequens est, ut huiusmodi loci ab inspiratione, quae verbalis appellatur, parum aut nihil abesse dicendi sint.

314. Tandem occurrunt in Scriptura hinc inde loci, in quibus ex una parte profundissima fidei nostrae mysteria proponuntur, ex altera vero parte, quae adhibentur, verba iis rebus exponendis adeo apta esse inveniuntur, ut per ea tum pro definitionibus ecclesiasticis tum pro scholis theologicis tum pro instructione catechetica populi solemnis et vera loquendi ratio praeformata esse videatur. Haec res magnam certe meretur considerationem. Sicut enim in huiusmodi rebus aptum per omnia terminum invenire difficillimum apparet *(cfr. Suarez de fide disp. V. sect. 3. n. 5.)*; ita huiusmodi terminum, qui tum mysterium per omnia accurate exprimat tum omnibus etiam rudioribus aptus notusque sit, revera invenisse, certe maximae utilitatis est. Nam si teste Hieronymo ex verbis temere prolatis haereses oriuntur:[2] pariter per verba accurate dicta multi errores praecaventur. Unde fit, ut pastores gregis Christi ac theologi ecclesiae, praecipue ubi de formulis dogmaticis

[1] Aliud exemplum habes in principio Geneseos *(I. 2.)*, si ibi cum Calmet *(in h. l.)* spiritum Dei secundum literam ventum validum intelligis, secundum mysterium vero Spiritum sanctum vivificatorem.

[2] Cfr. Hieron. in c. V. ad Galat.; s. Thom. 3. p. q. 16. a. 8.

agitur, circa modum loquendi maxime circumspecti semper fuerint. Porro iidem semper, quantum fieri potest, formulas dogmaticas de verbo ad verbum ex sacra Scriptura derivare studuerunt. Ratio in eo est, quia persuasum ipsis erat, in hunc etiam finem Scripturam datam fuisse et generatim loquendo de rebus fidei vix alibi accuratiores loquendi formulas reperiri posse. Quae cum ita sint, non sine ratione supponitur, Deum circa usum verborum in locis huiusmodi infirmitati hominum succurrere hominumque ingenium inspiratione sua antevertere voluisse. Quod si verum est, simul dicendum erit, in locis huiusmodi verba et totum elocutionis modum specialiori ratione a Deo descendere, et locis illis, qui talem usum habent, ad inspirationem verbalem parum aut nihil deesse. Restat, ut exempla huius rei plus minus probabilia in medium proferamus. Occurrunt nobis sequentia, quae, si non sunt certa, saltem aliquo modo verosimilia haberi poterunt. Notum est, secundam personam ss. Trinitatis in Scriptura haud semel dici Patris *Verbum*, *λόγος. (Ioan. I. 1.; I. Ioan. V. 7.; Apoc. XIX. 13.)* Tertia persona Trinitatis nomine velut proprio vocatur *Spiritus sanctus*, *τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*. Deinde suo loco personae divinae, ut significetur earum unitas in natura, *unum*, *ἕν* esse dicuntur. *(Ioan. X. 30.; I. Ioan. V. 7.)* Alibi Verbum Dei *caro factum* scribitur, *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο (Ioan. I. 14.)* et in alio iterum loco *(Phil. II. 6.—8.)* de eodem mysterio legimus: «Qui cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit formam servi accipiens . . . et habitu inventus ut homo.» *ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων . . . ἑαυτὸν ἐκένωσεν, μορφὴν δούλου λαβών . . . καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος.* Homo interne reparatus per baptismum *nova creatura*, *καινὴ κτίσις* nominatur. *(Galat. VI. 15.)* Sacramentum baptismi Paulo est *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti*, *ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. (Tit. III. 5.)* Sacri libri ob divinam eorum originem, ut vidimus, quam aptissime *divinitus inspirati* dicuntur, *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος (II. Tim. III. 16.)* Quis in huiusmodi locis etiam quoad elocutionem digitum Dei agnoscere gravabitur? Quis pro huiusmodi phrasibus non specialiorem Dei concursum postulandum censebit, qui singula fere earum verba attingeret? *(Cfr. Cherubinus a s. Ioseph. crit. sacr. disp. III. art. 3. §. 1. n. 11.—14. art. 4.*

§. 1.; Antoine theol. specul. et dogm. tract. de fide sect. 4. c. 1. art. 4. §. 2. obi. 2.; Schneeben, Kathol. Dogm. Band 2. Abth. 2. n. 123. in fine.)

315. Conclusio. *Si denique generalis quaeratur regula, qua determinari possit, quousque generatim quoad elocutionem dementum divinum extendendum sit; alia melior et accuratior statui posse non videtur, quam quae ex versionibus in ecclesia receptis desumitur. Quapropter in agnoscenda ac defendenda inspiratione verborum generatim non multum supra illum gradum, quem hae versiones in sequendo textu originali tenuisse inveniuntur, ascendere licebit, nec multum infra illum descendendum esse videtur.* Assertio haec ita intelligenda est. Si inspiciantur versiones Bibliorum, quae in Ecclesia aut in usu sunt aut aliquando in usu fuerunt; statim apparet, eas non semper de verbo ad verbum sequi textum originalem. Inveniuntur enim in iisdem haud semel plus minusve mutata verba, phrases ac constructio verborum; una vel altera metaphora aliudve orationis ornamentum ibi interdum omittitur aut in aliud, quod affine est, commutatur. Simul tamen observare licet, hanc cum textu originali discrepantiam quoad locos praecipuos tum raram admodum in his versionibus tum modicam semper esse. Quare generatim dici potest ac debet: In versionibus istis eadem servatur elocutionis indoles idemque manet stilus, qui in textu originali reperitur. Ex his in rem nostram ita concludimus. Notum est, linguam humanam generatim magna pollere flexibilitate. Quare dubium non est, quin plerumque omnia ac singula statim ab initio in textu originali ita dici potuerint, sicut modo in hac vel illa versione authentica dicta inveniuntur. Per haec ante omnia manifesto apparet, fieri posse, ut in eodem linguae idiomate eadem sensa diversis verbis exprimantur, et nihilominus quoad substantiam eadem elocutionis indoles servetur in utrisque. Deinde per haec item, quod hic praecipue agitur, aliquatenus indicatur, quomodo et intra quosnam limites id locum habere possit. Quare praedictis observationibus inhaerentes ultimatim haec statuimus. Deus, qui ex dictis tamquam primarius sacrorum librorum auctor pro iisdem libris aliquatenus etiam stili curam gerere et elocutionem determinare debuit, hominibus, quorum opera in edendis libris uti voluit, in verbis eligendis et generatim circa stilum et elocutionem

tantam libertatem concessisse credendus est, quantam Ecclesia concessit ac concedit iis, qui pro usu ecclesiastico Biblia in aliam linguam vertere aggressi fuerint. Ad maiorem declarationem per modum temperamenti addimus: Forte libertas, quae a Deo hagiographis circa usum verborum concessa fuit, in pluribus terminum praestitutum paululum excedere poterat; at non multum excessisse, nobis persuasum est. Assertio ita declarata demonstratur ante omnia quoad primam partem hoc modo. Versiones, quibus Ecclesia usa est et utitur, semper pro inspiratis habitae sunt. Imo in Ecclesia persuasio vigere videtur, versiones authenticas quoad rei substantiam textui originali in inspiratione nullatenus postponendas esse. Id inter alia ex eo apparet, quod ecclesia Romana, quae ceterarum mater et caput est, textu originali parum admodum utitur aut unquam usa est. Iam vero qui inspirationem quoad verba ac stilum ultra eum, quem indicavimus, limitem urgendam esse censeret; is ex dictis versiones omnes, quales in usu aliquando fuerunt, aut simpliciter inspiratas dicere non posset, aut saltem easdem textui originali aperte postponere cogeretur et ita sensui ecclesiastico parum concors appareret. Altera nostrae assertionis pars item ex dictis per se consequitur. Qui enim quoad stilum eloctionemque verborum sacris auctoribus multo maiorem libertatem vindicare voluerit, is ea amplius retinere non poterit, quae a nobis in assertionibus supra positis demonstrata sunt. Id, si opus est, hac ratione facile demonstratur. In hac hypothesi circa stilum Scripturae salva in omnibus inspiratione satis magna mutatio fieri et Scriptura sacra omnibus fere elocutionis ornamentis privari posset. At tunc profecto quaerere licet: Quomodo Scriptura sub hac forma a praesenti adeo diversa ad multiplicem illum, quem supra indicavimus, finem aeque apta remanebit? Quomodo illam, quam Augustinus pro ea postulat, retinebit virilem eloquentiam, quae decet libros summa auctoritate dignissimos, nec ipsos decet alia nec alios ipsa? Uno verbo qui, quod hic contendimus, in dubium vocaverit, parum aberit, quin omnes sacrae Scripturae paraphrases, quae sensum non immutant, qualis est v. gr. illa notissima, quam Piconius Pauli epistolis adiunxit, aut quales habentur in sic dictis antiquorum temporum Targumim, inspiratas dicere et fateri

cogetur. eas quoad inspirationem prae textu vero in nullo inferiores exsistere.[1]

Scholion. 316. Per has assertiones nequaquam. prout cuipiam primo aspectu videbitur, ad verbalem inspirationem. quam supra exclusimus, relabimur. Neque argumenta, quae contra inspirationem verbalem suo loco attulimus, assertiones hic positas ullatenus tangunt aut destruunt. Id ante omnia suadetur auctoritate s. Augustini, quem in tota hac re ducem potissimum secuti sumus. Quod ut manifestius apparcat, haec perpendenda sunt. Omnia, quae sanctum Doctorem de eloquentia ac stilo sacrorum librorum dicere audivimus, directe de latina editione eius temporis dicta sunt, quam certe Augustinus non solum versionem esse optime noverat sed et a textu originali in phrasi ac verbis haud semel discedere haud ignoravit. Imo simul eundem Doctorem data occasione inspirationem verbalem aperte impugnantem audivimus. Ergo Augustinus ea, quae nos cum ipso tum de indole stili diximus tum contra inspirationem verbalem asseruimus. ut compossibilia habuit. Et revera quae nos cum s. Doctore in locis allatis de superna stili indole docuimus, inspirationem verbalem nequaquam postulant. Si deinde res per se et magis in particulari consideretur, ante omnia ea. quae in prima et secunda assertione nostra et in conclusione finali posita sunt, inspirationem verbalem haud continere, per se clarum est. Ergo si qua manet difficultas, illa in eo est, quod tertio loco asseruimus. Id revera ad inspirationem verbalem aliquatenus accedere, libenter concedimus. Nihilominus, ut omnia amice inter se concilientur, haec advertimus. Ante omnia recolendum est, ex sententia nostra, quod tertio loco posuimus, ad paucos admodum locos restrin-

[1] Hoc et non aliud voluit dicere Hieronymus *(epist. 57. n. 5. ad Pammach.)* istis verbis: «Profiteor, me in interpretatione Graecorum absque Scripturis sanctis, ubi et verborum ordo mysterium est, non verbum e verbo sed sensum exprimere e sensu.» Item ex his inter alia diiudicanda erit quaestio, an in libris, qui sub duplici aut multiplici recensione, ut aiiunt, exstare inveniuntur, ut v. gr. accidit circa librum Tobiae, omnes ac singulae recensiones pro inspiratis retineri possint. Dixi inter alia, nam in hac quaestione ante omnia ad res et sensum et nonnisi secundario ad verba et ad stilum attendendum erit. Quare de his plura alio loco. *(Cfr. n. 320.)*

gendum esse. At ii, qui in sensu consueto inspirationem verbalem defendunt, suam doctrinam ad omnes et singulos Scripturae locos extendendam esse censent. Quare et nos, dum supra inspirationem verbalem impugnavimus, hanc sententiam, quae ubique verborum inspirationem postulat, et non aliam prae oculis habuimus. Et revera argumenta, quae suo loco contra inspirationem verbalem attulimus, solum inspirationem, quae stricte verbalis est et insuper aut ad omnia ac singula aut saltem ad maiorem aut absolute magnam Scripturae partem extenditur, efficaciter impetere, consideranti facile patebit. Denique nos, ut ex dictis patet, neque quoad paucos illos locos, quos in assertione nostra tertia prae oculis habuimus, in rigore aliquid asseruimus, quod inspirationi verbali stricte dictae per omnia perfecte aequivalet. Relinquitur ergo discrimen satis magnum ac multiplex inter nos doctrinamque nostram et inter defensores inspirationis verbalis, prout ea communiter concipitur.

LIBER SEPTIMUS.

Quomodo liber inspiratus esse cognoscatur?

317. In libris praecedentibus, quantum fieri potuit atque opportunum videbatur, inspirationis existentia et natura eiusque proprietates, consequentiae ac limites expositi sunt. Post haec ad totius operis complementum id unum restare videtur, ut paucis de modo atque mediis agatur, quibus inspiratio agnosci, et liber inspiratus ab aliis, qui inspirati non sunt, tuto discerni possit. Haec inquisitio ab instituto nostro aliena non videtur. Nam, ut quisque videt, postquam de natura inspirationis dictum est, consequenter de Scripturae canone agendum erit. Iam vero sicut de canone Scripturae agere non potes, nisi criterium praesto sit, quo libri inspirati ab iis, qui inspiratione destituuntur, discernantur; ita, ut per se patet et ex dicendis amplius patebit, ubi de huiusmodi criteriis diiudicandis quaeritur, prae primis ad inspirationis conceptum ac naturam recurrendum est. Quare iure hoc ultimo libro de criteriis

inspirationis tractandum proposuimus. Ut deinde tractationis ordinem breviter delineemus, haec notamus. Sicut generatim rei cuiusque ita et inspirationis criteria naturaliter in *negativa* ac *positiva* dividi possunt. Negativa criteria ea dicimus, quae, si in libro aliquo reperiantur, aperte ostendunt, librum illum haudquaquam inspiratum haberi posse. Positiva criteria ea sunt, quae librum revera inspiratum essa positivis rationibus demonstrant. Quare praesens liber duo naturaliter capita complectitur, quorum prius agit de criteriis negativis, de positivis alterum. Tandem simul cum his criteriis et quasi incidenter trademus etiam principia, quae in quaestionibus nostrae affinibus maxime attendenda sunt, ut si quaeritur, qua praecise aetate aut quo tempore, a quo auctore, aut etiam qua ratione quibusque mediis liber aliquis, qui inspiratus creditur, aut una vel altera eius pars conscripta sit aut conscribi debuerit.

CAPUT PRIMUM.

De criteris inspirationis negativis.

318. Dum de criteriis sive de indiciis quaeritur, quibus tuto concludi possit, certum librum haudquaquam inspiratis esse accensendum; *quatuor* potissimum *capita* sese offerunt, ex quibus huiusmodi criteria derivari posse videntur. Ante omnia enim attendi potest *materia* sive res et argumentum, quod tractatur; deinde *tempus,* quo liber scriptus esse cognoscitur, perpendendum est; tertio loco consideranda est *persona auctoris;* denique attendenda, si quae exstat, *testificatio extrinseca.* Igitur circa ista, quae de singulis scitu digna esse videntur, ex ordine tractabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De criterio negativo, quod ex materia libri derivatur.

319. Assertio generalis. *Liber, qui in re quacumque errores continet manifestos, aut de rebus tractat, quae aperte scurriles sunt aut saltem omnino inutiles ac pro religione maximam partem plane indifferentes, inspiratis annumerari nequit;*

extra hunc casum vero ex sola materia certum argumentum contra inspirationem sumi nunquam potest. Quod in priore parte huius propositionis ponitur, vix patitur difficultatem. Id enim iam ex iis, quae data occasione supra innuimus, demonstratum haberi potest. Demonstravimus enim multis, quod et res ipsa per se clamare videtur, per inspirationem, quae vere ac proprie hoc nomen mereatur, omnem a libro errorem excludi: monstravimus nominatim, nec eos errores excipiendos esse, qui in se minimi videntur et materiam religiosam directe nullatenus attingunt. Inde immediate tres inferuntur consequentiae, quas propter rei gravitatem expresse subiiciendas censemus. Prima igitur consequentia haec est. Si liber aliquis deprehendatur in re quacumque pugnare cum alio libro, qui citra omnem dubitationem ut inspiratus retinendus est, aut si idem liber utcumque alicui fidei dogmati, quod ex sensu ac doctrina Ecclesiae communiter receptum est, contrarius appareat; tunc liber iste ex inspiratorum canone certissime reiiciendus est. Idem omnino secundo valere debet, si liber aliquis secum ipse pugnare inveniatur. Nec refert, in qua materia repugnantia illa accidat. Ratio horum est manifesta. Cum enim teste veritate duo contraria simul vera esse non possint, talem librum ab errore immunem esse non posse, in comperto est. Quare solum in certis casibus dubium manere poterit, quale ex duobus contrariis verum sit, quale falsum.

320. Placet huius doctrinae unam vel alteram applicationem addere, quae satis practica esse videbitur. Igitur ubi certa Bibliorum versio invenitur pugnare cum textu primitivo i. e. cum textu originali, de cuius genuinitate dubitari non possit; ibi neque versio in se neque eius versionis sententia ut inspirata haberi poterit. Item ubi tum eiusdem libri diversae recensiones habentur, et quaenam ex iis originalem textum contineat aut propius ad eum accedat, ignoratur, tum ex usu ecclesiastico omnes istae recensiones in communi certa quadam auctoritate gaudere videntur *(cfr. Gutberlet Buch Tobias, Einleitung);* saltem in locis, ubi non solummodo disparata sed aperte contraria dicere deprehenduntur, nonnisi una ex istis recensionibus inspirata esse potest. Quare in his adiunctis id unum quaeritur, quaenam ex pluribus contrariis lectionibus ceteris praeferenda sit. *(Cfr. Gutberlet l. c. ad III. v. 7.)*

Idem consequenter tenendum est, ubi de variis Bibliorum versionibus agitur, sicubi sibi invicem manifesto contradicere inveniantur. Tertia consequentia ex superioribus haec est. Liber, in quo aliquid asseritur, quod manifesto opponitur[1] veritati ordinis naturalis plane indubiae — sive eius rei notitia ex idearum analysi ac ratiocinio, sive per experientiam sive per testificationem historicam hauriatur, parum refert — pro inspirato retineri non poterit. Libet etiam hic applicationem practicam adiicere. Sit certus quidam liber, qui testetur expressis verbis de seipso, quod in tali loco, aut tali tempore aut a tali viro sit compositus. Pone, de libro isto circa unum vel alterum quibuscumque demum mediis atque argumentis invicte demonstrari contrarium. Demonstretur, inquam, eum librum aut non posse esse compositum tali in loco, aut non tali tempore, aut non a viro tali. Eo ipso ex dictis de inspiratione eius libri actum erit, quia liber ab errore immunis non est.[2]

---

[1] De textu originali et incorrupto loquimur.

[2] Haec prae oculis habenda sunt, ubi quaeritur de inspiratione libri Sapientiae. Nemo enim nescit, legi in eo libro plura, quae utpote ex Salomonis persona prolata Salomonem auctorem libri indicare videntur. *(Cfr. Sap. VI. 27. VII. 1. seqq.)* Si ergo ex una parte constaret, verba loci illius praeter sensum illum, quo Salomonem auctorem illius libri exhibent, nullam sanam interpretationem admittere, et si ex altera parte invictis argumentis demonstratum supponitur, librum Sapientiae multis annis post Salomonem, aut extra Iudaeam, puta in Aegypto, aut lingua Salomoni penitus inusitata atque ignota, qualis graeca merito censetur, fuisse editum; tunc de inspiratione huius libri actum foret. Quare qui inspirationem istius libri retinere et ab impugnationibus vindicare voluerit, aut ea, quae auctores recentiores haud spernendis innixi rationibus de tempore ac loco scriptionis et de lingua primitiva huius libri docent, reiicere cogitur, aut aliam illius loci interpretationem proponere compellitur. Ceterum nos talem interpretationem revera inveniri posse, non negamus. Quia tamen haec longius persequi ad nos non spectat, haec brevissime indigitamus. Qui ista plene dilucidare volunt, ante omnia inquirant, an suspicari liceat, quae in illo loco habentur, ab auctore, qui Salomone multo posterior fuit, revera ex scriptis Salomonis, quae nobis ignota sunt, aut ex aliis Salomonis dictis sive traditione sive revelatione divina ad ipsum derivatis in librum Sapientiae fuisse translata. Quod si probabile haud videtur, ulterius dubitari licet, an dicendum sit, auctorem nostrum in eo loco sententias, quas tum Deo inspirante tamquam veras ac sapientissimas cognoverat, tum simul Salomone sapientissimo dignissimas et suo tempore haudquaquam incompertas iudicaverat, ut maiorem eis in vulgo auctoritatem conciliaret, per modum figurae rhetoricae non ex propria

321. Una oritur contra hanc doctrinam difficultas. *Cur ob unicum errorem totus liber inter profanos reiiciendus est? Cur quod de una solum parte ostenditur, statim ad omnes alias extenditur?* Nonne licebit negationem inspirationis ad illum locum restringere, qui errorem continere deprehenditur, et ceterum librum ut inspiratum retinere? Haec difficultas spernenda non est et maiorem totius rei declarationem flagitat. Nam si redeamus animo ad exemplum de libro Sapientiae, quod supra *(n. 320. in nota)* tetigimus, statim apparet, quanti momenti haec res aliquando esse possit. Diximus enim, de inspiratione illius libri actum fore, si demonstrari posset, auctorem sese ut Salomonem venditare, dum reapse alius et Salomone multo posterior fuerit. At si id, quod per modum dubii proposuimus,

---

sed ex Salomonis persona proferre voluisse, quin tamen ullo modo Salomonem auctorem illarum sententiarum aut illius libri dicere intenderit. *(Cfr. Gutberlet Buch der Weisheit, Einleitung §. 1.)* Sic qui de hac quaestione tractant, tuto ad cetera procedere poterunt. Unum adhuc pro hac et pro similibus quaestionibus notandum occurrit. In huiusmodi quaestionibus nunquam non verba, de quibus agitur, diligentissime perpendenda nec ultra eorum vim ac scopum extendenda sunt. Huius rei exemplum inter alia habes in Bonfrerio *(l. c. c. 16. sect. 5. in fine)*, qui ita scribit: «Verum petes, quomodo ea debeat censeri versio authentica *(de graeca loquitur)*, quae non cum fonte seu cum originaria lingua consentit? Item quomodo dici possunt dixisse Isaias, Ieremias, David etc., quae ipsi non dixerint? Id enim fit, si graeca ab hebraico discordent.» En casus nostro omnino similis. Audi, quid hic auctor reponat. «Respondeo, inquit, optime posse dici, totum corpus libri vel prophetiae esse huius vel illius primi scriptoris hagiographi, etsi paucula sint mutata vel addita, sicuti omnes fere concedunt, paucula esse addita libris Moysis, quia id, quod additum est, tam exiguum est, ut pro nihilo haberi possit *(ubi silicet de auctore integri libri quaeritur)*. Aliter est, si particularis aliqua sententia diceretur esse Isaiae vel alicuius alterius auctoris, quam tamen ipse in originaria lingua nunquam protulisset; tunc enim non tam vere et proprie dici posset ea sententia esse illius auctoris hagiographi.» Haec Bonfrerius. Addimus, fieri posse, ut dum legimus: «Dicit Isaias» aliud significari non intelligamus, quam sententiam, quae in medium affertur, legi in libro, qui Isaiae nomine inscribitur. Quare cum v. gr. per additiones posteriores aliena manu factas titulus libri mutari non soleat, etiam ubi de sententia ab alio addita agitur, cum veritate dici poterit: «Isaias dicit» aut «penes Isaiam legimus», dummodo sententia inspirata esse supponatur. Ex his ac similibus principiis solvendae sunt difficultates, quae ex nonnullis citationibus Evangeliorum *(Marc. I. 2; Matth. XXVII. 9.)* contra eorum inspirationem enascuntur. Accuratiorem rerum explicationem vide penes intrepretes v. gr. Maldonatum. *(in hh. ll.)*

concedendum foret, tunc pro defendenda inspiratione huius libri etiam in hac hypothesi aliqua via aperta remaneret. Tunc enim dici posset: Auctori illius libri solummodo, dum pauca illa scriberet, inspirationis charisma defuit. Quare in ea libri parte ex fragilitate humana mendacium illud ipsi excidere potuit. Ceterum in aliis omnibus eundem auctorem inspirationis charismate nequaquam caruisse retinendum est. Huic pro rei gravitate aliud exemplum addimus. Plures Patres ac theologi opinati sunt *(Aug. de civ. Dei l. XVIII. c. 42; Serar. l. c. c. 17; Bonfr. l. c. c. 16. sect. 4.—6.; Mariana l. c. c. 13. 15; Ios. Acosta de vera interpret. ratione l. II. c. 17.—20. cfr. Franzel. de div. Script. thes. I. in nota),* versionem graecam, quae septuaginta viris tribuitur, qua talem inspiratam i. e. sub extraordinario inspirationis charismate confectam fuisse.[1] Quaeritur igitur: Numquid ad hanc opinionem penitus refutandam ostendere sufficit, eam versionem aliquando textui originali aperte contradicere ac proinde necessario utut in re levi hinc inde unum vel alterum errorem continere? Aliis verbis quaeritur: An forte fautores illius doctrinae ad hoc argumentum iure merito respondere possunt: Concedimus, interpreti in paucis illis locis, qui ab originali textu non solum utcunque recedunt, sed eidem plane contradicunt, inspirationis charisma defuisse; at negamus, inde contra inspirationem aliarum partium ac totius operis certi aliquid concludi posse. Quare operae pretium esse videtur manifestius declarare, quid de tota hac re iuxta veritatis normam censendum sit. En quid nobis de hac re dicendum videatur. *Absolute quidem impossibile non apparet, ut unus idemque auctor in componendo uno eodemque libro modo inspirationis charismate caruerit, modo eodem charismate instructus*

[1] Idem aliqui etiam de vulgata latina docere aut supponere visi sunt. *(Mariana l. c. c. 22. 23.)* Consulto de inspiratione versionis qua talis loquimur, quia fieri potest, imo ex dictis necessario fit, ut opus, quod non solum nomen versionis Bibliorum prae se fert sed tale nomen revera meretur, licet in se sub charismate inspirationis nequaquam fuerit editum, tamen in plurimis omnino locis libri inspirati characterem retineat. Retinebit nimirum characterem libri inspirati in locis omnibus, ubi cum originali satis concordat. Sed tunc, prout per se patet, non de inspiratione propria et originaria sed de inspiratione ab originali derivata sermo est. Nos autem hic non de inspiratione huiusmodi, quae aliunde derivata est, sed de inspiratione propria et originaria loquimur.

fuerit. Absolutam rei possibilitatem proprio argumento demonstrandam haud censemus: est enim per se satis manifesta. Ubi enim in ea impossibilitas aut contradictio deprehenditur? Totum vero, quod praetenditur, multo magis possibile apparet, ubi de libro sermo est, qui in se non adeo strictam unitatem habere videtur ac de rebus agit diversissimis. Ita, sicut per se patet, fieret, ut liber ipse partim sit inspiratus partim non. Ista res ad eum fere modum concipienda foret, quo teste Gregorio Magno *(homil. I. in Ezech. cfr. hic n. 138.)* Prophetis interdum accidit aut saltem accidere potuit, ut, dum spiritu prophetico loquerentur, aliquando aliquid de suo dixerint ac rebus inspiratis profani aliquid immiscuerint. Cum hoc consequenter aliud connectitur. In hac scilicet hypothesi pari probabilitate accidere potuisse concedendum est, ut scriptor in iis, quae de suo immiscuisse supponitur, a veritatis tramite deflexerit. In aliis vero, quae inspiratus scripsisse supponitur, ut per se patet, falli nullatenus potuit. At licet hic casus in Prophetis absolute possibilis esse conceditur, tamen simul certum nobis est, *hunc esse casum omnino extraordinarium.* Quare quae dicta sunt, de absoluta possibilitate dicta esse intelligantur. Longe enim aliter iudicamus, ubi aut de facto aut de verosimili quaeritur. Igitur ut propius ad rem nostram accedamus, ante omnia hypothesim, quam fecimus, tum rerum naturis, tum inspirationis fini, ut minimum dicamus, parum convenientem esse censemus. Quod ita manifestius ostenditur. Liber, qui hoc nomen vere mereatur, ex natura sua quoad omnes partes certam aliquam imo magnam conformitatem unitatemque habere debet. Quare sicut liber quilibet merito in omnibus suis partibus ab uno eodemque auctore compositus esse praesumitur, ita eundem in omnibus eandem quoad substantiam auctoritatem prae se ferre, pari iure praesumendum est. Ex his ulterius praesumendum esse cognoscitur, auctorem libri cuiuscumque in edendo libro suo saltem quoad rem praecipuam constantem sibi permansisse, nec, quod ad scientiam et auctoritatem in librum derivandam spectat, dum scriberet, admodum notabilem subiisse mutationem. Atqui si liber aliquis ex parte inspiratus esset et ex parte non, liber iste ante omnia non unum haberet auctorem sed duos eosque aeque principales, Deum scilicet et hominem. Deinde in ista

hypothesi, ei, qui librum in continenti exterius scripsit, maxima et substantialis quoad rem internam mutatio accidisse supponenda foret; cum haud semel ex inspirato in non inspiratum transiisse inveniatur et vice versa. An non violenta apparere debet ea suppositio, quae dicit, Deum in scribendo libro aliquo humano auctori ita adfuisse, ut ad horam eum inspirationis charismate, quo omnis error essentialiter excluditur, liberaliter praevenerit, et ad horam iterum eundem in errores incidere permiserit? Ita fieret, quod profecto monstruosum fere merito videtur, ut eidem libro ex Dei intentione in certis quibusdam locis ob inspirationem summa reverentia deferenda sit, dum eidem in aliis impune omnem fidem detrahere possemus et sub certa hypothesi omnino detrectare deberemus. Quaerimus: Quidnam est, quod Deum, ut ita monstruose ageret, impellere potuit? Cuinam fini talis liber satis commode inservire posset? Saltem unum ab omnibus concedendum est. In tali casu ad Dei providentiam certissime pertinere convincitur, ut homines de insolita huius libri indole accurate edoceat, certamque normam eisdem suppeditet, qua huius libri partes inspiratas a non inspiratis tuto discernere possint. Aliis verbis idem fere ita proponi potest. Res adeo extraordinariae, qualis foret liber ex parte inspiratus et ex parte non, nullatenus praesumendae sed, priusquam admittantur, invictis argumentis demonstrandae sunt. Quare summo iure conclusionis loco sequens principium statuere licet. *Statim ac in libro aliquo vel minimus error invenitur, inde adeo validum exoritur praeiudicium, talem librum ex integro profanum esse, ut hoc praeiudicium nonnisi per manifestam Dei testificationem in contrarium tolli possit.*[1] His

[1] Ex his consequitur, versiones graecam ac latinam qua tales inspiratas esse non posse. Nam ex una parte apud omnes in confesso est, eas versiones in aliquibus locis, quibus tamen fides bonique mores non laeduntur, tum pugnare inter se tum a textu originali discrepare. Ex altera vero parte, quae pro earum inspiratione afferuntur, tanti non sunt, ut manifestae testificationi divinitus editae de ipsarum inspiratione aequivalere videantur. Per hoc, ut patet, nullatenus negare intendimus, sacros libros sub forma harum versionum manere inspiratos. Versiones enim istae, prout omnibus notum est, maximam saltem partem cum textu originali praecipue quoad sensum optime concordant. Quare versiones istae sine dubio inspirationem a textu originali derivatam habent. Insuper, ut ex dictis paulo ante (*n. 320. in nota*) deducitur, ob paucula quaedam,

deinde aliam considerationem adiungimus. Factum quod spectat, nullibi probabile aliquod libri, qui ex parte tantum inspiratus sit, vestigium in historia revelationis comparere invenitur. Si vero reapse liber fingatur existere, qui ex parte inspiratus sit et ex parte non; hic liber canoni nostro nullatenus inserendus neque ullo modo nostris libris inspiratis comparandus foret. Ratio est manifesta. Noster canon, ut ex dictis *(l. I.)* colligitur, nonnisi libris constare cognoscitur, qui in omnibus suis partibus inspirati sunt; ideoque huiusmodi liber a nostris libris canonicis longissime distaret. Unde, ut patet, eadem ratione, qua nostri, i. e. simpliciter et sine ulla restrictione tuto inspiratus dici non posset.

322. *Secunda pars* assertionis haec erat: *Liber, qui de rebus tractat, quae aperte scurriles sunt aut saltem omnino inutiles ac pro religione maximam partem plane indifferentes, inspiratis annumerari nequit.* Haec facillime demonstrantur. Charisma inspirationis et, qui inde derivantur, libri inspirati sicut et cetera dona gratis data ex natura sua in spiritualem hominum utilitatem ordinantur *(cfr. I. Cor. XII. 17.)* Atqui liber, qui fere continuo nonnisi de rebus scurrilibus aut inutilibus tractat sive, quod in idem recidit, liber, qui vel ex toto vel maximam saltem partem res continet, quae quoad vitam religiosam plane indifferentes esse deprehenduntur, ab huiusmodi fine longissime abest. Hac de causa, etsi v. gr. adhuc in scriptis superessent, quae Salomon inter alia de animalibus ac plantis sapientissime disputasse dicitur *(III. Reg. IV. 33.)*, licet ab auctore scripta fuerint, qui aliunde inspirationis charismate prae primis excelluit; libri isti ob solam materiam, quam tractant, ex canone librorum inspiratorum tuto reiici posse viderentur.[1] *(Cfr. Bonfr. l. c. c. 6. sect. 2. et 3.)* Idem

quae in aliquo libro aliunde introducta et textui primitivo extranea inveniantur, totus liber denominationem generalem in communi penitus amittere non videtur. Aliud est, si talem denominationem ad partes singulas et in specie ad partes extraneas extendere aut etiam totum librum sine ulla restrictione vel tacita vel expressa inspiratum dicere volueris. Quare si denominationem istam in hac extensione in libro primo nostris Scripturis vindicavimus, quae ibi dicuntur, per se et in rigore de solo textu originali accipienda sunt.

[1] Concedimus tamen, huiusmodi libros, si superessent, ob insignem auctoris sapientiam scientiamque Salomoni divinitus infusam magna veneratione dignos fore.

dici posset de grammatica linguae graecae vel hebraicae aut de institutionibus scenofactoriae, quam Paulus exercebat, artis; si talia a Paulo conscripta et posteris transmissa fuisse supponerentur.

323. *Ultima demum assertionis pars contendit, extra casus propositos materiam per se solam certum criterium contra inspirationem non suppeditare. Haec pars per se clara esse videtur.* Nam iis seclusis, quae in superioribus posita sunt, non appareret, unde ex materia sola ac per se considerata contra inspirationem alicuius libri certum argumentum duci aut etiam solum praeiudicium satis validum sumi possit. Iam enim alia occasione nihil obstare diximus, quominus in libro inspirato hinc inde rebus religiosis immisceantur res profanae aut indifferentes *(cfr. n. 285.—287.)* Haec ultima observatio inspectis libris, qui ab omnibus habentur inspirati, haud parum confirmatur. In non paucis enim Scripturae libris plura leginus, quae per se ad religionem parum aut nihil faciunt. *(Cfr. Ruth; Paul. ad Philem.; Ioan. ep. II. et III.).* Item iam alibi monstravimus, ad inspirationem libri nullatenus pertinere, ut duplicem sensum literalem exhibeat. Pariter ex dictis ad inspirationem necessarium non apparet, ut saltem alicubi ad sensum literalem sensus mysticus accedat *(cfr. n. 189. 222. 229.).* Praeter ista vero circa materiam profecto nihil invenitur, quod vel cum aliqua apparentia pro excludenda inspiratione certi cuiusdam libri in medium afferri posse videatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De criterio negativo, quod ex tempore scriptionis deducitur.

324. Assertio. *Liber, qui post tempora apostolica scriptus esse demonstratur, eo ipso ex canone librorum inspiratorum reiiciendus est. Extra hunc casum vero ex tempore scriptionis contra inspirationem nihil certi inferri potest.* Ne haec perperam intelligas, nota sequentia. Sicut sunt vel esse possunt revelationes certis hominibus divinitus concessae, quae non ad publicum Ecclesiae usum ordinantur, sed unice in privatam singularis personae utilitatem datae intelliguntur ideoque revelationes privatae merito appellantur; ita per se nihil

obstat, quominus huiusmodi revelationes non solum utcumque divinitus datae sed simul divinitus scriptae esse supponantur *(cfr. Franzelin de Trad. div. thes. XXII. in coroll; Bened. XIV. de servorum Dei beatif. l. III. c. 53.)*. Hac suppositione facta unum pro re nostra probe notandum est. Ex natura rei consequitur, huiusmodi scripta, sicut et revelationes, quas continent, per publicationem characterem operis privati non amittere. Quare huiusmodi scripta utut inspirata a libris nostris inspiratis et canonicis, qui doctrinam publicam et pro omnibus propositam exhibent atque in publicum ecclesiae usum destinantnr, semper longissime distare cognoscuntur. Quibus suppositis sciendum est, nos de libris privatis hic non esse sollicitos; nec ad illos assertionem nostram extendere ullatenus intendimus. Item alterum monendum est. Nimirum si tota res non in concreto sed mere in abstracto spectatur i. e. si ad oeconomiam salutis actualem nullatenus respicias; nihil obstat, quominus quovis tempore libri inspirati edi potuerint et etiam edantur adhuc in futurum. At in nostra oeconomia, quam nos hic unice prae oculis habemus, rem longe aliter se habere contendimus. En huius rei ratio, quae simul est sufficiens propositae assertionis demonstratio. Docent consensu unanimi theologi catholici, revelationem divinam, in quantum publica est et omnibus in ecclesia tamquam obiectum fidei catholicae proponenda, in Christo et Apostolis per Spiritum sanctum fuisse omnino conclusam. Quare depositum fidei, quod magistris fidei primitus commissum per decursum saeculorum usque ad finem mundi per manus magisterii ecclesiastici generationibus secuturis conservandum ac tradendum est, ex divina ordinatione iam tempore apostolico ita completum fuit, ut eidem deinceps nihil additum unquam fuerit nec in futurum aliquid addendum sit. *(Cfr. Franzelin l. c. thes. XXII. et XXXIII; Kleutgen Theologie d. Vorz. tom. ult. p. 2. tract. 6 n. II.)* Iam vero cum hac oeconomia revelationis ac providentiae divinae conciliari nullatenus potest, quod post tempora apostolica novi libri inspirati supponantur editi. Id si cui adhuc dubium est, demonstratur facillime hoc modo. Ante omnia, ut cordatus quisque facile concedet, cogitari vix potest, qua ratione liber aliquis inspiratus, qui posteriori tempore de novo a Deo datus supponitur, quoad doctrinam nihil omnino

novi contineat. Si enim omnia ac singula, quae in libro inspirato recens edendo inserenda supponuntur, iam aut in prioribus libris inspiratis scripta aut in traditione divina contenta fuerint, vix intelligitur, quae ratio Deum ad talem librum edendum inducere potuerit. Exigua enim in hac hypothesi vel nulla apparet edendi libri necessitas aut utilitas. Iam vero si liber, ut res postulare videtur, novas veritates continet, per eas profecto depositum fidei necessario crescere intelligitur. Oppones: Huiusmodi opus nequaquam inutile dici posset; per illud enim fieret, ut, quae prius solum orali traditione ferebantur, modo scriptis authenticis et inspiratis consignata reperiantur. Respondemus: Licet haec in rigore vera sint, per ea tamen hypothesis ista non cessat esse valde improbabilis. Sed en alia eaque multo fortior assertionis nostrae ratio. Ad depositum fidei tum ex natura rei tum ex consensu omnium theologorum spectat etiam doctrina de inspiratione librorum, quae duo complectitur. Primo enim doctrina fidei de libris inspiratis declarat, quid sub nomine libri inspirati veniat: deinde determinat accurate, quot et quales in atomo libri ad canonem librorum inspiratorum pertineant. Quare dum canon librorum inspiratorum post tempora apostolica augmentum aliquod accepisse ponitur, necessario et depositum fidei simile augmentum accepisse dicendum est. Nam, ut rem ad oculum demonstremus, dum v. gr. hucusque credendum erat, ad canonem Novi Testamenti spectare praecise libros illos notissimos numero viginti septem, nec plus nec minus; ex suppositione adversariorum aliquando per eandem fidem credendum erit, alium praeterea librum suo tempore huic canoni accessisse et numerum librorum inspiratorum Novi Testamenti ad viginti octo ascendisse.[1]

[1] Nemo hic nobis obiiciat controversiam priorum temporum circa libros, qui ab eruditis deuterocanonici vocantur. Nam licet 1. concederetur, quod tamen simpliciter concedendum non est, canonicitatem seu inspirationem illorum librorum aliquo tempore simpliciter dubiam aut omnino ignotam ecclesiae fuisse; semper tamen in re nostra supponi potest ac debet, tum libros istos tempore Apostolorum iam extitisse, tum revera suo tempore sub charismate inspirationis conceptos ac editos fuisse. Nondum ergo per haec penitus ad adversariorum doctrinam accedere cogeremur. Dein 2. oppido falsum est, horum librorum inspirationem aliquando ecclesiae penitus ignotam aut simpliciter dubiam fuisse. Quis enim audebit dicere, fuisse tempus, in quo aut omnes aut maior pars fidelium et

Quod in assertione superius proposita secundo loco adiunximus affirmantes, praeter casum, quo liber post tempora apostolica scriptus esse deprehenditur, ex scriptionis tempore nihil certi contra inspirationem alicuius libri inferri posse; ab omnibus, ut puto, sine demonstratione conceditur; nec res ista ulteriore expositione indigere videtur. Ceterum haec res ex infra dicendis magis illustrabitur.

Scholion. 325. Ex dictis practicas aliquas consequentias deducere placet. Primo igitur ex his, quae dicta sunt, manifesto excluditur opinio eorum, qui versioni vulgatae latinae tribuunt inspirationem non solum ab originali derivatam sed ipsi propriam eamque consequenter etiam ad illa extendunt, in quibus a textu originali non solum in verbis sed etiam in sententiis recedere deprehenditur, dummodo sententiae contrariae non sint. Quare, quod inde necessario consequitur, ea versio, ubi a textu originali manifesto discordat, canonicam auctoritatem habere non potest. Ratio pro illo, quod priori loco intulimus, haec est. Vulgata certissime eo tempore ortum habuit, quo publicae inspirationis charisma iam exstinctum fuerat. Ergo ex dictis in se inspirata esse non potest. Ratio vero posterioris ita redditur. Quaevis versio, in quantum ab originali recedit, auctoritatem canonicam aliunde habere non potest, nisi ex eo, quod ille, qui vertit, saltem in iis locis, in quibus versio in sensu ab originali discrepat, vero inspirationis charismate instructus ponitur et consequenter versio ipsa qua talis in se et independenter ab originali inspirata esse creditur.

---

doctorum ecclesiasticorum de horum librorum auctoritate omnino ambigui haeserint vel in quo libri isti in publico ecclesiae usu non fuerint aut talis usus dicto dubio per omnia responderit? Potius tenendum est, hos libros, quamdiu dubii fuerunt, eo solum sensu dubios fuisse, quod non plane ab omnibus sine dubitatione ut canonici reciperentur. Denique 3. qui postea ex sacculo quarto secutus est, consensus catholicus et definitiones Ecclesiae, quae suo tempore dubitationibus illis finem imposuerunt, certos nos reddunt, eos libros tum eo tempore, quo charisma inspirationis publicae in populo Dei adhuc vigebat, conscriptos fuisse, tum ab Apostolis qua libros inspiratos successoribus suis fuisse traditos. Unde factum sit, ut illa ab Apostolis orta traditio tam expressa et universaliter cognita non fuerit, ut omnem statim dubitationem excluderet, nescimus. Scimus tamen, id verae traditioni haud officere, quia in re simili circa alia dogmata ut v. gr. circa conceptionem immaculatam B. V. Mariae traditioni apostolicae idem accidisse, nemini ignotum esse potest.

Hoc autem paulo antea quoad vulgatam latinam reiectum est. Versionem graecam quod spectat, ex parte temporis, quo illa versio concinnata est, nihil obstat, quominus in se et independenter ab originali inspirata esse credatur. Ratio est, quia illa versio eo tempore edita esse cognoscitur, quo inspirationis charisma adhuc concedi poterat et in synagoga forte adhuc reipsa vigebat. Quare, si de locis agitur, ubi haec versio simpliciter a textu originali discrepat, quin eidem contradicat[1]; ex parte temporis et veluti a priori nihil prohibet, quominus inter alios cum Augustino *(de civ. Dei l. XVIII. c. 43.)* dicas: «Quidquid est apud Septuaginta, in hebraeis autem codicibus non est, per istos ea maluit, quam per illos, idem Spiritus dicere, sic ostendens, utrosque fuisse Prophetas.» Consequenter tertio illud idem, quod de vulgata latina dictum est, dicatur et de aliis libris, qui evidenter post tempora apostolica scripti esse monstrantur. Ita habes inter alia ex tempore normam certam, iuxta quam v. gr. iudices de inspiratione epistolae, quae Barnabae Apostolo tribuitur, nec non de libro, qui Pastor Hermae inscribitur, vel de sic dictis constitutionibus apostolicis ac de variis glossematibus, quae haud raro posteriori tempore in sacrum textum sunt intrusa. Item iuxta haec iudicare poteris de auctoritate punctationis masorethicae, de titulis Psalmorum, qui temporibus apostolicis recentiores esse inveniuntur, et de aliis similibus. Aliam applicationem principium propositum habet in casu sequenti. Negari vix potest, quin in Bibliis hinc inde aliquid occurrat, quod ad primam libri illius inspirati editionem non pertinebat, sed postliminio et alia manu additum est. *(Cfr. Tob. II. 12. coll. Gutberlet in h. l.; Esther XI. 1.; Ps. LXXI. 19. 20. CV. 47. 48; II. Mach. XII. 44.—46; Io. XIX. 35. XXI. 24; Act. I. 17.—19. et Kaulen, Einleitung n. 196. 207. 307.)*. Simul plerumque saltem ex praxi ecclesiae dubitari vix poterit, quin huiusmodi loci tamquam partes inspiratae libri inspirati retinendi sint. Quaeritur itaque, utrum haec duo simul consistere possint, nec ne. Respondemus: Per se loquendo et in abstracto haec duo sine dubio simul consistere possunt. Id fere per se intelligitur et ex infra dicendis magis clarescet.

[1] De casu, quo inter textum originalem et inter versionem appareat contradictio, vide, quae supra *(n. 319. seqq.)* de eadem re dicta sunt.

Unum nihilominus iam hic ex principio hic proposito circa rem praesentem pro certo statuere possumus. Ubicumque scilicet sermo est de additione rei, quae ut inspirata retinenda est; ibi concedi nullatenus potest, additionem illam nonnisi post tempora apostolica factam fuisse. Secus enim de eius inspiratione conclamatum foret.[1]

[1] Ceterum sicut in iis, qnae posteriori manu in primitivum textum introducta videntur, certe nonnulla sunt, de quorum canonicitate dubitare haud licet; ita forte loci non desunt, de quibus contrarium dici poterit. Exempla pro casu posteriori inter alia habes tum in praefatione brevissima, quae threnis Ieremiae praemissa est, tum in praefatione prolixiori, quae Ecclesiastico praefixa legitur. Aliam considerationem hic adiungendam ducimus. Ubi agitur de additamentis ad libros Veteris Testamenti, epocha pro tali additione ad tempora, quae publicam Christi Domini praedicationem praecesserunt, aut saltem ad tempus ante adventum Spiritus sancti coarctanda videtur. Ratio est, quia, ubi coepit introduci oeconomia et doctrina Novi Testamenti, vetus oeconomia ut iam abolita consideranda est. Quare charisma inspirationis, si cui ex eo tempore concedendum erat, ex natura rerum non iam ad ampliandos quoquo modo libros Veteris Testamenti spectare debuit. Nam libri omnes, qui authenticum Veteris Testamenti codicem constituunt, pro ratione illius oeconomiae ex primaria intentione Dei eo spectabant, ut homines ad Christum manuducerent et adventum eius praepararent. Quare post adventum Christi, ubi Novum Testamentum aut inauguratum iam fuerat aut proxime inaugurandum erat; charisma inspirationis potius ad condendos libros Novi Testamenti spectare debere intelligitur. Nec obstat factum, quod subiicimus; licet de cetero consideratione dignum esse videatur. Invenitur scilicet in Novo Testamento nonnunquam aliquid, quod prima fronte non aliud quam uberior explicatio et veluti additio ad certum locum Veteris Testamenti esse videatur, facta per posteriores hagiographos. Exemplum habes, si I. Cor. II. 9. cum Isai. LXIV. 4. confers. Quae enim ab Isaia Propheta exspectantibus Dominum praeparata esse dicuntur; eadem ab Apostolo potius diligentibus Dominum promittuntur. Ad haec Apostolus ibi evidenter de bonis vitae aeternae ac de dilectione Dei super omnia loquitur, qua pro tali vita proxime disponimur; Propheta vero directe saltem et immediate nonnisi de bonis futuris Novi Testamenti et de spe futuri Redemptoris, per quem humanum genus in illorum bonorum possessionem introducendum erat, locutus fuisse deprehenditur. Quare Apostolus merito sensum Prophetae ampliasse dicitur, dum prophetiae eius novum momentum adiunxisse deprehenditur. Aliud exemplum huius rei habes Marc. I. 2. coll. Malach. III. 1. Isa. XL. 3. *(cfr. Franzel. de Verbo incarn. thes. VI. n. I. de Trin. thes. XVII. in n. 2. p. 257.).* Haec ergo doctrinae nostrae aliquatenus contradicere videntur. At responsio difficilis non est. Quod ad rem praesentem spectat, sufficit ad haec notare sequentia. Si revera in his et similibus locis ad sensum aut dicta auc-

ARTICULUS TERTIUS.

De criterio negativo, quod ex persona auctoris petitur.

326. Assertio generalis. *Ex persona auctoris contra inspirationem alicuius libri nunquam potest duci argumentum, quod sit undequaque certum. Praeiudicium vero, quod sub certis conditionibus inde derivatur, haud spernendum est, imo aliquando adeo grave esse potest, ut ab argumento certo parum abesse videatur.* Haec propositio quoad primam eius partem ita declaratur simul ac demonstratur. Prima fronte indubitatum videri posset, libros inspiratos nonnisi per viros bonos ac sanctos aut per publicos religionis ministros edi posse. Quod si verum esset, consequentiae magni momenti inde derivari possent. Ita enim v. gr. statim ac constaret, librum aliquem ab homine impio, aut qui nullum religionis ministerium unquam exercuit, editum fuisse; eundum librum sine cunctatione tamquam librum profanum e canone librorum inspiratorum proiicere liceret. Sed secundum veritatis normam res non adeo expedite procedit. Licet enim concedamus, contra inspirationem scripti alicuius ex persona auctoris haud raro validum enasci praeiudicium, nihilominus negandum censemus, inde solum argumentum undequaque certum peti posse. Ratio huius negationis in promptu est. Deus, a quo omnis inspiratio ultimatim derivatur, tum in gubernandis rebus omnipotens tum in distribuendis gratiis suis omnino independens esse cognoscitur. Quare potest, si vult, per quemcumque hominem quodcumque opus perficere, dummodo generatim non repugnet, hominem Deo ad tale opus cooperari. «Voluntati enim eius quis resistit?» *(Rom. IX. 19.).* Ergo absolute loquendo nihil obstat,

---

torum Veteris Testamenti ab auctoribus inspiratis, qui ad tempus Novi Testamenti spectant, aliquid invenitur additum; sine dubio tale additamentum non ad Vetus, sed ad Novum Testamentum spectat. Aliis verbis per rationem, qua haec ac similia ex Veteri Testamento in Novo citantur Novoque applicantur, revera non dictis ac rebus Veteris Testamenti proprie loquendo novus sensus adiungitur, sed solum id, quod usque ad ea tempora in libris Veteris Testamenti abstrusius latebat, per Evangelistas et Apostolos apertius in lucem proditur atque authentice declaratur, nec non aliquando per adiectiones ipsis proprias augetur. Hoc autem, ut patet, cum nostra doctrina nullatenus pugnat.

quominus Deus, si velit, etiam per impios aut profanos homines edere possit libros inspiratos. Quod si semel Deum facere posse concesseris, quomodo ostendes, esse a priori absolute incredibile, quod tale aliquid facere velit aut facere voluerit? Nonne de donis gratis datis, quibus inspiratio accensenda est, Apostolus dixit: «Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult?» *(I. Cor. XII. 11.)* Accedit, quod neque pro praesenti oeconomia alicubi Deus, ut supra *(n. 324.)* circa tempus inspirationis diximus, aut expressis verbis aut aequivalenter significasse deprehenditur, libros inspiratos nonnisi per bonos ac sanctos viros aut nonnisi per publicos religionis ministros edendos fore. Non tantopere in hac ratione, quae a priori est, insisteremus, nisi id, quod docemus, simul aliquo modo a posteriori confirmari posset. En quomodo in confirmatione ista procedimus. Inspiratio ad scribendum, ut nemo ignorat, valde similis est inspirationi ad loquendum eique fere in omnibus aequiparatur. Iam vero Deum aliquando etiam infidelibus et impiis hominibus donum prophetiae concessisse aut saltem aliquatenus huiusmodi hominibus pro manifestandis veritatibus supernaturalibus uti voluisse, in ipsa Scriptura testatissimum est. *(cfr. Philipp. I. 18.; Matth. VII. 2. coll. Hieronym. in h. l.)* Huius rei manifesta exempla habes in Balaam pseudopropheta *(Num. XXII.—XXIV. coll. XXX. 16.)*, in Caipha Pontifice *(Io IX. 49.—51.)*, in Pilato praeside Romano, qui Deo ita disponente mysticum cruci Domini titulum affixit *(Matth. XXVII. 37; Maldon. in h. l.)*, denique in ipsis daemonibus, qui vel inviti Deo ita disponente Iesum Nazarenum Sanctum Dei Deique Filium confessi sunt. *(Luc. IV. 34. 41; Marc. I. 24; cfr. Maldon in h. l.)* Quae cum ita sint, quid quaeso nos cogit, simile quid de inspiratione libri aut saltem de additamento aliquo homogeneo ad librum inspiratum posterius facto *(cfr. n. 325.)* omnino impossibile dicere?[1]

[1] Ex hoc per modum corollarii consequitur observatio, quae certe aliqualem attentionem mereri videtur. Si in libris nostris canonicis — quod tamen nullo modo asserimus neque verum esse credimus — nonnulla ab homine aliquo profano ante tempora, ubi inspirationis charisma exstinctum creditur *(cfr. n. 324)*, temere, ut videtur, intrusa esse deprehenderentur, aut generalius si quaedam utcumque secunda manu diversa

327. Concedimus tamen *in secunda propositae assertionis parte, ex persona auctoris contra inspirationem certi libri haud spernendum praeiudicium desumi posse, imo praeiudicium hoc aliquando ad certitudinem accedere.* Hanc assertionis partem suadent ea omnia, quae sive a priori sive a posteriori ostendunt, charismata extraordinaria ac gratias gratis datas, ut est prophetia, virtus miraculorum et huiusmodi, ordinarie a Deo nonnisi viris sanctis concedi solere, aut, si concedantur aliis, ordinarie concedi iis, qui in populo Dei munere aliquo publico instructi esse inveniuntur, quod ad cultum divinum religionemque pertinere cognoscitur. Non est necessarium haec latius prosequi, sunt enim per se satis obvia. Haec insuper a posteriori et quasi per inductionem haud parum confirmantur. Nam de facto inter libros, qui ab ecclesia pro inspiratis habentur, nullus est, qui non, quantum eorum auctores cognoscimus, aut a Propheta aut ab Apostolo aut ab alio viro insigniter sancto conscriptus esse inveniatur. Ex dictis, quod in fine nostrae assertionis adiunximus, veluti sponte consequitur. Diximus, fieri posse, ut praeiudicium, quod ex persona auctoris eiusque charactere ac moribus contra inspirationem alicuius libri exoritur, aliquando a certo argumento parum abesse videatur. En uberior huius rei ratio. Ea, ex quibus praeiudium hoc exsurgit, tum plura inter se cumulari tum singula fere in infinitum excrescere possunt. Iam vero si crescente causa crescit effectus, nonne fieri poterit, ut praeiudicium istud ad certum argumentum proxime accedat? Quis enim v. gr. facile in animum inducat, hominem, qui ad populum Dei Deique ecclesiam nullatenus pertinuit imo eam semper omnibus viribus impugnavit et perditissimis semper moribus fuit, inspirationis charismate a Deo insignitum fuisse?[1]

---

ab hagiographo in sacrum textum introducta esse demonstrantur; per haec locos sive additamenta huiusmodi nondum sine auctoritate Ecclesiae e sacro textu expungere nec inspirationem eorum absolute negare licebit. Potius in isto casu attendendum foret ad praxim ac sensum Ecclesiae eiusdemque iudicium in omnibus sequendum.

[1] Ex his aestimare poteris, quantum fuerit praeiudicium, quod ab illis inspirationi Apocalypseos inferebatur, qui eam a Cerintho haeretico Apostolis coaevo conscriptam fuisse dictitabant. Ceterum aliud in hac re notandum est. Ab illis istius libri hostibus simul assertum fuisse scimus, Apocalypsin ab illo haeretico in eum finem conscriptam seu confictam

Scholion. 328. Ex his per modum corollarii haec inferimus. Primo ex eo, quod liber aliquis non invenitur scriptus a Propheta aut ab Apostolo aut ab alio quopiam viro, qui aliunde inspirationis charismate instructus fuisse cognoscitur, tantum abest, ut liber iste definito iudicio ex inspiratorum canone reiici possit, ut per hoc solum neque adeo validum praeiudicium contra illius inspirationem oriatur. Retinendum est enim, inspirationem ad scribendum esse charisma sui generis, quod sicut nulla certa lege a Deo conceditur, ita per se cuique viro probo concedi potuit. Et revera plures ex illis libris, qui iuxta doctrinam ecclesiae certissime inspiratis accensendi sunt et ut tales ab omnibus habentur, neque ab Apostolo aliquo neque a viro, qui proprii nominis Propheta fuerit aut qui alios saltem praeterea inspiratos libros ediderit, compositi esse inveniuntur. Ut enim in Marco et Luca, quorum neuter proprio sensu Apostolus dici potest et tamen prior Evangelium, alter Evangelium et Actus Apostolorum edidit, non insistamus; ubi invenitur Propheta stricti nominis, qui auctor libri Ruth aut Tobiae aut Esther aut Iudith aut primi ac secundi Machabaeorum tuto scribi possit? Secundo si in libro aliquo, qui ab omnibus habetur inspiratus, sive in textu originali, prout modo legitur, sive in versione quapiam occurrunt aliqua, quae speciem additamentorum sive glossematum aut consulto aut quasi casu aliena manu in textum sacrum introductorum prae se ferre videntur; ea certe etiam extra casum, quo tempore inspirationis iam elapso introducta esse demonstrantur, per se et velut a priori quoad inspirationem maxime suspecta haberi possunt. Ratio est, quia non tam facile praesumendum est, antiquos interpretes, glossatores aut amanuenses, aut etiam sacerdotes aut synedrium aliosve, a quibus haec suo tempore textui sacro quacumque demum ratione adiuncta fuerunt, in hoc actu inspirationis charismate fuisse divinitus instructos ac praeventos. Hoc tamen praeiudicium adeo violentum non est, ut rationibus in contrarium et maxime usui ecclesiae, qui ali-

---

fuisse, ut per eam errores suos magis confirmaret. *(Cfr. Epiphan. haer. 51. n. 3. 32.)* Quare isti hostes Apocalypseos praeiudicio ex persona auctoris addebant praeiudicium sive argumentum ex materia, quod utique, si veritate niteretur, ex superioribus *(n. 319. seqq.)* ineluctabile dicendum foret.

quando satis aperte pro inspiratione harum partium stare videtur, numquam cedere debeat.[1]

329. Ex his colligere licet regulam generalem, quae prae oculis habenda atque applicanda est, ubi non tam de inspiratione integri alicuius libri, sed de inspiratione sive de canonicitate alicuius loci in particulari quaeritur. Regula ita efferri potest. *Si constat, verbum aliquod aut verborum circuitum aut etiam maiorem aliquam praesentis textus particulam in originali editione defuisse, seu quaedam posteriori tempore et aliena manu fuisse adiecta; de inspiratione et canonicitate eorum tamdiu dubitari prudenter potest ac debet, quamdiu aptis argumentis contrarium non evincitur.* Ratio huius regulae quoad primam eius partem, quae ceteroquin vix ab aliquo in dubium vocanda erit, breviter ita reddi potest. Deus, qui ex dictis tamquam auctor primarius Scripturae totius considerandus est, non solet, ut habet commune adagium, facere per plura, quae facere potest per pauciora. Hoc supposito quaerimus: Si Deus ab aeterno constituit, ut illa, de quibus quaestio agitur, aliquando partem Scripturae simulque partem determinati alicuius libri sacri constituant; quaenam ratio esse potuit, ut ea non statim per hagiographum primitivum libro illi inserenda voluerit? Non est enim Deus hominibus comparandus, qui lapsu temporis quaedam de rebus scripto tractandis melius intelligunt et ideo libris a se prius editis posteriori tempore nonnumquam aliquid adiungere consueverunt. Quare, nisi specialis ratio contrarium flagitasse ostenditur, Dei opera statim ab initio perfecta fuisse censenda sunt, sicut Moyses cecinit: «Dei perfecta sunt opera.» *(Deut. XXXII. 4.)*[2] Maiorem difficultatem secunda pars regulae

[1] Exempla habes supra n. 325. De difficultate, quae contra praecedentem doctrinam ex Patribus fieri posset, cfr. infra n. 343.

[2] Iuvat haec propter rei gravitatem paucis applicare ad librum, qui Tobiae nomine inscribitur. Notum est, duas aut plures huius libri recensiones existere, quarum una alia amplior esse invenitur. Quare merito quaeritur, an omnes ac singulae tamquam inspiratae retineri possint. Respondemus: In solvenda hac quaestione ante omnia ad usum ecclesiasticum recurrendum et eius iudicio standum est. Deinde si propter usum istum et praxim ecclesiae revera non solum una sed plures satis diversae illius libri recensiones tamquam authenticae retinendae apparent *(cfr. Gutberlet, Buch Tobias, Einleitung)*, tota haec res secundum proposita principia probabilius ita concipienda et componenda videtur. Non facile duo aut plures auctores inspirati cogitandi sunt, quorum unus unam,

habere videtur. Tamen reapse etiam in hac assertionis parte, prout iacet, tandem nonnisi de eo quaestio esse potest, quam graves rationes exigantur, ut partem postliminio in sacrum textum introductam satis tuto ut inspiratam retinere possimus. Nam de absoluta possibilitate rei in abstracto consideratae iam satis dictum est et vix aliquis serio ambigere poterit. Quaenam enim in eo est contradictio aut impossibilitas, quod Deus ad librum aliquem per certum auctorem sub charismate inspirationis suoque nomine editum posteriori tempore per alium virum eodem charismate praeditum aliquid addiderit? Ratio autem, quae ad factum ipsum admittendum sufficere possit, sine dubio esse poterit aut doctrina expressa aut praxis ecclesiae irrefragabilis. Imo haec praxis ad id admittendum non solum sufficit sed omnino cogit. Quare ut casus realis huius rei admittendus sit, haec requiruntur ac sufficiunt. Ex una parte et ante omnia requiritur, ut in libro aliquo inspirato textus quidam aperte secunda manu et ab alio auctore additi fuisse deprehendantur; tum ex altera parte constet necesse est, Ecclesiam iisdem textibus manifesto et constanter tamquam inspiratis uti consuevisse. Exemplum huius rei idque satis luculentum habes in ipso Pentateucho, qui, cum ex consensu fere unanimi catholicorum Moysen habeat auctorem, tamen, ut a multis expresse docetur ac negari vix poterit, in fine duo capita habet adiuncta, quae ex una parte certe non minus inspirata sunt quam praecedentia, et nihilominus aliunde ex communi sententia a Moyse scripta esse non possunt.[1] Alia exempla in aliis libris facile reperiri possunt, qualia sunt Ps. XIII. 7.; XXIV, 22.; XXXII. 22. 4. 20. 21.; CV. 48. etc. Haec enim et inspirata esse nemo dubitat, et aliena manu addita fuisse negare vix poteris. *(Cfr. Kaulen, Einleitung n. 196.*

alter alteram ex iis, quae circumferuntur, recensionibus edidisse supponatur. Potius supponendum censerem, exstitisse recensionem aliquam omnibus antiquiorem vel omnino deperditam vel nobis hucusque ignotam, quae sola in se et in sua origine inspirata fuerat et res omnes, quae nunc in omnibus simul sumptis exhibentur, perfecte complectebatur; a qua deinde tamquam a fonte primitivo res et inspiratio in nostras recensiones derivatae fuerint, cum ex istarum auctoribus quacumque demum ex causa unus plus alter minus de textu originali retinendum censuerit.

[1] Quomodo nihilominus Pentateuchus simpliciter a Moyse conscriptus dici possit, vide supra n. 320. in nota.

207. 307.; Schegg, Prophet Isaias, II. Theil, p. 88.; Liter. Handw. n. 267. coll. 391.)[1]

ARTICULUS QUARTUS.

De criterio negativo, quod a testificatione extrinseca sumi potest.

330. Assertio generalis. *Testificatio mere humana per se sola non sufficit, ut liber aliquis cum omnimoda certitudine e censu inspiratorum expungi possit; sufficit vero plenissime testificatio divina sive sensus et praxis ecclesiae.* Haec assertio quoad utramque partem facile demonstratur. Ad demonstrandam priorem partem sic progredimur. Testimonium humanum, ut logici sive philosophi demonstrant, utique haud raro verae certitudini gignendae par est. Sed haec doctrina valet solummodo, ubi de asserendo facto aliquo agitur, quod in omnium oculos aut sensus cadere potest. At quando sermo est de re aliqua doctrinali aut de facto, quod aut mere internum aut utcumque

[1] Ex his apparet, quid dicendum sit de theoria eorum, qui de quadam inspirationis evolutione loquendum esse censuerunt. *(Cfr. Schegg et Handw. l. c.)* Hi si nihil aliud affirmare intendunt, quam fieri potuisse, ut ante tempora apostolica ad libros inspiratos, qui iam in se completi videbantur, sive per sacerdotes praepositosve synagogae sive per alios demum quoscumque probos viros aut etiam per Bibliorum interpretes ad res ilias addendas a Deo extraordinario modo vocatos et extraordinario lumine instructos quaedam adderentur, quae et ipsa inspirata sunt; profecto nihil, quod aut aperte falsum aut impossibile sit. dicere inveniuntur. Si vero ulterius contendunt, evolutionem inspirationis hoc modo conceptam aut omnino necessariam esse aut saltem rerum naturis divinaeque oeconomiae admodum convenientem; et multo magis si praepositis synagogae aut aliis quibusvis personis intendunt vindicare charisma ac munus ordinarium, quo ipsi libros inspiratos et a maioribus traditos continuis additamentis augere possint ac debeant; aut si descriptam inspirationis evolutionem utcumque ultra tempora apostolica extendunt; tum huiusmodi theoria de evolutione inspirationis omnino reiicienda est. Hoc partim ex dictis iam patet, partim ex dicendis amplius patebit. Ad praecavendas omnes difficultates unum adhuc notandum ducimus. Ex Ioan. XI. 51. minime colligitur, summum Pontificem Veteris Testamenti id habuisse sibi proprium, ut, quoties qua talis loqueretur, prophetiae dono gauderet. Multo vero minus idem vindicare sibi potuit, ut, quoties pro usu publico aliquid scriberet, praesto sibi haberet charisma inspirationis ad scribendum, quod iam prius a dono prophetiae multum distare ostendimus. *(Cfr. n. 97.)*

ex natura sua satis occultum est, tunc hoc testimonium a certitudine gignenda plane deficit. Iam vero inspiratio libri, si sumitur in facto esse, manifesto est res doctrinalis: si vero spectatur in fieri, utique in facto aliquo consistit. At hoc inspirationis factum manifesto non est factum mere externum, sed prae parte sua principaliori omnino internum esse deprehenditur. Neque est factum naturale sed supernaturale. Nam inspiratio ex dictis *(l. II.)* praecipue in illustratione extraordinaria menti hagiographi immissa divinitus atque in competenti motione voluntatis reponenda est. Quomodo ergo testificatio humana de hoc facto aut de huius facti absentia — est enim eadem utriusque ratio — nos certos reddere poterit? Unicum effugium adversariis remanere videtur, si nimirum ad testimonium ipsius auctoris provocare tentaverint. Haec enim observare quis poterit. Unusquisque, prout notum est, de propriis factis internis per conscientiam internam edocetur infallibiliter. Quare nihil obstare videtur, quominus quis cum sufficienti certitudine testimonium ferre possit, librum aliquem sua industria et sua manu editum viribus propriis et sine inspirationis charismate a se compositum fuisse. Sed ad haec ita respondendum est. Ante omnia auctoritatem testis unius, maxime in re, in qua aliquo modo causa eius propria agi videtur, ad omnimodam certitudinem nequaquam sufficere, omnibus notum est. Deinde recolendum est, quod ex professo supra docuimus. *(n. 103. seqq.)* Scilicet fieri per se potest, ut auctor inspiratus inspirationis suae in scribendo satis conscius sibi non fuerit. Quare in hoc casu, si auctor inspirationem libri a se editi negare vellet, eo quod de extraordinario inspirationis influxu nihil in se expertus fuerit, manifesto erraret. Ergo neque auctoris testimonium mere humanum in re praesenti ex omni parte certum est. Concedimus tamen, illud testimonium spernendum non esse; imo per id aliquando inspirationem vix non cum plena certitudine a libro aliquo excludi posse. His absolutis modo secunda propositae assertionis pars demonstranda est. Revera quod in ea dicitur, pro eo, qui terminos intelligit, per se evidens apparet. Quis enim dubitabit, quin testificatio divina et sensus ac praxis ecclesiae, quae nonnisi huius testificationis signum atque custodia haberi debet, nonnisi circa id, quod verum est, versari possint? Imo huiusmodi testificatio, ut per

se patet, rebus non qualemcumque, sed supernaturalem ac divinam certitudinem conciliat. Quare, cum librum aliquem per sensum catholicum determinato iudicio e censu inspiratorum reiectum videmus, de eius inspiratione viro catholico ne suspicio quidem oriri amplius poterit. Tales libri sine ambiguitate sunt illa sic dicta evangelia, quae spuria habentur, necnon et multa alia apocrypha, ut sunt v. gr. Apocalypsis Petri, itinera Pauli et alia eius generis, quae nomine Apostolorum venditari imperitis aliquando solebant.[1]

CAPUT SECUNDUM.

De criteriis inspirationis positivis.

331. Post negativa ad criteria positiva accedimus. Ut praesens quaestio, quantum scopus noster postulat, accurate exponatur, duo nobis praestanda esse videntur. Primo argumentis generalioribus demonstrabimus, revelationem testificationemque divinam eamque solam positivum inspirationis criterium constituere, quod tum certam fidem mereatur, tum undequaque sufficiens appareat. Deinde vero magis in specie imo singillatim alia omnia reiiciemus adminicula, quae ab aliquibus pro inspirationis criteriis haberi solent aut utcumque in re praesenti aliquo modo in quaestionem venire posse videntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Unicum criterium positivum in revelatione et traditione divina constituendum est.

Punctum primum.

Hoc criterium per se sufficiens esse ostenditur.

332. Assertio positiva. *Revelatio divina et inde derivata traditio catholica certissimum simul et universalissimum*

[1] Casus extraordinarius, in quo sensus ecclesiae circa negandam inspirationem alicuius libri non positive sed mere negative se habere i. e. eam non positive reiicere sed multo minus positive approbare videtur, ut v. gr. accidit circa lib. III. et IV. Esdr. etc., iuxta eam normam diiudicandus erit, iuxta quam iudicamus de doctrina aliqua, quae ex una parte ab ecclesia neque positive reiicitur, neque universaliter recipitur, et ex altera parte, si admittenda sit, ex natura sua nonnisi ex divina revelatione et ex positiva atque universali ecclesiae traditione admittenda esse cognoscitur. Sed de his agemus uberius in fine *(n. 359 in nota)*.

est pro inspiratione sacrorum librorum argumentum. Haec assertio demonstratur facillime. Revelatio divina, prout nunc de ea loquimur, aliud non est, quam testificatio divina circa doctrinam aliquam fidei aut circa factum, quod cum doctrina catholica intime nectitur. Quo semel posito haec insuper advertimus. Revelatio praedicta, quae necessario divina certitudine gaudere cognoscitur, per se et ex natura sua tam late patere potest, quam late patet ex una parte Dei scientia ac potentia, et capacitas hominum ad huiusmodi testificationem intelligendam et recipiendam ex altera. Porro neque Deo scientiam deesse neque potentiam, qua de inspiratione librorum testari possit, neque hominibus capacitatem, qua tale testimonium intelligant ac recipiant; demonstratione profecto non indiget. Addimus revelationi in assertione nostra traditionem catholicam; nec sine causa, prout ex declaratione subiecta statim patebit. Sub nomine igitur traditionis catholicae intelligimus testificationem successione continua in ecclesia catholica i. e. tum generatim in eius membris tum praecipue in authenticis fidei magistris per manus traditam circa revelationem aliquam seu doctrinam divinitus acceptam. Haec traditio, ut omnibus notum est, ex fide et persuasione catholicorum constituta est sub assistentia continua Spiritus sancti, cuius ope ecclesia in rebus fidei ac morum ab omni errore semper praeservatur immunis. Quare traditio catholica ultimatim resolvitur in revelationem primitivam conservatam continuo per organum humanodivinum, quod est magisterium authenticum ecclesiae catholicae. Quapropter sicut de illa traditione ea omnia valere debent, quae de revelatione generatim dicta sunt; ita per eam hoc criterium revelationis primitivae ad omnia tempora futura extenditur. Est ergo criterium istud ex natura sua et certissimum et potestate universalissimnm. Ad haec criterium, de quo loquimur, rei, de qua quaeritur, convenientissime applicatur. Quod sic ostendimus. Inspiratio, si consideratur in fieri, est factum aliquod divinohumanum ac supernaturale; si vero spectatur in facto esse, est proprietas supernaturalis alicuius libri. Iam vero quid convenientius videri potest, quam ut de facto huiusmodi aut de huiusmodi librorum proprietate homines per divinam revelationem certiores reddantur? Certe totum inspirationis factum ipsorumque sacrorum librorum

existentia in humani generis utilitatem ac salutem unice ordinantur atque huius rei notitia unum ex praecipuis fidei catholicae articulum constituit. Quid igitur magis conveniens esse potest, quam ut de his per divinam revelationem edoceamur? Ex his satis demonstratum censemus, criterium hoc, si haberi possit, in re praesenti tum omnium certissimum tum plane universale i. e. tale esse, quod per se et ex natura sua ad omnes ac singulos libros imo ad singulas librorum partes extendi possit.

333. Erunt, qui e castris Protestantium ad haec ita opponant. Libri inspirati tum ex natura sua tum ex Dei intentione fons et instrumentum divinae revelationis esse debent. Quomodo ergo simul revelationis ipsius obiectum esse possunt? Sed ad hoc dubium facile respondetur. Scriptura scilicet sacra sive codex librorum inspiratorum, ut catholica ecclesia constanter tenet et ex Scripturis ipsis satis demonstratur *(cfr. Franzel. de div. Trad. sect. I.)*, neque unicus et originalis divinae revelationis fons neque pro ecclesia principale religiosae doctrinae instrumentum dici potest. Sicut enim nemo negare potest, si res historice spectatur, primitivum revelationis instrumentum fuisse suo tempore primo vivam vocem Prophetarum deinde item oralem doctrinam Apostolorum et ipsius Christi Domini, ita principale organum conservationis et propagationis doctrinae semel traditae in vivo et infallibili ecclesiae catholicae magisterio constituendum est, quod a Christo Domino institutum ipsam traditionem catholicam efficit atque repraesentat. Huic magisterio in subsidium traditi sunt deinde libri inspirati. Quare nulla apparet difficultas, quominus doctrina de inspiratione sacri textus et de canone librorum canonicorum ad obiectum revelationis catholicae pertineat.[1] Supponere enim pos-

[1] Iam diximus et per se patet, ad cognoscendam inspirationem alicuius libri non requiri expressum testimonium sed sufficere posse testimonium virtuale. Quare nequaquam requiritur, ut tale testimonium semper verbis sit conceptum; possunt enim aliquando facta sufficere. Porro huiusmodi testimonium virtuale v. gr. adesse dicendum est, si constet, Christum Dominum aut eius Apostolos libro aliquo aut aliquo alicuius libri textu aliquando tamquam inspirato usos fuisse aut illis etiamnum ecclesiam eo modo uti. Quare hic obiter hanc consequentiam indicare liceat. In quantum ostendi potest, versionem graecam septuaginta virorum in Novo Testamento nonnunquam citari et adhiberi tamquam Scripturam Veteris

sumus, eam doctrinam cum ceteris articulis fidei a Christo per Spiritum sanctum Apostolis, ab Apostolis subsequentibus Episcopis traditam fuisse.

Punctum secundum.

Praeter criterium istud nullum aliud per se sufficit.

334. Quae in puncto praecedenti dicta sunt, per se aliud non ostendunt, quam criterium, de quo agimus, tum in se possibile tum, si revera existat, per se sufficiens esse; quia ex sese omnes libros, qui tamquam inspirati recipiendi sunt, in suo ambitu facile complecti potest. Alia quaestio est de facto. Quaeritur scilicet post dicta quasi naturaliter, an revera existat revelatio quaedam divina coniuncta cum continua traditione catholica inde derivata, quae tum existentiam librorum sacrorum in genere testatur tum in hac testificatione speciatim omnes ac singulos libros complectitur, quotquot ab ecclesia tamquam inspirati suscipiendi ac retinendi sunt. Demonstrare hoc factum, quod maximi momenti est, ad nostrum propositum stricte loquendo non pertinet. Id enim per se ad theologiam dogmaticam spectare dignoscitur. De cetero factum istud ex iis, quae ex instituto nostro dicturi sumus, per modum corollarii sponte consequitur. Nam in decursu praesentis libri demonstrabimus, praeter criterium, quod hic proponimus et hoc facto continetur, nullum aliud reperiri, quod per se et independenter ab isto ad finem, pro quo exigitur, sufficere possit. Iam vero ex hoc profecto necessaria consequentia concluditur,

---

Testamenti in locis, ubi a textu originali, ut nunc habetur, non solum in verbis sed in ipsa sententia manifesto discrepat; eo ipso habebimus testimonium sufficiens pro inspiratione illorum textuum. Inde consequenter ulterius inferendum erit, in tali loco aut textum originalem, prout nunc legitur, esse corruptum aut eum, qui interpretis munere fungens haec mutavit vel addidit, in eo saltem actu inspirationis charismate praeventum fuisse. Quodsi in hoc casu etiam textus originalis, prout nunc habetur, genuinus ponitur, cum sensus unius sensum alterius non excludat sed ambo sensus mere inter se disparati esse inveniantur; utrumque textum tamquam inspiratum habere poteris ac debebis. Denique si interpres aliquis Apostolis antiquior iuxta dicta semel in aliquo inspiratus fuisse ostendatur, ex dictis *(n. 321.)* charisma istud cum probabilitate haud spernenda et cum debita cautela etiam ad alias partes et, quantum fieri potest, ad totam versionem extendendum videretur.

de existentia istius facti sive criterii nostri ambigi non posse. Ratio conclusionis haec est. Sine maximis inconvenientiis supponi non potest, voluisse quidem Deum dare hominibus libros inspiratos, sed nullum nobis suppeditasse criterium, quo libros inspiratos tuto agnoscere et a non inspiratis discernere possimus. Id autem necessario supponendum esset, si existentia nostri criterii in dubium vocari posset. Quae ratio, ut patet, simul cum existentia etiam universalitatem nostri criterii in tuto collocat. Quod enim de libris inspiratis in genere valere demonstratur, id pari iure singulis in specie applicari potest ac debet. Quae cum ita sint, manifesto patet, quanti intersit, ut praeter utilitatem ac possibilitatem etiam necessitas huius criterii invictis argumentis demonstretur.

335. Sed priusquam ad demonstrationem rei accedamus, adhuc pro statu quaestionis melius definiendo quaedam praemittenda censemus. Primo nos criterium, de quo loquimur, neque in sola revelatione divina neque in sola traditione catholica constituimus sed utramque in unum coniungimus. Ratio manifesta est. Revelatio enim divina ad hoc inservit, ut inspirationem librorum primitus manifestet, traditio vero catholica id, quod revelatio primitiva de inspiratione librorum docet, ut cetera dogmata velut in depositum excipit et sub infallibili Spiritus sancti assistentia custodit singulisque hominibus applicat. Quare ex ambabus unum criterium perfectum et continuo duraturum conflandum est. Secundo libenter concedimus, per se et abstracte loquendo nequaquam impossibile dici posse, quod plures ex Protestantibus praesertim asseruerunt, scilicet ut Deus singulis quibusque hominibus infundat lumen quoddam divinum, quo unusquisque quasi per revelationem immediatam sibi concessam libros nostros ut inspiratos cognoscere possit. At negamus, in praesenti providentia aut singulis hominibus aut etiam solum singulis fidelibus tale lumen revera concedi. Ratio nostrae negationis est in aperto. Si enim, quod adversarii asserunt, tale lumen in nostra oeconomia per modum legis universalis reapse concederetur, fieri non posset, quin omnes homines aut saltem ii, qui nomen fidelium sibi assumunt, tum circa doctrinas religiosas in genere tum nominatim circa admittendos vel non admittendos libros inspiratos quoad omnia perfectissime conveniant. Iam vero haec omnia in nostro

mundo longe aliter fieri, nemo negare poterit, nisi qui apertissima facta negare voluerit. *(Cfr. Franzelin l. c.)* Neque tertio negare intendimus, fieri posse, ut Scriptura in certo aliquo loco ipsa testetur, existere libros divinitus inspiratos. Imo talia testimonia in Scriptura reapse inveniri *(cfr. II. Tim. III. 15. seqq.; II. Petri III. 16.),* ultro concedimus. Multo minus negamus, inspiratione illorum textuum, quibus tale testimonium continetur, semel supposita et omnibus cognita eiusmodi testimonium et pro scopo suo sufficere posse et quod in eo de sacris Scripturis asseritur, ab omnibus ut doctrinam infallibilem recipi debere. Quod negamus illud est, tale testimonium per se solum et sine ulla suppositione praesentis nostri criterii ad scopum, quem intendimus, plene sufficere. Quaerimus enim ab adversariis ante omnia: Quomodo constare potest de inspiratione illius libri aut textus, quo tale testimonium continetur? Certe de hac re non constat immediate et per seipsam. Secus in universum neque tale testimonium necessarium dicendum foret, cum id, quod de eo dicitur, de omnibus ac singulis textibus inspiratis totius Scripturae pari iure dici posset. Quare qui ita opinatur, tandem asserere cogitur, inspirationem sacrorum librorum per se notam esse omnibus. Quo quid magis gratuitum, imo quid absurdius dici potest? Neque iure ab adversariis recurri potest ad aliud testimonium scriptum. Secus enim ibimus in infinitum aut in circulum, ut dicunt, vitiosum. Neque iuvabit, si recurrere velis ad personam illius, qui huiusmodi testimonium scriptum primus edidit. Aut enim ponis, illum virum Prophetam Apostolumve fuisse et testimonium illud qua talem protulisse, aut de hoc charactere personali abstrahis. Si primum amplecteris, redibit quaestio: Ubi reperimus medium, per quod de facto illo et de charactere testis infallibiliter certi reddamur? Profecto medium hoc aliud esse non potest, quam testimonium aliquod ore traditum et ad nos usque propagatum. Ita autem denuo ad criterium nostrum vel inviti revolvimur. Si deinde posteriori parti inhaerere velis, item difficultatem haud vitabis. In sequentibus enim demonstrabitur, testimonium, quod mere humanum est, ad finem, qui intenditur, nequaquam sufficere. Insuper luce meridiana clarius est, testimonia, quibus in sacro textu existentia librorum inspiratorum vel occultius innuitur vel clarius docetur, in se nimis vaga esse.

Nam iis nequaquam sufficienter significatum reperitur, quot qualesque libri in individuo et sub quali forma et extensione sacrum Scripturae textum constituant. *(Cfr. Franzelin l. c. thes. VII.)* Ex his denique sequentem observationem inferimus. Sine praeiudicio doctrinae nostrae admitti potest, quod aliunde valde probabile et rerum naturis satis accomodatum apparet et nos ut tale generatim libenter admittimus, nimirum auctorem hagiographum sive in ipso actu scribendi et per ipsum lumen inspirationis sive postea per aliud lumen divinitus sibi concessum librum, quem scripsit, ut inspiratum agnovisse eamque notitiam suo tempore ceteris hominibus communicasse. Imo prima notitia de inspiratione certi libri vix alia via convenientius dari poterat.[1] At in hoc sciendum et bene considerandum est, lumen illud, quo sacer auctor aut in scriptione ipsa aut postea de inspiratione libri sui edoctus fuisse ponitur, a revelatione proprie dicta, de qua loquimur, nihil penitus differre. Proinde in casu proposito illud lumen deprehenditur constituere revelationem primitivam, de qua hic sumus solliciti. Tandem praeter istam revelationem primitivam requiri insuper traditionem catholicam, per quam ista revelatio conservetur et ad posteros propagetur, tum ex paucis, quae iam diximus, satis aperte colligitur, tum ex dicendis magis perspectum fiet. Quibus praenotatis en doctrina nostra.

336. Assertio exclusiva. *In praesenti divinae providentiae ordine revelatio divinitus tradita et authentice proposita ac per visibile magisterium sub speciali Spiritus sancti assistentia perpetuo conservanda sola est, quae certum pro agnoscendis libris inspiratis criterium constituere potest.* Assertio, ut apparet, habet duas partes. Prima pars de revelatione primitiva, altera de traditione subsequenti loquitur. Prima, quae magis praecipua censeri potest, ita demonstratur. Inspiratio, si subiective seu in fieri spectatur, ex saepe dictis in extraordinario quodam influxu divino constituitur, et factum est maximam partem internum ac prorsus supernaturale. Per illam enim fit, ut, dum sacer auctor scribit, non tam ipse per se sed Deus per ipsum loqui seu scribere censendus sit. Quodsi inspiratio spectatur,

[1] Absolute possibile est, ut, dum inspiratio certi libri auctori ipsi perpetuo ignota mansit, ea per revelationem proprie dictam alteri, puta synagogae aut Apostolis, manifestata fuerit.

ut dicunt, in facto esse seu prae termino, in quem tendit, ea proprie ac primarie in origine divina libri constituenda est. Inde postea per modum consequentiae in librum derivatur illa supernaturalis proprietas, per quam fit, ut tum omnia ac singula, quae in eo libro dicuntur, divina auctoritate polleant, tum liber ipse, totus quantus est, a Deo veluti dictatus credi debeat. Atqui intelligi nullo modo potest, quomodo factum huiusmodi talisque libri proprietas ab homine absque revelatione divina cum sufficienti certitudine cognosci possint. Quod cum per se manifestum sit, propter rei gravitatem ita magis declaratur. Influxus, quem occasione inspirationis Deus in sacrum auctorem exercet, non solum exterius nullatenus apparet, sed etiam quoad internum factum ita occultus esse potest, ut vel ipsum auctorem, in quo fit, penitus lateat *(cfr. l. II. n. 103. seqq.)* Quae cum ita sint, quomodo quaeso sine revelatione proprie dicta sive influxus iste sive origo libri divina, quae nonnisi ex tali influxu consequi potest, cum plena certudine cognosci poterit? Auctoritatem vero libri cognoscendam quod attinet, haec attende. Quando sicut in casu nostro de auctoritate extrinseca alicuius libri agitur, ea, tota quanta est, ab auctoritate illius, qui scripsit, pendere cognoscitur, ut per se notum esse videtur. Quo posito quaero: Quomodo cum sufficienti fundamento alicui libro auctoritatem divinam tribuere tibi licebit, priusquam aliunde certior factus fueris, librum istum aut Deum habere auctorem aut a Deo approbationem specialem accepisse? His adde, quod libri nostri, quos communi consensu tamquam inspiratos suscipimus, tum quoad externum factum primitivae scriptionis tum quoad totam generatim speciem exteriorem a libris ordinariis parum aut nihil differre videntur. *(Cfr. Franzel. l. c. thes. VI. n. I.; Gutberlet, Buch Tob. p. 31. 32.)*

337. Obiiciet forte aliquis: Nonne etiam miracula ex omnium consensu facta sunt supernaturalia? Et nihilominus nemo negat, ea solis naturae viribus et independenter a divina revelatione qua talia tuto cognosci posse ac debere. Respondemus negando paritatem. Et ratio disparitatis est manifesta. Miracula enim ante omnia sunt facta essentialiter externa ac sensibilia. Miracula inquam facta sunt omnino extraordinaria, et quae etiam quoad exteriorem speciem ab aliis factis quam maxime differunt. Haec igitur est causa instrinseca, cur ea

etiam quoad characterem supernaturalitatis naturaliter cognosci possint. Insuper miracula quia ex natura sua in confirmationem doctrinae revelatae ordinantur, nonnisi ad manifestandam auctoritatem loquentis fieri solent. Quare ex scopo suo per se cognoscibilia esse debent. Quae omnia, ut per se patet, in inspiratione librorum longe aliter se habent vel habere possunt.[1]

338. Progredimur ad ea, quae in assertione nostra secundo loco sunt addita. Per ea contendimus, revelationem divinam, qua existentia librorum inspiratorum, quae per se occulta est, primitus manifestatur, ad finem, qui intenditur, per se solam non sufficere. Quare postulamus insuper, ut revelatio ista tum ante omnia authentice hominibus proponatur sive iuridice promulgetur, tum deinceps per magisterium aliquod, quod et visibile esse debet et infallibile, per temporum decursum continuo custodiatur. Haec post dicta fere per se clara esse videntur. Diximus *(n. 335.)*, quod et experientia quotidiana testatur, in oeconomia praesenti revelationem, de qua paulo ante locuti sumus, directe et immediate non fieri omnibus ac singulis hominibus. Restat igitur, ut revelatio illa, quam omnino necessariam esse ostendimus, directe et immediate nonnisi hominibus quibusdam singularibus concedatur. Sed per hoc, ut patet, immediate saltem et per se totus et integer finis, qui a Deo intenditur, nequaquam attingitur. Notitia enim de existentia librorum sacrorum ex intentione Dei non ad singulares quosdam homines sed ad totum genus humanum spectare cognoscitur. Quare item in Dei intentione positum esse debet, ut notitia haec per eos, quibus primitus conceditur, ad ceteros propagetur. Iam vero hoc sine propositione publica sive promulgatione authentica, qualis pro suscipienda religione revelata generatim requiritur, fieri non posse, omnibus manifestum esse debet. Sed neque haec semel pro semper promulgasse sufficit. Notitia enim ista ad homines omnium aetatum a Deo dirigitur.

[1] Dum haec dicimus, non negamus, fieri posse, ut scriptio alicuius libri etiam exterius miraculosa sit et talis apparcat. *(Cfr. Exod. XX. 1. seqq.; Ierem. XXXVI.)* In hac hypothesi libenter concedimus, libri illius inspirationem sicut miracula naturalibus viribus cognosci posse. At haec hypothesis ex dictis omnino extraordinaria foret. Quare sicut ea non de quolibet libro inspirato valere potest, ita nominatim libris nostris applicari nequit, quod post dicta ulteriore demonstratione non indiget.

Iam vero manifestissimum est, fieri posse, ut notitia semel habita lapsu temporis turpissime corrumpatur aut etiam penitus obliteretur atque pereat. Quod ne etiam in re nostra accidat, manifesto necesse est, ut custodia ac conservatio doctrinae de libris sacris a Deo certis hominibus per modum muneris iniungatur. Ita demum habemus, quod intendimus i. e. necessitatem magisterii visibilis ac perpetui, de quo in assertione nostra secundo loco mentio facta est. Denique non sufficere magisterium quodcumque seu quod mere humanum sit, sed requiri magisterium humanodivinum seu magisterium, quod sub speciali assistentia Spiritus sancti constitutum cognoscatur, ex eius scopo sponte consequitur. Illud enim, quod exigitur, magisterium ex scopo et natura sua eiusmodi sit necesse est, cui homines tum in omnibus sancte fidem habere teneantur tum cum plena securitate committere seipsos possint. Iam vero ad hunc finem pro magisterio, si a mortalibus hominibus exercendum sit, requiri specialem assistentiam Spiritus sancti, negabit nemo, qui ad debilitatem humani ingenii et ad fragilitatem nostrae naturae vel leviter attenderit. *(Cfr. Franzelin de Trad. div. fere per totum maxime thes. II. et hic n. 356. seqq.)*

Scholion. 339. Quaeres, quibusnam in praesenti oeconomia revelatio de existentia librorum inspiratorum immediate concessa fuisse censenda sit. Ex dictis ad hanc quaestionem ista respondemus. Ea revelatio per se spectare videtur ad Prophetas et Apostolos seu generalius ad viros illos, qui ex divina providentia etiam in ceteris pro populo Dei ut revelationis organa et fidei magistri sunt adhibiti. Porro personas istas, si res spectetur historice, cum ipsis auctoribus hagiographis generatim coincidere, notissimum est. Repugnare tamen non censemus, ut revelatio, de qua agimus, primitus aliis hominibus et nominatim ipsis auctoribus hagiographis concessa fuerit, quos ceteroquin neque omnes Prophetas proprie dictos neque Apostolos neque generatim ordinarios fidei magistros fuisse iam diximus. In eo tamen casu ne revelationis divinae et praesentis providentiae ordo turbaretur, aut supponendum est, eam revelationem sive statim sive alio tempore convenienti *(cfr. n. 234.)* simul cum hagiographis etiam Prophetis proprie dictis aut Apostolis concessam fuisse, aut dicendum, hagiographos aut generalius illos homines, de quibus praesens

quaestio versatur, saltem in ea re et per modum actus transeuntis a Deo Prophetarum aut Apostolorum munere dignatos fuisse, prout in re simili de Balaam aliisque personis factum esse constat. Haec sine dubio est ratio, cur v. gr. a veteribus Evangelium Marci, qui insuper in Evangelio edendo a nonnullis aut interpres Petri fuisse aut saltem nonnisi Petri iussu ac consilio Evangelium suum scripsisse dicitur, a Petro Apostolo probatum et in usum ecclesiae traditum fuisse perhibeatur. *(Cfr. Euseb. Hist. eccl. l. II. c. 14. l. III. c. 39. l. V. c. 8. l. V. c. 14.)* [1] In his enim praeter alia, quae ad rem praesentem parum referunt, aperte asseritur, Petrum Apostolum independenter a Marco Marci librum Deo revelante et ut inspiratum agnovisse et qua talem ecclesiae legendum et custodiendum tradidisse.

ARTICULUS SECUNDUS.

Cetera criteria in specie insufficientia esse declarantur.

340. Ut, quod in articulo superiori diximus, magis confirmetur et tota haec res uberius declaretur, iuvat adhuc vim et utilitatem aliorum criteriorum, quae a variis auctoribus pro agnoscendis libris sacris adhibentur vel utcumque adhiberi posse videntur, singillatim expendere. Criteria ista omnia, ut nobis videtur, commodissime ad quatuor revocantur. Nam in hac re 1. recurri potest ad personam sacri scriptoris, 2. ad res, quae in libro leguntur scriptae, 3. ad totius elocutionis vim et operis, efficaciam per quam in legentis animo velut sponte varii affectus salutares ac sanctissimi aliique effectus satis admirandi atque insoliti deprehendantur enasci, 4. denique ad testificationem humanam ab auctore libri derivatam. Haec igitur omnia per se sola insufficientia esse demonstrabimus tractantes per ordinem de singulis.

---

[1] Simile quid etiam circa Evangelium Lucae veteres scriptores Paulo Apostolo attribuunt. *(Cfr. Hieronym. de script. eccl. sub Luca.)* Cum exceptis Actibus Apostolorum ceteri libri Novi Testamenti omnes aliquem ex Apostolis auctorem habeant, soli manent Actus Apostolorum, de quibus sine expresso veterum testimonio ex paritate rei et rationibus intrinsecis idem affirmandum est.

Punctum primum.

De insufficientia criterii, quod desumitur ex persona auctoris.

341. Haud raro contingit, ut non solum auctores heterodoxi sed etiam catholici ex persona scriptoris doctrinam fidei de inspiratione alicuius libri aut omnino demonstrandam aut saltem confirmandam suscipiant. Hinc non erit mirandum, si quispiam in sola persona auctoris certum et infallibile pro agnoscendis libris inspiratis criterium statuere conetur. Istud igitur criterium his verbis ad scopum suum aptissime proponi posset. *Sicubi inveniatur liber, qui aut ab Apostolo aut a Propheta aut generalius a persona scriptus esse sciatur, quae ex munere suo publico doctrinam revelatam divinitus proponendam susceperat; talis liber eo ipso sine ulla haesitatione habendus est ut inspiratus.* Ante omnia ad ista haec adverte. In hac propositione, si ea prout sonat, sumitur, per se non solum scripta Apostolorum aut Prophetarum sed etiam scripta summi sacerdotis Veteris Testamenti aut synedrii veterum Iudaeorum, imo et scripta generalium conciliorum et Romanorum Pontificum Novi Foederis comprehendi cognoscuntur. Sed scripta eorum, quos ultimo loco posuimus, volumus et possumus sine ulteriore inquisitione omittere, cum ea iam per id, quod supra *(n. 324.)* de tempore inspirationis diximus, a numero inspiratorum arcenda appareant. Neque multum moramur in diiudicandis scriptis synedrii Iudaeorum aut Pontificis Veteris Testamenti. Quod enim de scriptis Prophetarum et Apostolorum dicturi sumus, etiam de his valere manifestum est. Quare quaestio, quae hic aut unice aut praecipue agitur, est de scriptis Prophetarum et Apostolorum. Praeter ista, priusquam de hoc criterio in universum iudicium feramus, aliud adhuc notare utile videtur. Ut ex supra *(n. 327. 328.)* dictis patet, criterium, de quo hic agimus, saltem non potest ullo modo esse criterium unicum seu sumi nequit in sensu exclusivo. Dubium enim esse non potest, quin libri inspirati aut editi reapse fuerint aut saltem edi potuerint, in quibus persona auctoris per se nullum motivum aut saltem certitudinem nullam de eius inspiratione suppeditet. Ceterum adversariis libenter concedimus, in diiudicandis libris inspiratis et non inspiratis auctoris personam attente considerandam esse eamque considerationem ad cognos-

cendam libri alicuius inspirationem plerumque haud parum iuvare posse.[1] *(Cfr. Aug. de civ. Dei l. XVIII. c. 38. contr.*

[1] Fingi utique casus extraordinarii poterunt, in quibus forte sola persona auctoris ad finem intentum sufficeret. Talis casus inter alios esset, si Christus Dominus in vita mortali propria manu quaedam scripsisse supponeretur. Nam quia Christus reapse Deus et homo in una persona est, profecto verissime huiusmodi liber Deum haberet auctorem, et consequenter in hoc sensu esset omnino inspiratus. Erit, qui contra haec ita excipere conabitur. Christus in vita sua mortali, et praesertim antequam publicum fidei magistrum agere coeperat, sicut loqui ita et scribere potuit de rebus, quae ad religionem nihil pertinere cognoscuntur. Iam vero liber, qui nonnisi de talibus rebus agat, proprio sensu inspiratus dici posse non videtur. Semper ergo etiam in eo casu aliud requireretur criterium, quo constaret, omnia et singula, quae in tali libro leguntur, tamquam divinitus tradita ad religionem christianam pertinere. Hoc effugio nos non utimur, quia, ut nobis quidem videtur, non multum nos iuvaret. Nam semper verum manet, verba Christi, sive scripta sive ore prolata fuerint, esse revera verba Dei hominis. Quare iis qua talibus semper ea reverentia deferenda esset, quae verbo Dei generatim deferenda est, sive ad revelationem religiosam et publicam spectet sive non. In casu, qui in dicta responsione fingitur, hoc unum est, quod concedendum esset. Quae in tali libro in eo casu legi supponuntur, ad religionem et doctrinam catholicam nequaquam pertinerent. Proinde de iis iuxta eam normam iudicandum esset, iuxta quam de revelationibus privatis iudicium erri consuevit. Porro iis iuxta doctrinam eorum, qui de fide divina sapientissime scripserunt, ab omnibus, qui eas ut divinas certo agnovisse supponantur, eadem fides et reverentia eadem praestanda est, quae generatim ab hominibus pro verbo Dei merito exigitur. Quare haec a ceteris, quae revelationem publicam constituunt, in eo solum differunt, quod generatim loquendo nemo de eorum existentia et authenticitate ex professo curare tenetur, dum e contrario de revelatione publica omnibus curandum est. Ex dictis scies etiam, quid de epistola Christi ad Abgarum, si genuina esse supponeretur, censendum esset et quomodo in ea hypothesi explicari posset, quod ea in canonem Scripturarum non sit relata *(cfr. n. 40 in nota)*. Secundo fingere potes librum, qui, cum a Propheta vel Apostolo sit conscriptus, evidenter in omnibus et singulis talia proponat, quae ad fidem et religionem manifesto pertinent. In hoc casu extraodinario item concedere possumus, huiusmodi librum a libro inspirato parum aut nihil differre. Sed nihilominus etiam hic in rem nostram plura notare oportet. Primo hic est casus minime realis sed manifesto fictus. De facto enim non est invenire librum ab huiusmodi personis editum, in quo rebus religiosis, de quibus generatim tractat, non hinc inde aliquid immisceatur, quod, quamdiu in sola consideratione humana sistitur, non cuipiam a religione alienum et mere profanum aut humanum videri posset. Deinde ex iis, quae suo loco diximus *(n. 74. 97.)*, ad inspirationem libri proprie dictam non sufficit, ut is, a quo liber scriptus esse reperitur, ad loquendum ac

advers. leg. l. I. c. 20. n. 39.) Quod negamus illud unum est, tale criterium pro agnoscenda et retinenda inspiratione certi libri per se solum quoad omnia perfecte sufficere. His praenotatis en doctrina nostra.

342. Assertio. *Solum factum, quod liber aliquis scriptus sit a persona, quae aliunde ut Apostolus aut Propheta aut quomodocumque ut vir divina auctoritate praeditus cognoscitur, non suppeditat argumentum, quod pro adstruenda inspiratione illius libri undequaque sufficiat.* Ut huius assertionis veritas demonstretur, opportune in mentem revocanda sunt omnia ac singula, quae ex doctrina superius *(l. I. II. et VI.)* praestituta ad inspirationem proprie dictam necessario requiruntur. Ad inspirationem igitur ex dictis haec sunt necessaria. Primo omnes et singulae libri sententiae nulla excepta auctoritate divina gaudere debent. Idque secundo inde consequatur necesse est, quia liber modo omnino speciali a Deo ducit originem, sive quia liber Dei nomine ac nutu divino editus fuit. Ad hoc tertio nominatim requirebatur suo tempore extraordinarius Dei influxus tum in mentem ac voluntatem illius, qui scripsit, tum in ipsas etiam vires exsecutivas. Unde fit quarto, ut praeter sensa etiam verba et elocutio libri non solum per omnia ab omni errore sint immunia sed insuper usque ad certum aliquem gradum a Deo ipso in antecessum determinata censeri possint ac debeant. Iam vero ut haec omnia verificentur, certe non sufficit, si liber aliquis utcumque a Propheta aut ab Apostolo conscriptus supponatur. Ut haec res pro gravitate sua magis declaretur, in specie haec advertimus. Ante omnia unum est, quod adversariis concedere possumus libenterque concedimus. Quoties Propheta aut Apostolus praecise ut Propheta aut Apostolus loquitur, seu quando personae huiusmodi unice loquuntur de rebus, quae stricte ad munus apostolicum et propheticum i. e. ad religionem pertinent; tunc eorum verba ac doctrina sine dubio divinam et infallibilem habent auctoritatem. Nec eorum doctrina aliquid de sua auctoritate perdere intelligitur, si ea ab ipsis utcumque proprio nutu scriptis consignetur. *(Cfr. n. 139.)* At pro re nostra ante omnia sequens

oretenus docendum missus et inspiratus fuerit; sed insuper requiritur, ut ille, qui librum edidit, praecise ad scribendum inspiratus et a Deo motus supponatur, quod in casu nostro per se non habetur. At de casibus mere imaginariis satis.

animadversio attendenda est. Homines illi, qui in nostra oeconomia ex suo munere Prophetae et Apostoli exstiterunt, per hoc homines esse nequaquam desierunt. Quo posito quis dubitabit, eos qua tales hinc inde sine speciali Dei mandato tum agere tum loqui tum scribere aliquid potuisse? Quodsi ergo reipsa aliquando non qua Prophetae aut Apostoli sed praecise qua homines nonnulla dixisse aut scripsisse supponantur, in his sine dubio etiam errare poterant. Ubi ergo manet inspiratio? Ad factum quod spectat, huiusmodi homines, quotiescumque de iis, quae ad religionem parum aut nihil spectare videntur, locuti esse inveniuntur, per se non qua Prophetae aut Apostoli sed qua simplices homines egisse supponendi sunt. His suppositis advertatur quaeso, in libris, de quorum auctoritate quaeritur, nonulla inveniri posse ac solere, quae, si in se spectentur, ad religionem revera parum aut nihil pertinere videntur. Talia v. gr. in Pauli epistolis possunt haberi salutationes, quae in fine subiunguntur, et alia similia, in Prophetis variae notitiae circa facta historiae profanae, quae hinc inde prophetiis immiscentur, et alia id generis. Imo in epistolis Pauli una est, ad Philemonem scilicet, quae prima fronte aliud esse non videtur, quam familiaris et privata epistola ab amico ad amicum data. Certe sive Paulum sive alium ex Apostolis epistolas privatas scribere potuisse et aliquando forte etiam scripsisse, negari vix poterit. Iam vero haec ad assertionem nostram demonstrandam abunde sufficiunt. Habebimus enim in hac suppositione libros vel epistolas scriptas ab Apostolis, quae inspiratae non sunt. *(Cfr. n. 137.)* Sed hic opportune accedit alia consideratio. Supponamus parumper librum, qui a Propheta aut Apostolo editus nonnisi de rebus religiosis tractet. Quomodo ostendis, in Dei voluntate positum fuisse, ut Apostolus aut Propheta noster res illas non solum viva voce proponeret sed simul scripto authentico consignaret, sive quod in scribendo non nomine proprio sed nomine Dei egerit? Et tamen haec omnia pro inspiratione requiruntur. Quia ex dictis non sufficit supponere, Prophetam nonnisi ea, quae a Deo acceperat, scriptis consignasse, si proprio Marte scripsisse supponatur. Hoc tum ex iis, quae suis locis de influxu divino circa voluntatem auctoris hagiographi dicta sunt *(n. 95.)*, tum ex comparatione libri inspirati cum definitionibus ecclesiae infallibilis

(n. 102.), tum ex modo, quo ex demonstratis pro libris inspiratis ipse etiam elocutionis tenor a Deo in antecessum determinatus fuit et quadamtenus etiam determinari suo modo debuit *(n. 304. seqq.)*, indubitanter concluditur. Manet igitur certum, quod a nobis assertum est, scilicet ex eo solum, quod liber aliquis a Propheta aut Apostolo sit conscriptus, cum plena certitudine inferri non potest, illum librum in omni rigore et forma inspiratum dici debere.

343. Dices: Fac, ad librum, qui ex concessis *(n. 342.)* ex una parte a Propheta vel Apostolo scriptus est et ex altera nonnisi res divinitus inspiratas continet, accedere factum historicum, quod liber iste ab auctore suo ecclesiae traditus fuerit tamquam liber in ecclesia publice legendus. In hac suppositione certe non apparet, quid huic libro ad veram inspirationem deesse possit. Porro factum istud inspirationem non constituere sed supponere videtur. Ad hanc obiectionem ita respondeo. Vel supponis ut rem certam, in ecclesia publice non legi nisi libros inspiratos, vel id saltem ut certum non supponis. Si hoc posterius amplecteris, iure negabimus, quod ab adversario assumitur. Si dicis alterum, iure nostro ulterius ita quaerimus: Primo unde constat hoc principium, in ecclesia nihil legendum esse praeter libros inspiratos? Certe primis ecclesiae temporibus interdum legebantur, quae inspirata non sunt, ut Pastor Hermae, acta martyrum etc. Dein unde ecclesiae primitus innotuit, librum illum, de quo quaeritur, inter inspiratos legi posse ac debere? Si vera sunt, quae diximus, ecclesia ex eo solum, quod liber aliquis virum apostolicum aut Prophetam auctorem habet, id cum omnimoda certitudine cognoscere non potuit. Aliud ergo praeter personam auctoris criterium ecclesiae pro hoc iudicio suppetere deduit. Hoc vero nos aliud esse non potuisse contendimus nisi revelationem divinam, quam in superioribus postulavimus. Alia deinde quaestio erit, utrum pro ea revelatione semper actum proprium intercessisse praetendendum sit, an vero revelationem istam aliquando implicite in facto historico, quo auctor libri non quidem praecise qua auctor, sed qua Propheta aut Apostolus ecclesiae librum suum per modum aliorum librorum inspiratorum in ecclesia custodiendum ac legendum tradiderit, inclusam invenire liceat. In quaestionem istam, cum huc non spectet nec magni momenti sit, nos hic non ingredimur.

344. Ceterum sententiam nostram inter alia possumus confirmare *expresso testimonio Augustini,* qui *(de civ. Dei l. XVIII. c. 38.)* data occasione de re nostra ita scribit: *„Existimo, etiam ipsos, quibus ea, quae in auctoritate religionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divina scribere potuisse: atque ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero tamquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, haec ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon.“* Accedit consensus totius fere antiquitatis. Id hac ratione invicte demonstramus. Patres et scholastici communiter supponebant, symbolum, quod apostolicum dicitur, ab ipsis Apostolis conscriptum fuisse. Neminem tamen inter eos aut vix unum invenies, qui hoc symbolum Scripturis inspiratis accenseat. Quaenam quaeso est huius rei ratio, nisi quod origo apostolica sola ad inspirationem haud sufficit? *(Cfr. Franzelin de div. Script. thes. V. I. 1.; Cherubinus a s. Ioseph l. c. disp. II. art. 1. §. 4. in fine, disp. III. art. 5. §. 2. n. 44.; Funk Tübing. Quart. ann. 1884. p. 7.)*[1]

[1] Ratio, cur ita sentirent veteres, non solum illa erat, quod inspirationi verbali inhaerentes supponebant, pro scribendo symbolo Dei assistentiam seu influxum divinum in Apostolis non ad singula verba sese extendisse. Potius omnes praecipuam huius rei rationem in eo ponere videntur, quod Apostoli ad illud symbolum conscribendum nequaquam speciali illo impulsu divino, qui ad inspirationem requiritur, ferri sed velut Marte proprio ad opus illud sese accingere videbantur. Ita Apostoli opus illud revera non sub inspirationis charismate sed solummodo sub assistentia illa sunt exsecuti, quae tum ipsis tum successoribus suis ex ordinaria Dei providentia semper praesto est, quando ipsis de rebus fidei et morum pro munere suo agendum est. Hoc sine dubio est, quod voluit exprimere Suarez *(de fid. disp. II. sect. 5. n. 4.)* de symbolo loquens his verbis: «Licet Apostoli illud *(symbolum)* tradiderint Spiritu sancto regente et gubernante quoad veritatem sententiarum, non tamen dictante singula verba, quod ad Scripturam canonicam necessarium est.» Concedendum tamen est, verba Suaresii non esse ex omni parte accurata. Videntur enim verba ista in obvio sensu supponere sententiam de inspiratione verbali. Sed per hoc auctoritate Suaresii non privamur. Dubium enim non est, quin doctor eximius, ut ex aliis locis colligitur, inspirationem verbalem, quam Scripturis tribuit, non adeo stricto sensu intellexerit. *(Cfr. l. c. sect. 3. n. 3., 4., 15.)* Item res nostra nullum detrimentum patitur ex eo, quod iuxta Suaresium *(l. c.)* quidam supponere videbantur,

345. Unum *contra doctrinam* nostram *argumentum* afferri potest, quod hic praetereundum non est. Difficultas est ista. Ubi primis ecclesiae temporibus de canonicitate nonnullorum librorum v. gr. de canonicitate epistolae ad Hebraeos aut Apocalypseos dubium moveri coepit, sancti Patres aliique scriptores, qui illam controversiam attigerunt, aut quaestionem de librorum istorum canonicitate cum quaestione de eorum origine ac genuinitate omnino confundere videbantur, aut saltem utramque quaestionem adeo coniunctam esse existimarunt, ut v. gr. demonstrata apostolica librorum origine simul eorum canonicitas demonstrata et origine apostolica exclusa etiam canonicitas exclusa censeretur. Imo in universum tum Patrum principiis tum sensui christiano repugnare videtur, ut liber aliquis origine certo apostolicus et simul minime canonicus habeatur. Ita inter alios v. gr. Augustinus *(de civ. Dei l. XVIII. c. 38.)* de scriptis antiquissimorum Prophetarum ut Enoch, Noe etc. hac ratione loquitur: «Ea castitas canonis non recipit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum,» Et in alio loco *(contra adv. Legis l. I. c. 20. n, 39.)* simili ratione de apocryphis disserit, qui Apostolis attribui solebant: «Quae si illorum essent, ait, recepta essent ab ecclesia.» *(Cfr. Franzelin l. c.)*

346. Ut ad hanc difficultatem, quae simul cum praesenti assertione etiam ea, quae supra *(n. 328.)* dicta sunt, impetere videtur, respondeamus, haec consideranda proponimus. Ante omnia Patribus certe persuasum esse non potuit, in Novo Testamento nullum librum tamquam inspiratum admittendum esse, qui non ab Apostolo originem ducere cognoscatur.

Apostolos symbolum fidelibus non in scriptis sed solummodo ore tradidisse. Per hoc enim res non mutatur. Possumus enim saltem imo debemus supponere, symbolum illud ab Apostolis compositum postea ab ecclesia de verbo ad verbum scriptis fuisse consignatum. Quare contra adsersarios tota inde manet difficultas. Insuper Patres, de quibus ibi Suaresio sermo est, non dixerunt, Apostolos symbolum nullatenus scriptis edidisse. Patres inspectis contextibus aliud dicere noluerunt, quam symbolum fidelibus non scripto sed viva voce ab Apostolis traditum fuisse, quia volebant, ut fideles illud memoriae commendarent. Per hoc profecto non excluditur, quominus Apostoli symbolum saltem pro illis, qui ipsis in munere docendi succedere debebant, etiam scriptis mandaverint.

Numerabant enim Patres omnes constanter inter libros inspiratos tum Actus Apostolorum tum Evangelium Marci et Lucae, licet optime norint, Marcum et Lucam, qui eos libros suis manibus scripserunt, proprii nominis Apostolos non fuisse.[1] Item non defuerunt inter antiquos, qui Apocalypsin et epistolam ad Hebraeos non Paulo et Ioanni Apostolis, quibus nunc communiter tribuuntur, sed aliis auctoribus adscriberent aut saltem de eorum origine apostolica haud leviter dubitarent. Et nihilominus iidem auctores de horum librorum canonicitate nullibi eandem dubitationem manifestasse deprehenduntur. Ergo auctores isti quaestionem de origine cum quaestione de canonicitate nequaquam ut perfecte identicam habuerunt. Ceterum Apocalypsin et epistolam ad Hebraeos quod attinet, mirum non est neque pro re nostra seriam difficultatem creare potest, si Patres, dum eorum canonicitatem contra impugnatores vindicare conati sunt, simul circa defendendam eorum librorum originem apostolicam valde solliciti esse inveniuntur. Sunt enim libri illi ante omnia de facto sine dubio originis apostolicae; fuerunt etiam sine dubio qua tales ab initio ecclesiae traditi. Quid igitur mirum, si Patres huiusmodi factum tueri conabantur? Aut quid huiusmodi conatus concludit contra assertionem nostram? Profecto nihil. Urgebis: Patres hoc factum tueri videntur tamquam rem, quae pro retinenda canonicitate eorum librorum ipsis omnino necessaria videbatur. At non deest responsio ad istam instantiam. Nimirum cum hi libri reapse ab Apostolis scripti sint, testificatio de eorum canonicitate cum testificatione de origine apostolica semper intime connexa fuit. Quare fieri non potuit, quominus si una pars huius traditionis in dubium vocabatur, etiam veritas alterius partis simul in periculum adduci videretur. Accedit, quod illi, qui eorum librorum fidem et canonicitatem subvertere cona-

[1] Si quis observaret, Patres Evangelium Marci ad Petrum, Lucae ad Paulum ut auctores reduxisse, huic ita reponimus. Primo neminem reperire poterimus, qui tale aliquid de Actibus Apostolorum dixerit. Manet ergo tota difficultas. Insuper dum aliqui ista duo Evangelia ad Apostolos reducere conabantur, non tam de origine et de auctoribus sed de auctoritate horum librorum solliciti fuisse inveniuntur et in ultima analysi nonnisi de eorum authentica promulgatione verba facere intenderunt. *(Cfr. n. 339.)*

bantur, eos ab haereticis confictos et falso Apostolis suppositos fuisse aperte calumniabantur. Iam vero in hisce rerum circumstantiis profecto facile intelligitur, cur Patres et scriptores ecclesiastici circa libros istos quaestionem de canonicitate cum quaestione de origine apostolica ut unam fere et eandem quaestionem habere consueverint, quin in universum nostra principia in dubium vocaverint aut negaverint.

347. Veniamus ad aliam partem obiectionis, quae magis proprie huc spectare intelligitur. Dicunt igitur adversarii: Patres librum aliquem eo ipso, quod origine apostolicus comprobatus fuit, semper etiam sine ulteriori inquisitione pro inspirato habere consueverunt. Ad hanc difficultatem solvendam notamus, quae sequuntur. Ante omnia Augustinum, qui certe consensum aliorum Patrum antecedentium aut ignorare aut spernere non potuit, de Prophetis contrarium docentem *(n. 344.)* audivimus. Porro eandem de Apostolis ac de Prophetis rationem esse, nemo sanus negabit. Per haec simul satis responsum est ad locos, qui ex Augustino in contrarium afferuntur. Nimirum concedere quidem possumus, ab Augustino factum, quo constat, certum librum ab Apostolo aut a Propheta scriptum esse, ut validissimum praeiudicium pro inspiratione considerari solitum fuisse. At simul certum est, Augustinum vim argumenti certi huic facto per se tribuere non intendisse. Id tum ex collatione omnium locorum colligitur tum nominatim luce meridiana clarius patet, si inspiciatur totus textus ac contextus prioris loci, quem supra pro difficultate posuimus. «In historia regum Iuda et regum Israel, ita subdit s. Doctor, . . . commemorantur plurima, quae ibi non explicantur et in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetae scripserunt, et alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur; nec tamen inveniuntur in canone, quem recipit populus Dei.» Quid quaeso evidentius? Nonne Augustinus in hoc loco, quem adversarii in contrarium afferunt, manifesto suffragatur doctrinae nostrae? Per hanc observationem priora, quae in difficultatem afferuntur et supra *(n. 345.)* relata leguntur, magis declarare intendit Augustinus. Quare quae per ea dicuntur, praesentibus contraria esse non possunt. Ceterum Augustinus per ea, quae supra *(n. 344.)* in confirmationem doctrinae nostrae allata sunt et in fine eiusdem capitis tamquam conclusio totius inquisitionis proponuntur,

mentem suam pandit apertissime. Deinde concedimus quidem, haud raro contingere, ut Patres canonicitatem alicuius libri ex persona auctoris demonstrare seu potius confirmare aggrediantur. Sed quotiescumque hoc videmus factum, id post dicta nonnisi revelatione et traditione de divina sacrorum librorum origine, qualem nos pro agnoscenda eorum inspiratione supra postulavimus, aliunde supposita factum fuisse supponendum est. Quae suppositio eo facilius fieri potest, quod, ut de Apocalypsi et de epistola ad Hebraeos paulo ante *(n. 345.)* diximus, traditio ac notitia de inspiratione libri canonici fere semper historice loquendo cum traditione de origine apostolica aut prophetica eiusdem libri conserta esse deprehenditur. Quodsi denique Patres aliquando ulterius progressi simpliciter generale principium statuere aut supponere videntur, quo omnes libri, qui a Propheta aut ab Apostolo scripti esse cognoscuntur, sine ulteriore inquisitione ut libri canonici retinendi proponuntur; tale prircipium ante omnia, ut ex rerum naturis facile subintelligere permittitur, non ad omnia cuiusvis generis scripta originis apostolicae extendendum est. Nam ipsa rei natura postulat, ut tale principium ad eos libros coarctemus, qui, cum de rebus religiosis sive unice sive praecipue tractare inveniantur, ab ipsis auctoribus tamquam libri in ecclesia continuo conservandi ac legendi fidelibus suorum temporum traditi fuerunt. Porro in his, ut supra *(n. 343.)* vidimus, revelatio ac traditio authentica de inspiratione libri virtualiter seu aequivalenter inclusa habetur. His aliud addere possumus. Si demonstrari potest, Patres illud principium in tota sua generalitate et sine ulla limitatione et tamquam rem omnino indubiam proposuisse, possumus nos illud principium cum iisdem Patribns et propter eorum auctoritatem simpliciter concedere. Sed tunc simul contendemus, principium illud non esse principium, quod a Patribus omnino a priori et ex natura rei deductum fuit. Potius in ea hypothesi hoc principium tamquam a postoriori et veluti per inductionem constitutum declarandum erit. Nam principium ita acceptum per se solum factum enuntiat. Quare ut principium istud a Patribus statui iure potuerit, alium cognitionis fontem et altius criterium supponitur. Iam vero sic assertio nostra, quae non de facto sed de iure seu de primitivo cogni-

tionis fonte et de ultimo inspirationis criterio sollicita est, per principium ita acceptum non destruitur. *(Cfr. Franzelin l. c.)*[1]

Punctum secundum.

De insufficientia criterii, quod sumitur ex rebus in libro comprehensis.

348. Erunt, qui non tam ex persona auctoris sed magis ex materia libri criterium seu argumentum pro illius inspiratione derivare conentur. *(Cfr. Franzel. l. c. thes. V. n. II.; Suarez de fide disp. V. sect. 3. n. 8.)* Quare postquam de priore diximus, de isto criterio in praesenti iudicium ferre suscipimus. Criterium istud hoc modo efficacissime proponi potest. *Si liber aliquis ante omnia miracula contineat et prophetias manifestas, si insuper doctrina eius non solum ab omni errore immunis sed in se sublimissima appareat ac sanctissima, et multo magis si praeterea eius textus hinc inde sensum multi-*

[1] Forte hoc principium ne isto quidem sensu tamquam omnino generale aut ex omni parte certum habere cogimur, prout ex sequentibus observationibus patebit. Barnabas a multis ut veri nominis Apostolus habetur, et certe viri non defuerunt nec nostris temporibus desunt, qui epistolam, quae eius nomine circumfertur, ut genuinam i. e. a Barnaba conscriptam habent. Quo posito quaero: Quis virum catholicum damnare audeat, quod ex una parte illam epistolam ut genuinum opus Barnabae et Barnabam ipsum ut verum Apostolum habeat et nihilominus ex altera parte inspirationem illius epistolae negare voluerit? Porro id fieri omnino deberet, si illud principium adeo certum esset, ut adversarii supponere videntur. Deinde Paulus *(I. Cor. V. 9.)* mentionem facit epistolae, quam ipse ante eam, quae in canonicis ut prima ad Corinthios numeratur, ad Corinthi ecclesiam dederit. Numquid illam epistolam, quae modo non amplius habetur et sine dubio nunquam in universali ecclesia recepta fuit, necessario tamquam inspiratam habere cogimur? Non puto. Saltem nemo erit, qui id ut omnino certum asserat. Imo contrarium multo probabilius apparet. Nam ex suppositione, quod ea epistola inspirata fuerit, haud levia sequerentur incommoda. Tunc enim ecclesia christiana culpanda videretur, quod eius incuria liber inspiratus interciderit. *(Bonfr. l. c. c. VI.)* Hoc autem satis durum est. Ubi ergo manet generalis valor illius principii, quod praetendunt adversarii, nos vero in dubium vocavimus? Ex hoc facto, ut apparet, novum enascitur pro re nostra argumentum. Nam per hoc cum haud spernenda probabilitate habemus librum seu epistolam, quae, licet a vero Apostolo conscripta et fidelium coetui transmissa fuerit, tamen nequaquam inter libros inspiratos ac canonicos numeranda est.

plicem sive mysticum sive literalem exhibeat, talis liber propter ista sine dubio habendus est ut inspiratus. Ratio alia non est, quam quia haec ac similia in libro humano nullatenus reperiri posse videntur. Et re quidem vera ubinam invenitur auctor humanus, cuius doctrina moralis ab omni errore immunis sit, aut qui futura praedicens non erraverit? Contra doctrinam huiusmodi nos sequentem assertionem statuimus.

349. Assertio. *Quod in aliquo libro narrantur veri nominis miracula, verae continentur prophetiae, proponitur doctrina, quae et sublimissima et plena sanctitate simulque, quantum humanum ingenium iudicare potest, ab omni errore immunis apparet, vel quod sensui primario ac literali hinc inde accedere deprehendatur sensus mysticus aut etiam ulterior sensus literalis; sine dubio haud leve indicium inspirationis illius libri suppeditat. Nihilominus certum manere debet, haec omnia sive singillatim sive etiam simul sumpta indubitatum inspirationis criterium non constituere.* Primam huius assertionis partem ex professo non demonstramus. Ea enim in primis post omnia, quae dicta sunt, fere per se clara esse videtur. Deinde cum solum agatur de praeiudicio plus minus probabili, non apparet in se res tanti momenti. Unde, ut credo, ista assertionis nostrae pars a nemine in dubium vocabitur. Quare statim ad demonstrationem secundae partis, quae maioris difficultatis est, accedimus. Cum criterium nostrum plura in se complectatur, primo loquemur singillatim de variis huius criterii partibus; quo facto in fine omnia simul et in coniunctione sumpta considerabimus eorum efficaciam coniunctim expendentes.

350. Igitur primo tamquam inspirationis criterium proponuntur *miracula ac prophetiae*, quae in aliquo libro scripta reperiantur. Hoc criterium per se insufficiens esse, si tamen demonstratione indiget, demonstratur hoc modo. Supponamus, quod supponere nihil vetat, Deum pro introducenda inter homines religione revelata suo tempore vera patrasse miracula et ad eam magis confirmandam veras adidisse prophetias. Quo posito quaero: Quaenam in hac suppositione apparet impossibilitas, quominus homo aliquis simplex nulloque instructus extraordinario charismate, nulla denique extraordinaria motione a Deo impulsus haec, quae aut cum aliis et ipse videre et audire, aut a testibus fide dignis accipere poterat, scripto ad

hoc aliquo libro posteris narranda susceperit? Minor adhuc apparet difficultas, ut de huiusmodi miraculis aut prophetiis ab auctore profano in libris de alio argumento conscriptis hinc inde data occasione utcumque fiat mentio. Et ut de rebus in abstracto ad exempla in concreto transeamus, an non potuit v. gr. auctor aliquis profanus narrare ea, quae in egressu populi Israel ex Aegypto in oculis omnium gesta esse scimus? An repugnat ea, quae Prophetae vel Christus Dominus et eius Apostoli per virtutem miraculorum egerunt aut per spiritum prophetiae sunt locuti, ab auctore profano relata fuisse? Imo nonne Philo Iudaeus et Iosephus Flavius, quos charismate inspirationis insignitos fuisse nemo dixerit, haec et similia in scriptis suis aliquando revera attigisse inveniuntur? Quod si verum est, de his et similibus scriptis negari non poterit, quin veri nominis miracula verasque prophetias contineant. At quis nisi stultus propterea ea scripta dicere audebit inspirata? Praeterea aliud notandum occurrit. Criterium istud, quod ab adversariis proponitur, certe non est eiusmodi, ut omnibus libris inspiratis applicari possit. Nam aliqui eorum librorum, qui integri et in omnibus suis partibus sine controversia consensu communi pro inspiratis habentur, aut in toto suo complexu nulla omnino miracula nullasque prophetias continent; aut saltem miracula non exhibent ubique sed solum in parte plus minus exigua. Fieri ergo nullo modo potest, ut ex hoc criterio per se solo aut de inspiratione totius collectionis Bibliorum aut etiam solum de inspiratione vel unius libri cum omnibus eius partibus undequaque certi efficiamur.[1] Tandem

[1] Nil iuvat recurrere in hac re ad unitatem libri; et multo minus efficaciter confugies ad unitatem totius collectionis Bibliorum. Nam unitas huius collectionis, imo et unitas libri cuiusvis per se tanta non est, ut aut ex inspiratione unius libri aut ex inspiratione certae partis alicuius libri ad inspirationem libri integri cum omnibus ac singulis partibus aut ad inspirationem totius collectionis certa conclusione progredi liceat. Quod ut clarius appareat, recolenda sunt, quae alibi diximus. *(Cfr. n. 10.)* Ceterum bene retinendum est, nos hic semper de cognitione certa loqui. Nam prout ex alibi *(n. 321.)* dictis patet, non negamus, ex inspiratione unius loci certo cognita cum maiori vel minori probabilitate integrum librum inspiratum credi posse. Suarez, quod huc pertinet, data occasione *(de fid. disp. V. sect. 3. n. 8.)* ita scribit: «Cum *(Scriptura)* futura praedixit, quae postea videntur impleta, evidens argumentum est, *(haec)*

ab eo, qui tali criterio uti velit, quaerere possumus: Unde nosti, miracula, quibus pro hoc criterio constituendo inniteris, revera evenisse; prophetias, quibus ut criterio uteris, non esse fallaces aut conflictas? Certe prophetiae generatim non semper statim implentur, et nominatim plurimae ex prophetiis, quae in nostris libris inspiratis leguntur, nonnisi in fine mundi implendae exspectantur. Miracula deinde quod attinet, si res in concreto spectatur, manifestissimum est, eorum existentiam nonnisi ex testimonio illius libri satis constare posse, pro cuius inspiratione ac fide demonstranda ab adversariis afferuntur. Ergo facile fit, ut, qui hoc criterio utitur, circulo vitioso implicetur. Quare si quid valet criterium istud, magis ad confirmationem inspirationis aliunde cognitae quam ad primam eius manifestationem ac notitiam servire posse videtur.

351. Non plus iuvat, quae pro certo libro praetenditur, *immunitas ab errore coniuncta cum sublimitate ac sanctitate doctrinae ibidem propositae.* Quod ita invicte demonstramus. Ponamus iterum, quod certe possibile est, Deum ex sapienti consilio plures veritates religiosas hominibus revelasse et veritates istas suo tempore per Prophetas viva voce omnibus propositas fuisse. His suppositis nulla omnino apparet impossibilitas, quominus eae veritates ab auctore aliquo per industriam, quae mere humana est, scriptis consignatae fuerint. Et ut etiam hic in concreto exempla proponantur, quaenam v. gr. apparet difficultas, quominus auctor aliquis profanus inter alia referre potuerit praecepta decalogi Iudaeis omnibus notissima, aut sermonem Christi Domini in monte coram omnibus habitum, aut orationem Pauli Apostoli Athenis in Areopago pronuntiatam, et alia huiusmodi sexcenta? Deinde fide de inspi-

solo auctore Deo scribi potuisse.» Haec nos minus accurate dicta esse censemus. Unde ad ea in forma dialectica ita respondemus. Prophetia aliqua certum et per se sufficiens argumentum est, totum librum, in quo ea legitur, et nominatim illas etiam partes, ubi nulla prophetia inveniatur, solo Deo auctore scribi potuisse, nego. Factum istud certum argumentum est, illam praecise partem, ubi prophetia legitur, solo Deo auctore scribi potuisse, subdistinguo; si absque ulla necessitate et gratis supponitur, prophetiam primo scriptis editam et quasi scribendo datam fuisse, transeat; si prophetia, ut fieri potuit, primitus ore prolata fuit et dein scripta, nego aut iterum subdistinguo: solo Deo auctore i. e. revelante poterat primitus utcumque proponi, concedo; solo Deo auctore poterat scribi, nego.

ratione nostrorum librorum nondum supposita, non adeo manifestum est, in iisdem semper et ubique contineri doctrinam adeo sanctam et sublimem, ut sistendo in sola ratione de eius infallibili veritate et origine divina nullum cuiquam dubium oboriri possit. Quod ut tibi magis persuadeatur, lege inter alia duas posteriores epistolas Ioannis Apostoli, aut pervolve nonnullas partes libri Proverbiorum. Quid ibi apparet adeo sublime? Denique percurre libros historicos fere integros. Nonne ibi aut nullae aut perpaucae veritates dogmaticae ac morales occurrere videntur? Accedit, quod doctrina Scripturae ipsa sua sublimitate haud raro captum humanum omnino superat atque proprie dicta interdum continet mysteria. Quare ab adversariis merito quaeritur: Unde inspiratione libri nondum cognita certo scire possumus, ea, quae in huiusmodi locis dicuntur, esse veritates divinas et non commenta humanae opinionis? Certe fidei mysteria, quae captum nostrum superant, ex solis rationibus intrinsecis ut indubitanter vera cognoscere non possumus. Quare per se considerata intellectui nostro dubia manent. Porro, ut per se manifestum est, quamdiu veritas alicuius rei manet dubia, etiam sanctitas simul atque sublimitas eiusdem sub dubio relinquenda est. Quodsi in his angustiis ad veritatem sublimitatemque doctrinae, de qua agitur, demonstrandam aut tuendam ad traditionem divinam recurrere volueris, nos non obsistimus. At statim quaerimus: Cur non simul, imo cur non prius pro ipsa librorum sacrorum inspiratione demonstranda ad eandem traditionem te recipies, cum et ex natura rei et ex demonstratis haec ipsa traditio eaque sola de librorum inspiratione te ex omni parte certum reddere possit? *(Cfr. Suarez de fide disp. IV. sect. 3. n. 2. 3. disp. V. sect. 3. n. 8.)* Ergo materia ex se sola sufficiens inspirationis criterium non constituit.

352. Ultimum, ad quod post haec recursus patere possit, adversariis est *sensus mysticus* vel etiam *multiplex sensus literalis*. Sed inde pro inspiratione libri certum argumentum duci non posse ex iis, quae supra tum de sensu mystico tum de multiplici sensu literali disputavimus, facile colligitur. Nam ante omnia, prout ibi docuimus, prima species sensus mystici, quae praecipua est, magis et immediatius rebus, quae in libro referuntur ac describuntur, quam ipsi earum descriptioni et

narrationi inesse deprehenditur. Quare de hoc genere sensus mystici quoad rei summam repetere possumus, quae paulo ante de miraculis et prophetiis diximus. Supponatur itaque, quod supponere nihil vetat, certis rebus v. gr. agno paschali, sacro tabernaculo aut templo, sacrificiis Veteris Foederis etc. significationem mysticam a Deo ab aeterno inditam fuisse. Profecto significatio, de qua agitur, rebus istis per se eodem modo inerit, sive a scriptore hagiographo sive a profano relatae ac descriptae supponantur. Nec factum quod spectat, ulla apparet impossibilitas, quominus res huiusmodi, si semel existere supponuntur, a scriptore aliquo profano in suis scriptis attingi ac describi potuerint.[1] Aliam deinde speciem mystici sensus, illam scilicet, ubi significatio non solis rebus sed magis rerum delectui narrandique ordini inesse ponitur, aliqua ratione etiam in libro humano auctorique profano possibilem videri, ibidem ex professo ostendimus. De multiplici sensu literali, prout suo loco diximus, fere idem valet. Non apparet ergo, unde existentia sive sensus mystici sive multiplicis sensus literalis per se sola certum argumentum pro inspiratione libri constituere possit. Accedit, quod sensus mysticus, sub quacumque specie sumatur et multo magis multiplex aut duplex sensus literalis res est, quae in Scriptura aut rarissime aut saltem non adeo frequenter occurrit.

---

[1] Gregorius a s. Ioseph *(Praelect. isag. de Verbo Dei disp. II. lect. 7. §. 42. seqq. coll. lect. 8. n. 51.)* de re nostra ita docet. Ut liber aliquis dici possit habere sensum mysticum, necesse est, ut is, qui auctor libri est et per librum loqui supponitur, res, quae sensum mysticum exhibent, non solum certo ordine disposuerit sed etiam primitus produxerit. Hoc tamen nobis, ut iam alibi dictum est, nequaquam necessarium esse videtur. Nec videmus, qua ratione laudatus auctor assertionem suam demonstraverit. Sed ista utcumque de cetero se habeant, ad rem praesentem nihil pertinere, ita invicte demonstratur. Dicimus: In ista sententia multo magis verum manet, quod a nobis hic asseritur. Si enim doctrina auctoris istius vera esse supponatur, consequenter nunquam constare poterit, libro alicui inesse sensum mysticum, nisi prius aliunde constiterit, librum eundem inspiratum esse seu Deum habere auctorem. Sine hac notitia enim semper ignorabimus, an mystica rerum dispositio, quae fundat sensum mysticum et quae ex sententia huius auctoris semper ac necessario, ex nostra vero sententia naturisque rerum saltem plerumque et in rebus maioris momenti nonnisi Deo ipsi competere potest, ad ipsum auctorem libri pertineat. Quomodo ergo in hac doctrina sensus mysticus sine circulo vitioso pro vero inspirationis argumento afferri possit, haud perspicimus.

Ergo qui hoc adminiculo uti voluerit, plerumque in vanum laborabit. Neque ipsius rei existentia plerumque saltem cum tanta facilitate ac cum tanta certitudine cognoscitur, ut merito a viro prudenti tamquam sufficiens aut utcumque satis aptum inspirationis criterium considerari possit.

353. In fine demonstrandum proposuimus, ea, quae supra *(n. 349.)* ex adversariorum doctrina recensuimus, non solum si singula per se sumantur, sed *neque si simul adesse supponantur et in unum coniungantur, sufficiens criterium* inspirationis constituere posse. Haec res demonstratur facillime. Igitur singula per se non sufficere, paulo ante demonstratum est. Iam vero, quod per se certissimum esse debet, per simplicem argumentorum cumulationem singulorum natura non mutatur. Quare non apparet, quomodo ille, qui singula per se insufficientia esse concesserit, sine contradictione contendere possit, ea, si simul coniungantur, plenissime sufficere. Per coniunctionem enim nihil novi introducitur. Accedit alia consideratio. Nominatim de omnibus ac singulis praesentis criterii elementis diximus, impossibile aut difficile esse, ut ostendatur, ea in omnibus ac singulis partibus Scripturae aut etiam solum in omnibus ac singulis libris Bibliorum revera adesse. Quod si verum est, nonne idem de omnibus ac singulis librorum partibus ostendere multo difficilius, imo si de omnibus ac singulis in particulari sumptis sermo est, omnino impossibile apparebit? Ergo vel ex hoc capite solo totum hoc criterium tamquam insufficiens demonstratur.[1]

Punctum tertium.

De insufficientia criterii, quod ex stilo libri lectionisque efficacia sumitur.

354. *Criterium,* quod tertio loco reiiciendum suscipimus, *ex stilo* libri et ex eius *efficacia* ducitur. Illud cum Franzelin *(l. c.) empiricum* simul et *aestheticum* dici et his verbis aptissime

[1] Idem fere brevissime sic proponitur. Hoc criterium illis sufficere poterit, qui cum Rationalistis totum inspirationis rationem in eo reponunt, quod liber instructioni religiosae utcumque aptus appareat. At qui pro inspiratione cum concilio Vaticano multo plus exigit et inspirationem cum Tridentino ad omnes ac singulas Bibliorum partes extendit, huic criterio quomodo acquiescet?

proponi potest. In libris, qui pro inspiratis ab omnibus habentur, cum mira quadam elocutionis simplicitate per omnia par, imo multo maior orationis sublimitas ac maiestas sociata esse deprehenditur. Unde fieri solet, ut homines, qui ingenio ac sano iudicio inter ceteros maxime excellunt, eorum lectione quam maxime allici ac teneri videantur. Item fieri consuevit, ut quo saepius huiusmodi homines libros istos legerint, eo magis eorum pulchritudine capiantur. Ad haec libri isti in mente eius, qui legit, praeter summam sui admirationem alios etiam effectus v. gr. multiplices animi motus provocare consueverunt, qui purissimi iuxta ac sanctissimi esse cognoscuntur. Talis est v. gr. summa reverentia in Deum ac verbum eius ceterasque res sacras necnon perfectus rerum terrenarum contemptus, ardens aeternorum ac coelestium desiderium castusque Dei amor atque flagrantissima charitas in Deum simul ac proximum. Iam vero non apparet, quomodo haec ac similia de libro, qui inspiratus non sit, naturaliter enasci et utcumque praedicari cum veritate possint. Concludunt ergo adversarii, pro dignoscenda librorum inspiratione vix ad alia quam ad haec ac similia tutius recurri posse.

355. Facilis est ad ista responsio. Ante omnia dici posset: Haec omnia satis explicantur, si doctrina libri ubique sana et in multis divinitus revelata esse suponitur. Iam vero propter ista ex dictis librum nondum proprio sensu inspiratum dicere cogimur. Deinde quisque primo statim intuitu videt, haec et similia, quae ab adversariis proponuntur, licet in se quoad omnia vera esse concedantur, ad constituendum certum inspirationis criterium nimis vaga et indeterminata apparere. Quid enim magis vagum et indeterminatum cogitari possit, quam motus animi, qui in lectione libri, cuius tum origo tum immunitas ab errore aliunde ignota esse supponitur, oboriri soleant aut debeant? Deinde sistendo in sola naturali experientia non sine aliqua apparentia veritatis in dubium vocari poterit, an revera omnes isti effectus, quos ex sententia adversariorum supra proposuimus, et maxime an effectus illi, qui omnium nobilissimi ac pro praesenti scopo praecipui censendi sunt, aut omnino infallibiliter aut saltem ordinaria lege in legentium animis excitari soleant; praesertim si in eo, qui legit, nulla de divina libri auctoritate ac superna eius origine

notitia praecessisse supponatur. Nonne dum nos v. gr. Apocalypsin tamquam librum inspiratum ac plenum divinis mysteriis considerare consuevimus, alii aliis temporibus et inter eos etiam viri, ut videtur, catholici aut saltem haud indocti eam insulsum et ineptum Cerinthi haeretici figmentum dicere non sunt veriti? *(Euseb. Hist. Eccl. l. VI. c. 25.)* Nonne dum nos epistolae Iacobi tamquam scripto apostolica doctrina referto summam deferimus reverentiam, alius, qui et ipse sibi sanum iudicium circa Scripturas arrogabat, eandem epistolam non solum Pauli doctrinae omnino contrariam censuit sed insuper suo iudicio omnino stramineam nedum inspiratam esse pronuntiavit?[1] Quid quaeso ad haec, dum solo hoc criterio uti cogeris, cum sufficienti efficacia reponere poteris? Stilum denique quod attinet, licet omnia, quae ab adversariis de eius praestantia asseruntur, plenissime vera esse concedamus; tamen eundem per se solum certum inspirationis criterium esse non posse, dubium non est. Stilus enim Scripturae, prout in variis eius libris identidem recurrit, certe a stilo communium librorum non adeo differt, ut ex eo discrimine per se solo cum plena certitudine Scriptura nostra inspirata et ceteri libri profani esse apparcant. Insuper non desunt viri magni nominis ac sani iudicii, qui Scripturae stilum in nonnullis libris vel saltem in haud paucis locis admodum humilem, imo rusticum et soloecismis aliisque stili defectibus aut refertum aut utcumque maculatum esse dixerunt. *(Cfr. Hieronym. praef. in Ierem. et Ezech. et ep. 121. ad Algas. q. 10.)* Quae licet premenda nobis minime videantur, ostendunt nihilominus manifestissime, in quantum discrimen inspiratio Bibliorum tum quoad libros integros tum magis adhuc quoad nonnullas eorum partes necessario ab eo adduci debeat, qui nonnisi hoc aut saltem hoc potissimum criterio pro inspiratione agnoscenda et diiudicanda utendum esse statuerit.

Punctum quartum.

De insufficientia testificationis mere humanae.

356. Quae punctis antecedentibus diximus, per se de criteriis insufficientibus satis esse possent. Sed quia scopus

[1] Lutherus in praef. ad edit. Bibl. ann. 1525. penes Walch t. XIV. p. 104.

praesentis libri eo tendit, ut ostendatur, notitiam de inspiratione librorum, quae omnino certa sit et ex omni parte tuta, nonnisi ex revelatione divina et, quae inde originem ducit, traditione catholica hauriri posse; iis, quae in superioribus dicta sunt, adhuc aliquid addendum censemus. Fieri nimirum potest, ut adversarius, quem in antecedentibus impugnavimus, undique pressus et omnibus aliis mediis destitutus tandem ad testificationem mere humanam se recipiat ita contra nos excipiens: Supponere possumus imo omnino ponere debemus, auctorem hagiographum, qui certum librum sub charismate inspirationis primitus conscripsit, charisma sibi collatum et per hoc inspirationem sui operis certo cognovisse. Inde talis auctor praetermittere non potuit, quominus hanc notitiam de inspiratione scripti sui traditione mere humana ad alios propagaret vel etiam expressam testificationem de inspiratione ipsi operi insereret. Ita notitia de inspiratione Bibliorum hac via cum sufficienti certitudine ad nos usque pervenire potuit ac deinceps per omnia saecula futura conservari poterit, sicut conservantur multa alia facta, quae certa omnibus narrat historia. Quae si vera sunt, actum est de illa, quam praetendimus, necessitate revelationis divinae ac traditionis catholicae, quae ut traditio humanodivina traditioni mere humanae opponitur. Ergo *verum, connaturale ac plene sufficiens inspirationis criterium in traditione humana seu in notitiis historicis* constituere debemus.

357. De hoc igitur criterio ultimo loco iudicandum manet. Ante omnia libenter concedimus, istud criterium omnibus aliis, quae hucusque reiecimus, multo aptius atque efficacius esse. At illud ad finem a Deo intentum per se solum plene sufficere, omnino negamus. Quod dum demonstrare aggredimur, aliud item adversariis concedimus seu potius cum illis generatim supponimus, scilicet charisma inspirationis, quo gaudebat hagiographus, inspirationemque operis, quae cum eo charismate immediate connectitur, ut plurimum sacrum auctorem nequaquam latuisse. Nihilominus hic simul notare possumus ac debemus, quod supra invictis argumentis *(n. 103. seqq.)* demonstravimus, scilicet contrariam hypothesim non posse dici absolute impossibilem. His pro re nostra aliam considerationem adiungendam ducimus, per quam, quae supra *(n. 336. seqq.)* dicta sunt, personae auctoris in specie applicantur. Homo sibi relictus seu solis

naturalibus viribus instructus imo et sub ordinario gratiae divinae adiutorio constitutus tum facta supernaturalia, quae in ipso fiunt, ut est iustificatio impii, tum praesentiam et efficaciam gratiae et supernaturalium charismatum in ipso existentium, praecise in quantum supernaturalia sunt, clare saltem et cum omnimoda certitudine cognoscere et a naturalibus discernere non potest. Id inter alia indubitanter constat tum ex doctrina catholica de iustificatione et gratia, tum ex eo, quod iuxta sacram historiam Nathan Prophetae accidisse novimus *(II. Reg. VII.)* et supra *(n. 138.)* accuratius expendimus. His constitutis sequentia consideranda proponimus. Inspiratio hagiographi spectata subiective manifesto supernaturale charisma constituit. Inspiratio vero obiective accepta sive ipsa inspiratio operis, in quantum ab auctore naturaliter cognoscenda est, connaturaliter nonnisi per notitiam inspirationis subiectivae cognosci poterit. Ex quibus iure in rem nostram haec concludimus. Quotiescumque sacer auctor inspirationem sui operis clare et cum omnimoda certitudine cognovisse ponitur, id per illustrationem extraordinariam fieri debuit, quae non quidem essentialiter sed connaturaliter charismati inspirationis adiungitur. Porro illustratio ista manifesto revelationi proprie dictae aequivalet. Unde consequenter in illo, in quo est, essentialiter supernaturalem parit certitudinem. Ita testificatio auctoris hagiographi, si certa est, iam non est mere naturalis sed in suo primo principio involvit elementum aliquod supernaturale et modulo humano longe superius. Non ergo in testificatione mere humana sistere conceditur. Accedit, quod per se nemo cum omni certitudine unico testi credere tenetur. Id a fortiori valet in re, quae maximi momenti esse cognoscitur et ipsi testi facile obscura ac dubia manere potest, ut ex dictis in re nostra accidit. *(Cfr. Deut. XIX. 15.)* Cogitari quidem casus poterit, in quo adsit stricta atque religiosa obligatio habendi certam fidem testi, qui solus est. Sed id nonnisi tunc fieri cognoscitur, quando ad testificationem hominis accedunt signa credibilitatis extraordinaria et plane divina, qualia sunt miracula manifesta aut prophetiae proprie dictae atque eventu comprobatae aut alia huiusmodi. *(Cfr. Ioan. XV. 24.)* Iam vero de casu tali adversarii non loquuntur, et sub istis circumstantiis hominis testimonium non manet amplius testimonium

mere humanum. Qui enim sub his circumstantiis loquitur, manifesto ut legatus Dei loquitur. Quare testimonium eius per haec manifesto elevatur ad ordinem testimonii divini.

358. Conservationem deinde huius testimonii per decursum saeculorum quod attinet, iam supra *(n. 338.)* innuimus, traditionem mere humanam ad scopum, qui praetenditur, non sufficere. Nostrum non est, rem istam in praesenti latius prosequi. Sufficiat breviter innuisse rationes praecipuas, propter quas in hac re nullum aliud medium sufficere invenitur praeter magisterium authenticum atque infallibile, quale ecclesia catholica sibi vindicat. Spectandus est igitur tum finis, in quem libri inspirati societati humanae a Deo dati esse cognoscuntur, tum religio ac inviolabilis firmitas, qua iidem libri tamquam libri divini ab omnibus constanter retinendi ac defendendi sunt. Si igitur rem prius sub hoc altero respectu consideras, firmitas, qua libri nostri ex Dei voluntate ab omnibus fidelibus ut divini retinendi sunt, adeo magna sit oportet, ut de divina eorum auctoritate atque de omnimoda rerum dictorumque veritate nunquam nullisque oborientibus difficultatibus utut gravissimis vel levissime subdubitare cuiquam liceat. Finis deinde, propter quem nostri libri dati sunt, ex alibi dictis *(n. 299. segq.)* praecipue in eo consistit, ut ecclesia ex iis hauriat atque communiat doctrinam revelatam seu ut inde fides nostra ac mores instruantur. Simul Dei voluntas esse cognoscitur, ut omnes, qui cum debita dispositione ad eos legendos accesserint, tum salutarem instructionem in rebus quam plurimis tum incitamenta virtutum efficacissima percipiant. Quare licet ex dictis libri isti prae primis iis traditi fuerint, qui fidei sunt magistri; tamen simul certissime in Dei intentione positum est, tum ut homines in communi omnes horum librorum existentiam, auctoritatem originemque divinam cognoscant ac revereantur, tum ut iisdem unusquisque qua libris divinitus inspiratis humanoque generi traditis pro opportunitate ac modulo suo uti et per eosdem de rebus divinis in dies perfectius erudiri possit. Ad hoc vero, ut patet, requiritur prae aliis certum medium, quo omnes ac singuli homines, si velint, de Bibliorum existentia, natura, auctoritate atque origine divina non tantum utcumque aliquam notitiam accipere sed certo ac via plana i. e. sine ullo periculo erroris et cum convenienti facilitate

edoceri possint. Iam vero tum finem istum tum illam, de qua paulo antea locuti sumus, in his libris retinendis firmitatem per testimonium mere humanum seu per simplicem traditionem historicam obtineri non posse, prudenti cuique sole meridiano clarius esse debet.

359. Tempus est, ut tandem aliquando librum istum et cum eo opus nostrum concludamus. Igitur ex antecedentibus conclusio haec sit. Si quaeritur, primo an in genere pro societate humana humanoque commercio existant libri inspirati, deinde quinam in concreto sint libri isti et ubi inveniatur textus eorum authenticus; adeundum est magisterium authenticum ecclesiae seu traditio catholica. Haec enim cum a revelatione primitiva per Prophetas Veteris Testamenti et per Christum Dominum eiusque Apostolos facta ducat originem, et a fidei magistris sub assistentia Spiritus sancti iugiter propagetur ac custodiatur, ad has quaestiones sola plenissime et infallibiliter respondet. Porro hanc ecclesiasticam traditionem nobis tamquam inspiratos exhibere libros illos et omnes et solos eosque cum omnibus et singulis suis partibus, prout in vulgata latina reperiuntur; omnibus notum est et nos catholici ex definitione concilii Tridentini infallibiliter discimus.[1] Ita

[1] Canon Tridentinus per se et directe solum positivus non vero exclusivus est. Quare non cuique forte adeo certum videbitur, canonem librorum, quem tradit Tridentinum, sicut non potest minui, ita neque augeri posse. Hoc dubium inter alia potissimum inde confirmari potest, quod saeculis elapsis aliquot libros, de quorum canonicitate aliquamdiu in ecclesia haud parum disceptabatur, tandem definito iudicio canoni insertos esse novimus. Quo posito non statim apparet, cur idem fieri nostris aut futuris temporibus omnino repugnet, maxime quia hodiedum nonnulli libri exstant, ut tertius et quartus liber Esdrae, tertius Machabaeorum etc., quos antiquiori tempore viri haud spernendae auctoritatis ut inspiratos habuerunt ac propterea ipsa ecclesia nunc quoque libris inspiratis in appendice adiungi permittit. Et revera inveniuntur theologi, quibus haec ampliatio canonis omnino impossibilis non videtur. *(Cfr. Bonfrer. l. c. c. IV. sect. 15; Kaulen Einleitung n. 48.)* Nobis tamen haec opinio non probatur; non quod hanc quaestionem in sensu contrario definitam habeamus, sed quia nobis opinio modo indicata rationibus theologicis satis certis ut improbabilis excludi posse videtur. Haec paulo magis declarabimus per sequentia. Igitur non negamus, fieri posse, ut quae dubia adhuc aut ambigua sunt, ab ecclesia data occasione definitivo iudicio decidantur. Sed item ab omnibus catholicis ut certum retineri debet, ecclesiam, ubi de rebus fidei agitur, ad quas canon Scripturae sine dubio

iam ab antiquis temporibus cum ceteris Patribus sensit Augustinus *(de doctr. christ. l. II. c. 8. n. 12.)*, dum ita scribit: «In canonicis Scripturis agnoscendis *(solers indagator veritatis)*, ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quae apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt.» *(Cfr. Franzel. l. c. thes. IX. I.)*

360. Ceterum idem principium omnibus ac singulis, quae per decursum huius operis dicta sunt, semper applicandum est. Sicut enim in hoc opere, quantum fieri potuit, omnia ac singula

pertinet, ad definitivam sententiam pervenire non posse, ubi de re, quam ambiguam ponimus, nulla sufficiens suppetit traditio divino-apostolica. Insuper hanc, quam exigimus, traditionem apostolicam quod attinet, item concedimus, fieri posse, ut huiusmodi traditio, quae ceteroquin semper ut revera existens supponenda est, aliquo tempore breviori vel etiam longiori in ecclesia haud parum obscuretur. Hinc simul potest accidere, ut de existentia aut de natura genuina traditionis eiusdem multi doctores privati, imo aliquando etiam doctores publici i. e. Episcopi singillatim sumpti et vel Papa ipse, quoadusque ad solemnem definitionem pervenire noluerint, aliquo modo in ancipiti haereant. Semper tamen ex principio catholico retinendum est, haesitationem adeo magnam in re fidei admittere haud licere, ut cum ea primitiva traditio apostolica conservari amplius non possit. Hinc intelligitur qualis admittendus sit et qualis reapse fuerit saeculo tertio et quarto status rerum circa libros, qui deuterocanonici dici solent. Existebat nimirum etiam tunc traditio apostolica, quae eorum librorum inspirationem testabatur, licet ea non parum obscurata fuerit. At de libris, qui tanguntur in quaestione nostra, idem dici nequit. Licet enim aliquando forte quaedam de eorum inspiratione traditionis umbra exstiterit, propterea quod in nonnullis ecclesiis legerentur et a nonnullis ut canonici citarentur; modo certe illa species traditionis, tota quanta fuit, penitus evanuit. Quare quidquid aliquando aliquibus de istis libris visum fuerit; id nequaquam testimonium verae traditionis apostolicae, quae intercidere nunquam potest, sed meram eiusdem traditionis umbram exstitisse, in praesenti facto ipso comprobatur. Nam libri isti ante omnia hodie nullibi in ecclesia ut textus sacer leguntur. Deinde item a nullo doctore catholico pro canonicis citantur. Imo si unum vel alterum theologum disputandi cupidum excipias, hodie nemo est, qui de hac re serio cogitet. Quodsi libri huiusmodi usque in praesentem diem in multis editionibus Bibliorum in appendice ceteris subnectuntur; totum hoc ob aliam causam fieri non videtur, nisi ne omnino depereant, aut ut opinioni quorundam antiquorum Patrum aut scriptorum ecclesiasticorum certus quidam honor deferatur. Quae cum ita sint, merito concludimus: Circa hos libros deest omnis vera traditio et cum ea necessarium fundamentum, quo innixa ecclesia eos aliquando canonicis Scripturis annumerare posse dicatur. *(Cfr. n. 330. in nota.)*

ad sensum catholicum et ad traditionem ecclesiasticam exigere studuimus, ita et in futurum omnia ecclesiae iudicio subiecta manere volumus; ut per eam, si ita placuerit, quae circa rem praesentem vera quidem nobis sed minus certa videbantur, certiore magisterio proponantur, et si quae falsa nobis exciderint, per iustam censuram corrigantur. Idem denique ius etiam doctoribus theologiae catholicae libenter concedimus, quippe qui traditionem catholicam apprime cognoscunt et certa quadam ratione sensum catholicum repraesentant. *(Cfr. Franzel. de Trad. thes. XVII.)*

INDEX RERUM.

Indicantur numeri marginales.

A.

Accomodare se Deus non debuit quoad elocutionem indoli humani scriptoris in sententia inspirationis verbalis n. 272. 273.

Accomodatio an adhibita ab hagiographis in citanda Scriptura? n. 166.

Accomodatus (accomodus, accomodatitius) sensus qualis? n. 179; is non est Scripturae sensus n. 180.

Additamenta posterius introducta an inspirata haberi possint? n. 325. 328. 329. 326. in nota; quid, si facta fuerint post tempora apostolica? ibid.; an a scriptoribus N. T. ad libros V. T. per modum additamenti quaedam adiuncta sint? ibid. in nota.

Affectus animi ab hagiographis manifestati saepius occurrunt n. 167.; quomodo de iis sit iudicandum? n. 168. 169.; eorum existentia indubitata esse debet n. 168.; item affectus isti semper honesti censendi sunt. et eorum manifestatio licita n. 169.; item ex hoc variae rerum circumstantiae verae esse cognoscuntur n. 170.

Agnus paschalis habet significationem mysticam n. 183.

Aliae personae praeter hagiographum in Scriptura loquentes quantam fidem mereantur? n. 127. seqq.; in particulari Deus et Christus n. 129.; Angeli et generatim coelicolae n. 130.—132.; Apostoli et Prophetae formaliter qua tales 133.; ecclesia consentiens n. 134.; synagoga et Pontifex V. T. n. 135.; personae ordinis inferioris n. 136.; Prophetae qua personae privatae n. 136. seqq. Item Apostoli privatim loquentes n. 139. in nota.

Alienatio sensuum pro inspiratione haud est necessaria n. 101.

Allegoricus sensus qualis? n. 179. 180.; minus apte usurpatur pro sensu mystico n. 184. in nota; pertinet ad sensum literalem n. 221.; suo modo dicendus est directus et immediatus ibid.; allegorica visio Petri non habet proprie sensum mysticum n. 209. in nota 2.

Ambrosius agnoscit in Scriptura genus singulare sensus mystici n. 217.; quid doceat de relatione praesentis status ad statum gloriae? n. 201.

Anagogicus sensus qualis? n. 179. 180.

Angeli boni quantam in sermone fidem mereantur? n. 130. seqq.; eorum verba Scripturae inserta parum absunt ab inspiratione verbali n. 312. Angeli mali vide diabolus.

Antichristus an ex doctrina Scripturae typicos antecessores habeat? n. 200. 210.

Apocalypsis a nonnullis Cerintho adscripta fuit n. 326. 354.

Apostoli quam fidem qua tales mereantur? n. 133.; quid, si loquuntur ut personae privatae? n. 139. in nota; huius rei in Scriptura exemplum non occurrit ibid.; poterant scribere libros privatos n. 342. 343.; quid, si ipsi certum librum ecclesiae legendum tradiderint, de eo libro censendum sit? n. 342.

Apostolicum symbolum cur non sit inspiratum? 343. in nota; aevum apostolicum finem imponit inspirationi publicae n. 324.

Approbatio subsequens iuxta nonnullos pro inspiratione sufficit n. 47.; ea ad hoc demonstatur insufficiens n. 57. seqq.; imo etiam in coniunctione cum passiva assistentia insufficiens manet n. 60.; bene vero libro divinam auctoritatem dare potest n. 57.; approbatio ab hagiographo expresse vel aequivalenter addita qualem auctoritatem dictis aliorum conciliet? n. 148.—150.; talis approbatio vel improbatio sermonibus relatis non semper adiuncta invenitur n. 151.; verba, quibus datur, diligenter expendenda sunt n. 153.

Arca Noe habet significationem mysticam n. 183.

Argumenta, quibus utitur Scriptura, an semper demonstrativa sint? n. 165.

Assistentia passiva a nonnullis ut sufficiens pro inspiratione habita est n. 46.; ea demonstratur insufficiens n. 51. seqq.; quia per eam Deus non fit auctor libri n. 51.—54.; neque per eam res omnes divinam nanciscuntur auctoritatem n. 55. 56.; nec pro inspiratione sufficit assistentiae approbationem subiungere n. 60.

Auctor Scripturae est Deus n. 19. seqq.; modi mere possibiles, quibus Deus auctor libri fieret n. 39. 40.; modus verus, quo Deus Bibliorum auctor factus est n. 74. seqq.; auctor libri in qua sit relatione ad libri res et argumentum? n. 50.; quomodo auctor in scribendo alterius opera uti possit? n. 71. seqq.; auctor hagiographus vere est Dei instrumentum n. 75. seqq.; non tamen inanime n. 268.; an Deus aliquando qua auctor Bibliorum adoptaverit sententiam auctoris profani? n. 61. seqq.; utrum auctor humanus omnia, quae scripsit, perfecte intellexerit? n. 94. 96. 101.; an semper inspirationis conscius fuerit? 103.—105. 116. 336.; is in scribendo libertatem non amittit n. 101. 96. in nota; aliquando refert modo historico, quae ipse alias dixit ac sensit aut fecit n. 158. 159.; alias personam suam a persona Dei discernit n. 160.; quid de his locis iudicandum sit? ibid.; an auctorem hagiographum aliquando privatim errasse concedendum sit? n. 292. in nota; quatenus eius testimonio de inspiratione sui operis credendum sit? n. 356.

Auctoritas divina Scripturae vindicatur n. 11. seqq.: eandem liber aliquis de se humanus nancisci potest per approbationem subsequentem n. 57.; ea directe non pendet a persona auctoris humani qua tali n. 159.

Augustinus agnoscit in Scriptura genus speciale sensus mystici n. 217.; item Scripturae tribuit multiplicem sensum literalem n. 232. 248. 257.; an nihilominus huiusmodi expositionibus negaverit omnem vim demonstrandi? n. 194. 257.; non docuit inspirationem stricte verbalem n. 276.; maxime extollit Scripturae elcquentiam n. 302. 303.; docet. Prophetas et Apostolos libros privatos edere potuisse n. 341. 344.

B.

Barnabae epistola cur non sit canonica? n. 347. in nota.
Bellarminus quid de inspiratione senserit? n. 86.
Benedictio aliquando omissa in narratione creationis an habeat mysterium? n. 214. nota 2.
Bestia in Apocalypsi et eius cornua quid significent? n. 210.; forte Neronem, qui pro typo Antichristi habetur ibid.
Biblia etiam in partibus profanis habent divinam auctoritatem n. 5. seqq.; item per omnia non exceptis partibus historicis aut rebus naturaliter obviis sub divino lumine conscripta sunt n. 82. seqq.
Bonfrerius quid de inspiratione docuerit? n. 46. 47.
Bruno Astensis quid de relatione status praesentis ad statum gloriae seu de triplici tabernaculo dixerit? n. 201.

C.

Caiphas num Propheta fuerit? n. 94.; an responsum eius duplicem sensum literalem exhibeat? n. 253.
Calmet quid de inspiratione rerum omnium atque singularum docuerit? n. 86.
Canon librorum sacrorum unice a traditione catholica repetendus est n. 356. seqq.; post tempora apostolica non potest amplius crescere n. 359. et 330. in notis.
Canonicus liber quo sensu dicatur n. 9.
Cantica sacra Scripturae inserta parum absunt ab inspiratione verbali n. 312. in nota. coll. n. 143.
Canus Melchior quid de inspiratione rerum omnium atque singularum docuerit? n. 86.; quid senserit de auctoritate sermonis Stephani in Actibus Apost.? 144. 153 in nota.
Cerinthus a nonnullis habitus est auctor Apocalypseos n. 327. in nota.
Charisma inspirationis non consuetum sed omnino extraordinarium est n. 91. 92.; charismata concessa ecclesiae primitivae habent significationem mysticam n. 209.
Christus in vita sua an figuram propheticam ecclesiae exhibuerit? n. 200.; eius resurrectio est typus resurrectionis nostrae ibid.; item habitatio in Aegypto, turbatio animi in ultima coena ab ipso admissa, sanguis et aqua ex latere eius aperto profluens per modum mysterii aliquid significant n. 206.; quid censendum sit de eius epistola ad Abgarum? n. 337. et 341. in notis.

Chrysostomus non docuit inspirationem verbalem n. 264. 266.
Circumstantiae extrinsecae quomodo in auctoritatem sermonis influant? n. 145.—147.; circumstantiae, quae requiruntur ad veritatem et honestatem affectuum auctoris hagiographi, necesario verae sunt n. 170.; variae circumstantiae possunt constituere adminiculum, quo ius humanum a divino distinguamus n. 176.
Citatio Scripturae an ab hagiographis fiat aliquando in sensu accommodato? n. 166.
Conclusio, quae fit ab uno loco Scripturae ad alios, pro determinando Dei influxu in hagiographos non est semper legitima n. 43. 263.; conclusio libri II. Machab. explicatur n. 112.; ea excludit inspirationem verbalem n. 277.
Conscientia inspirationis in hagiographis an semper adfuerit? 103. seqq. 116. 336.; contrarium est possibile n. 103. 104.; ea manifesto postulat, ut hagiographus etiam de rebus aliunde notis divinitus certior factus fuerit n. 77.—79.
Consilium, quod in Scriptura proponitur, quomodo sit accipiendum? n. 171. 172.; an huiusmodi consilia sint iuris divini? n. 173.; criteria pro distinguendo consilio iuris divini ac humani n. 176.
Copia et sublimitas sensus in Scriptura non requirit essentialiter sensum mysticum n. 189.
Cornelius a Lapide quid de inspiratione rerum omnium atque singularum docuerit? n. 86.
Criteria traduntur ad distinguendum ius humanum et divinum pro legibus, mandatis et consiliis n. 176.; item ad agnoscendum sensum mysticum n. 187.; pariter ad distinguendum in Scriptura inter elementum humanum et divinum n. 284.; optimum criterium suppeditat finis Bibliorum ibid.; item versiones Bibliorum receptae n. 315.; criteria negativa pro agnoscendis libris inspiratis enumerantur n. 317. 318.; criterium ex materia n. 319. 320.; ex tempore scriptionis n. 318. 324.; ex persona auctoris n. 218. 326.; ex testificatione humana n. 318. 330.; criterium omnium certissimum et universalissimum est revelatio atque traditio divina n. 331. seqq.; criteria positiva pro eadem re enumerantur n. 340. seqq.; criterium ex persona auctoris n. 340. 341.; ex materia n. 348. 349.; ex miraculis et prophetiis in libro propositis n. 350.; ex veritate et sublimitate doctrinae n. 351.; ex multiplicitate sensuum n. 352.; haec omnia licet simul sumpta minime sufficiunt n. 353.; criterium ex stilo et lectionis efficacia n. 354. 355.; ex testificatione humana n. 356. seqq.

D.

Damascenus Ioan. de typica significatione Eucharistiae n. 201.
Dathan et Abiron an a Moyse dicantur statim et in anima et in corpore descendisse in locum aeterni supplicii? n. 290. 292.
David est typus Christi n. 183.

Declaratio Scripturae expressa optimum est medium ad distinguendum inter ius humanum et divinum n. 176.
Defectus multiplicis sensus literalis sive mystici in libro aliquo non excludit inspirationem n. 323.
Definitio ecclesiastica quomodo differat a textu inspirato et ab inspiratione? n. 102. 261.
Delectare, si fit in libris, fieri debet per res ibi propositas n. 287. in nota 298. seqq.
Demonstrare, an vis demonstrandi insit sensui mystico? 192. seqq.; aut multiplici sensui literali? n. 257.
Derivatus sensus Scripturae qualis? n. 179.; is specialem Scripturae praerogativam non constituit n. 180.; est tamen a Deo intentus et ad doctrinam utilis ibid.
Deus est auctor Scripturae et singularum eius partium n. 20. seqq.; infallibilis est in usu verborum n. 288. in nota; qualem influxum in scriptores hagiographos exercuerit? n. 84. seqq.
Deuterocanonici libri semper erant inspirati, licet non semper ut tales fuerint agniti n. 323. 359. in nota.
Diabolus quam fidem in verbis suis in Scriptura relatis mereatur? n. 140. 143. 150.
Dies genesiaci quomodo sint accipiendi? n. 290. 292. seqq. in notis.
Discrimen inter librum inspiratum et definitionem ecclesiasticam n. 102.
Distinctio inter res profanas et religiosas difficilis est sed non impossibilis n. 10. et 286. in nota; distinctio aliquando invenitur facta inter Deum et inter auctorem sacrum n. 160.; quomodo de huiusmodi locis iudicandum sit in rebus doctrinalibus? n. 161. seqq.; aut ubi de legibus ac mandatis agitur n. 171. seqq.
Doctrina de inspiratione librorum quomodo simul fons et obiectum revelationis esse possit? 232.; doctrinae veritas et sublimitas non est pro libro criterium sufficiens inspirationis n. 350. 351.
Dogmaticus locus unus vel alter, qui per eminentiam talis est, parum ab inspiratione verbali abest n. 304.
Donum linguarum in Apostolis habuit significationem mysticam n. 209.
Dubius loquendi modus in Scriptura aliquando occurrit n. 162.; is Scripturae inspirationi non repugnat 164.; suppeditat tamen argumentum contra inspirationem verbalem n 279.
Duo testes in Apocalypsi non ab omnibus eodem sensu intelliguntur n. 210. in nota.
Dupin quid senserit de inspiratione? n. 46. in nota.
Dupplex sensus literalis vide sub literalis; tale quid, sed non in sensu communiter recepto, invenitur in quibusdam factis historicis, quae simul sunt parabolae n. 184. 220. in notis coll. n. 221.

E.

Ecclesia, eius definitiones quomodo a libris inspiratis differant? n. 102. 261.; eius testificatio sufficit ad excludendum librum a canone n. 330.; eadem testificatio unicum est medium plene sufficiens pro

dignoscendis libris inspiratis n. 357. seqq.; quid, si testificatio ecclesiae circa librum aliquem simpliciter negative se habeat? n. 330. et 359. in notis; ecclesia forte non perfecte cognoscit omnes ac singulos sensus textus sacri n. 246. in nota et n. 313.

Efficacia et utilitas lectionis non est criterium infallibile pro inspiratione alicuius libri n. 354. 355.

Elementum in Scriptura alterum est humanum alterum divinum n. 282.; quomodo unum ab altero discernendum? n. 283. seqq. in libris generatim duplex elementum considerari potest, formale scil. et materiale n. 283.; quomodo unum ab altero discernatur? n. 284.; doctrina generalis applicatur ad Scripturam n. 304. seqq.; ad elementum divinum aliquatenus etiam elocutio referenda est. ibid.

Elias, de eius genealogia Scriptura silet n. 214. in nota; an in hoc silentio lateat mysterium? ibid.

Elisabeth, eius verba penes Lucam cur plenam auctoritatem habeant? n. 143.

Elocutio in libris inspiratis non perfecte permissa fuit arbitrio hagiographi sed usque ad certum gradum a Deo intenta et determinata credi debet n. 304. seqq.; ea in Scriptura aliquatenus ad elementum divinum spectat n. 308. seqq.; huc spectat primo orationis ornatus in genere n. 309.; aliquando forte etiam singula verba et tota verborum constructio eo pertinent n. 311.; exempla huius rei n. 312. seqq.; normam ad hanc rem accuratius diiudicandam suppeditant versiones in ecclesia receptae n. 315.; non tamen per haec simpliciter inspirationem verbalem attingimus n. 316.

Error nullus in Scriptura n. 3. seqq. 34. 35. 285. seqq. 291. seqq.; error qualiscumque librum a canone excludit n. 319. 320.; error unus totum librum ostendit profanum n. 321.; error privatus an aliquando hagiographo attribui possit? n. 292. in nota.

Esdrae liber III. et IV. an pro futuro in canonem recipi possint? n. 330. et 359. in notis.

Esther, eius sermones et oratio an et cur canonicam auctoritatem habeant? n. 143.

Eucharistia typus est futurae gloriae n. 201.

Evangelia interdum habent sensum mysticum n. 204. seqq.; non tamen ubique n. 211.

Eversio Ierusalem est typus diei iudicii n. 200.

Evolutio successiva inspirationis an et quo sensu admitti possit? n. 329.

Exempla legum et institutorum, quae, licet in Scripturis reperiantur, tamen non sunt iuris divini n. 174. 176.; sensus mystici ordinarii n. 138.; eiusdem sine typis proprie dictis n. 200.; typorum probabilium in N. T. generatim n. 205. et in specie post adventum Spiritus s. n. 209. seqq.; sensus mystici magis specialis et extraordinarii n. 212. seqq.; multiplicis sensus literalis n. 222. seqq. 251. 253. seqq.; locorum, ubi videtur in Scriptura occurrere aliquid erronei n. 290. 292. 293. 294.; locorum, qui proxime ad inspira-

tionem verbalem accedunt n. 312. seqq.; locorum, ubi aliena manu aliquid libris inspiratis additum videtur n. 329.
Extraordinarius modus, quo Deus auctor librorum fieri potuerit n. 39. 40.

F.

Fabulosa an hinc inde occurrant in sacris libris? n. 296. 297.
Facta historica, quae simul habent significationem parabolicam n. 184. in nota. 221. in nota.
Fauni, quo sensu in Scriptura eorum fiat mentio? n. 296. 297.
Festum Phurim an sit institutionis divinae? n. 176.; idem de festis tempore Machabaeorum introductis ibid.
Ficus a Christo maledicta habet significationem mysticam n. 206.
Figuratus Scripturae sensus qualis? n. 179.
Finis libri in genere qualis sit? n. 49.; is pro operibus artis optime determinat, quid in iisdem formale sit quid materiale n. 284.; finis Scripturae primarius in quo consistat? n. 285.; idem finis magis accurate proponitur n. 286. 298. 300.
Foetus humanus an in libro Sapientiae dicatur formari et ali ex sanguine matris? n. 290. 292.
Forma librorum Scripturae exterior ad formalem Scripturae partem pertinet n. 308.
Formale elementum in Scriptura distinguitur contra materiale n. 283.; in quo id generatim consistat et qua norma a materiali distinguatur? n. 284.; illud magis in specie determinatur n. 304. seqq.
Formicae an propter auctoritatem Scripturae credendae sint eximiae industriae et omni duce carentes? n. 296. 297.
Franzelin quid de inspiratione singulorum doceat? n. 86.

G.

Genealogia Christi in Evangelio habet significationem mysticam n. 214.; cur in ea aliquae generationes omissae fuerint? n. 216.; eius omissio in Melchisedech mysterium habet n. 213. 214.; non vero in Elia n. 214. in nota.
Gloriae status perfectior est quam status N. T. n. 201.
Γραφή saepe singularem aliquem textum Scripturae significat n. 31.
Gregorius M. agnovit in Scriptura multiplicem sensum literalem n. 232.

H.

Hagiographus vide auctor.
Hieroglyphica signa an librum constituere censeantur? n. 49. in nota.
Hieronymus an docuerit inspirationem verbalem? n. 264. 267. 276.; quid de stilo Scripturae senserit? n. 271. 356.
Historicus Scripturae sensus inter alios a veteribus numeratur n. 179.; quid sub eo nomine veniat? n. 180.

Humanum aliquid quot modis in Scriptura occurrere videatur? n. 155. 157.; quomodo talia, si ex persona hagiographi proferantur, tamquam a Deo dictata considerari possint? n. 156. 159. seqq.; an mere humanum elementum sit in Scriptura admittendum? n. 282.; quomodo elementum humanum in ea ab elemento divino distingui possit? n. 283. seqq.

I.

Iacob Patriarchae agendi ratio in captanda patris benedictione an sit probanda, et an ejus sermo a mendacio excusari possit? n. 152.; ea habet significationem typicam n. 183.

Iansenismi fautores vitiose in omnibus factis vitae Christi quaerebant figuram futurorum n. 211.

Iason Cyrenaeus, an auctor libri II. Machab. ab eius fide pendeat? n. 111. 113.; an amborum libri quoad materiam perfecte conveniant? n. 109. 110.

Iehu cur a Deo laudatus et praemio affectus fuerit? n. 152.

Iephte, an eius agendi ratio per omnia sit probanda? n. 152.

Ieremias qua ratione prophetias suas aut primitus ediderit aut iniuste deletas restituerit? n. 43. 44.

Ierusalem, eius eversio est typus diei iudicii n. 200.

Immediata quo sensu dici possit ac debeat inspiratio? n. 89.

Immunitas ab errore tribuitur Scripturae a Patribus ac theologis aut expresse n. 3., aut virtualiter n. 4.; solvuntur difficultates contra hanc doctrinam n. 25. 26. 177.

Impedimenta matrimonii V. T. an omnia iuris divini censenda sint? n. 176.

Imprecationes, quae leguntur in nonnullis Psalmis, quomodo sint intelligendae? n. 167. 169.

Improbatio, quae in Scriptura verbis alicuius subiungitur, quid efficiat? n. 149. seqq.

Impropria esse potest Scripturae locutio, at non falsa n. 288. seqq.

Impulsus praevius ad inspirationem necessario requiritur n. 74. 95. seqq.; cuius generis esse debeat? ibid.

Indeterminata locutio an inspirationi omnino repugnet? n. 162. 163.; ea suppeditat argumentum contra inspirationem verbalem n. 279.

Indifferentes res an in Scriptura occurrant et qua ratione ibi utiles dici possint? 32. 33. 287.; qua certitudine constet, in iis Scripturam nihil erronei habere easque inspiratis annumerandas esse? n. 34. 35.; res istae elemento humano accenseri nequeunt n. 285. seqq.; quomodo a Deo intentae haberi possint? n. 287.

Indoles libri finem libri manifestat 286. 299.; ex ea pendet, an res eodem ordine, quo in libro referuntur, evenisse credendae sint n. 295.

Influxus Dei quotuplex et qualis pro inspiratione generatim requiratur? n. 74.; speciatim pro intellectu n. 76. seqq.; quomodo differat influxus iste ab ordinaria illustratione gratiae? n. 91.; item pro

voluntate qualis? n. 95. 96.; quomodo differat a motione gratiae ordinaria? n. 99.—101.; pro viribus exsecutivis quid importet? n. 97. 98.; quomodo differat a ceteris gratiis gratis datis? n. 92.; quatenus ad verba et elocutionem extendendus videatur? n. 288. seqq.; infimus huius rei terminus n. 288. 289.; terminus superior n. 298. seqq.; influxus divinus etiam extenditur tum ad formam libri exteriorem n. 308.. tum ad ornatum orationis in genere n. 209.. tum aliquando saltem ad singula fere verba n. 311. seqq.

Inspiratio aut subiective aut obiective seu terminative considerari potest n. 94. 101.; quo sensu mediata vel immediata dici possit? n. 89.; item perfecta et imperfecta n. 91. 94. 101.; alia est ad loquendum, alia ad scribendum n. 97.; inspiratio Scripturae theologice demonstratur n. 20. seqq.; speculative exponitnr n. 75. seqq.; eadem ad omnia etiam profana extenditur ll. cc.; eius charisma differt a gratia ordinaria n. 91.; item a ceteris gratiis gratis datis n. 92.; quo nexu cum sensu mystico vinciatur? n. 186.; inspiratio talem sensum non exigit sed admittit n. 186. seqq.; quo nexu vinciatur cum multiplici sensu literali? n. 227.; inspiratio verbalis quam recepta aliquando fuerit in scholis? n. 17. 85. 259. 264. 268.; sententia scholae n. 268.; quibus argumentis ea doctrina innitatur? 260. seqq.; argumenta ista minus valida sunt ibid.; nominatim inspiratio verbalis non requiritur ad constituendum verbum Dei scriptum n. 260. 161.; medium inter inspirationem verbalem et omnimodam licentiam hagiographi in usu verborum ponere non repugnat n. 261.; ea doctrina impugnatur argumentis positivis n. 271. seqq.; in singularibus quibusdam locis ea res admitti potest n. 311. seqq.; non tamen ubique n. 316.; criteria pro inspiratione agnoscenda n. 317. seqq.

Intellectus hagiographi quali lumine imbutus fuerit? n. 75. seqq. 91. 92.; an tali lumine indiguerit etiam in rebus aliunde notis? n. 77. seqq.; qua ratione hoc lumen hagiographis concessum fuerit? n. 93. 94.

Ioannes et Petrus currentes ad Christi sepulcrum habent significationem mysticam n. 206.; item Ioannes sub cruce Domnini constitutus ibid.

Iob an fuerit persona historica? n. 297. in nota; eius spes de resurrectione vera prophetia est n. 170.; quantam auctoritatem habeant generatim sermones ipsius et amicorum eius? n. 148. 149.

Iosue quo sensu solem stare iusserit? n. 290. 292.

Isaak habet rationem typi n. 183.

Iudaei, eorum traditio an stet pro inspiratione verbali? n. 270.; servitium, quod iidem iubente Herode Magis praestiterunt, habet significationem mysticam n. 260.

Ius humanum quomodo inesse possit institutis, legibus, mandatis etc. in Scriptura expressis? n. 171.—174.; exempla huius rei n. 174. 176.; quibus criteriis ius humanum et divinum in similibus discerni possit? n. 175. 176.

L.

Labor et vigiliae an per inspirationem a scriptore penitus excludantur? n. 114.—116.

Lazari resuscitatio habet significationem mysticam n. 206. 217.

Lectio Bibliorum singulis fidelibus utilis est et a Deo aliquatenus intenta credi potest n. 300.; eiusdem efficacia et utilitas criterium infallibile pro inspiratione non suppeditat n. 354. 355.

Lepus quomodo in Scriptura dicatur ruminare? n. 290. 292.

Lessius quid de inspiratione docuerit? n. 47.

Lex in Scriptura expressa quid importet? n. 171. 172.; an necessario sit iuris divini? n. 173.—175.; criteria, quae in iudicio de hac re attendenda sunt n. 176.; lex de non ordinando bigamo, prohibens esum sanguinis et suffocati, statuens pro Iudaeis nonnulla impedimenta matrimonii an iuris divini sit? ibid.; lex de bove triturante habet significationem mysticam n. 183. 200.

Libellus repudii an iuris divini fuerit? n. 176.

Liber, eius notio n. 48.; eiusdem finis et destinatio n. 49. 287. in nota 2.; in eo elementum materiale et formale distingui potest n. 283.; quid in eo sit materiale et quid formale? n. 284. seqq.; liber canonicus quid significet? n. 9. 13.; liber sacer aut divinus quo sensu dicatur? n. 5.—8, 58. 59.; libri canonici sive sacri sunt authentica publicae revelationis instrumenta n. 36.; iidem ab omni errore immunes sunt n. 2. seqq.; item habent in omnibus divinam auctoritatem n. 5. seqq.; quomodo differant a definitionibus ecclesiasticis? n. 102.; quem finem ex Dei ordinatione habeant? n. 285. 286. 298. seqq.; an omnes a Propheta aut Apostolo conscripti sint? n. 342. seqq.; liber profanus an vera miracula verasque prophetias continere possit? n. 349.; an habere possit sensum mysticum aut multiplicem sensum literalem? n. 350.; an Apostolum aut Prophetam auctorem habere possit? n. 327.

Liberatio populi Israel ex Aegypto habet significationem mysticam n. 183.

Limites inspirationis describuntur n. 285 seqq.; infimus inspirationis limes n. 282. seqq. coll. n. 259. seqq.; limes inspirationis supremus n. 298. seqq. coll. n. 259. seqq.; limites inspirationis subiectivae n. 94. 96. 101. 292. in nota 2. et 313.

Linguae, donum linguarum in primitiva ecclesia habuit significationem mysticam n. 209.

Literalis Scripturae sensus qualis? n. 179.; eius species sunt sensus tropicus et symbolicus n. 180.; natura eius accuratius describitur n. 220. 221.; an semper sit clarior quam sensus mysticus? n. 202.; multiplex sensus literalis an iisdem verbis subesse possit? n. 222. seqq.; id saepissime est impossibile n. 222.; neque pro inspiratione necessarium aut opposito semper praestantius apparet ibid.; aut necessariam praerogativam libri inspirati constituit n. 227.: in abstracto tamen res certe possibilis est tum generatim n. 223., tum etiam in contextu n. 224.; idem demon-

stratur auctoritate n. 226. in nota; quaestio de hac re pro interpretatione Scripturae haud spernenda videtur n. 228.; neutra ex sententiis oppositis absolute certa est n. 230. 231.; expenduntur argumenta utriusque sententiae n. 230. seqq.; affirmativam sententiam expresse docuit s. Augustinus n. 232. 248.; s. Gregorius n. 232. et s. Thomas n. 238.; eam doctrinam nemo Patrum expresse improbavit n. 232.; imo multi implicite eidem favere videntur e. 234. 256. 257.; item aperte favet schola n. 235. seqq.; haec theoria nequaquam contra naturam humani sermonis est n. 240. seqq.; neque postulat essentialem mutationem in regulis hermeneuticis n. 241. 242.; an theoria ista faciat Scripturam ambiguam et aenigmaticam, aut obscuriorem et pro demonstratione minus aptam? n. 243. seqq. 249. 257.; est tamen multiplex sensus literalis res extraordinaria et pene miraculosa n. 246.; ideoque haec res firmis argumentis demonstranda esset n. 246. 256.; nihilominus nemo absolute ab inquisitione multiplicis sensus literalis impediendus est n. 256.; sententia negativa inductione demonstrari nequit n. 246. in nota; per sententiam affirmativam augetur profunditas et pulchritudo Scripturae n. 247. 248 coll. 245.; ea facit Scripturam minus ambiguam n. 249.; Scriptura secundum multiplicem sensum literalem vim demonstrandi habere potest n. 257.; defectus multiplicis sensus literalis argumentum certum contra inspirationem libri non constituit n. 323.; neque, si adsit, inspirationem libri invicte demonstrat n. 352.; sensus Scripturae literalis aliquando obscurus, abstrusus et improprius n. 288. seqq.; nunquam vero falsus esse potest ibid.

Locus unus vel alter dogmaticus parum abest ab inspiratione verbali n. 314.; idem valet de aliis quibusdam locis singularibus n. 311. seqq.

Locutio Scripturae aliquando obscura, abstrusa, ambigua et impropria est n. 293., non tamen falsa ibid.; locutio poëtica an sensum verborum mutare possit et quantum sit attendenda interpreti? n. 294.

Lucas an in prooemio Evangelii omnem impulsum extraordinarium pro scriptione illius libri excludat? n. 117. 118.; an operi suo nonnisi humanam auctoritatem vindicaverit? n. 117. 119.; cur ad auctoritatem humanam provocet? ibid. in nota; an semper stricte sequatur ordinem historicum? n. 295.

Lumen hagiographo concessum quale fuerit? n. 88. seqq.; quomodo differat a gratia ordinaria? n. 90. 91.; et a gratiis gratis datis in communi n. 91. 92.; potest aut mere intellectuale esse aut sensibilibus repraesentationibus contineri n. 93. 94.; lumen extraordinarium aliquando certis personis fuit concessum, quod eorum verbis relatis in Scriptura confert auctoritatem divinam n. 142. seqq.

M.

Machabaei, an festa ab iis instituta fuerint iuris divini? n. 176.; liber II. Machabaeorum an simplex sit epitome operis profani? n. 109. 110.; an ex sententia auctoris nonnisi humana polleat

auctoritate? n. 111. 112.; an labores et vigiliae auctoris noceant inspirationi? n. 114.—116.; quid de eius stilo sit censendum? n. 112. in nota; an demonstrari possit, auctori inspirationem operis sui penitus incompertam fuisse? n. 116.; mater Machabaca quam fidem in verbis ab hagiographo relatis mereatur? n. 145. 147. 150.

Magisterium authenticum pro conservanda revelatione primitiva necessarium est n. 336. 357. seqq.

Maledictio fici a Christo prolata habet significationem mysticam n. 206.

Mandata in Scripturis expressa quid importent? n. 171. 172.: non semper sunt iuris divini n. 173. 175.; quibus criteriis unum genus ab altero distinguatur? n. 176.

Manifestatio rerum per Deum variis modis fieri potuit n. 93. 94.; ea aut per lumen intellectuale aut per media sensibilia aut per imagines aut per verba facta credi potest ibid.

Maria Virgo, eius verba in Evangeliis relata quam fidem exigant? n. 133. in nota.

Maria et Martha sorores habent significationem mysticam n. 206.

Mater Machabaca, quam fidem in suis sermonibus ab hagiographo relatis mereatur? n. 145.—147. 150.

Materia libri criterium certum inspirationis non suppeditat n. 349.; tamen inde argumentum contra inspirationem tuto duci potest n. 319. 320.; item eadem inservit ad distinctionem iuris divini et humani in legibus, mandatis etc., quorum in Scriptura mentio occurrit n. 176.

Materiale elementum in libro generatim quid sit? n. 284.; quid sit nominatim in Scriptura? n. 283. seqq.; qua norma ab elemento formali tuto distinguatur? n. 284.; huius normae applicatio n. 285. seqq.

Matrimonium quid significet? n. 200.; an omnia eius impedimenta in V. T. fuerint iuris divini? n. 176.

Media, quibus cognoscitur sensus mysticus n. 187.

Melchisedech habet rationem typi n. 183. 213. 214.; quo sensu fuerit sine patre etc.? n. 213.

Miracula, licet facta supernaturalia sint, nihilominus naturaliter cognoscuntur n. 337.; cur ita sit? ibid.; vera miracula in libro profano legi possunt ideoque pro libro aliquo eorum relatio certum criterium inspirationis non constituit n. 350.

Modus extraordinarius, quo Deus potuit fieri auctor librorum n. 39. 40.; varii modi, quo Deus hagiographis veritatem manifestare potuit n. 93. 94.

Montanistae quo sensu Prophetis et hagiographis adscripserint alienationem sensuum? n. 101.

Moralis Scripturae sensus qualis? n. 179. 180.

Motus animi saepe manifestantur ab hagiographis n. 167.; quomodo de illis sit iudicandum? n. 168. 169.; de eorum veritate et existentia nullatenus dubitare licet n. 168.; idem valet de honestate et utilitate manifestationis n. 169.; haec necessario secum inferunt existentiam seu veritatem multiplicis generis circumstantiarum n. 170.

Movere ad scopum libri spectare potest n. 287. in nota; id in libro non fit nisi per res intellectui propositas ibid.

Mulieres exterae et peccatrices cur ponantur in genealogia Christi? n. 215. 216.

Multiplex Scripturae sensus n. 179.; diversa eiusdem genera, ibid.; inquisitio de hac re ad plenam explicationem inspirationis pertinet n. 178.; multiplex sensus literalis, vide sub literalis; praeter literalem sensum admittendus est sensus mysticus n. 188. seqq.; cetera de eodem vide sub mysticus; multiplex sensus an sit praerogativa Scripturae et criterium infallibile inspirationis constituat? n. 190. 227. 323. 352.

Mysterium latet in omissa genealogia Melchisedech n. 213. 214.; item in omissione benedictionis additae circa creationem nonnullorum animalium n. 214. in nota 2.; item in omissione plurium generationum in Christi genealogia n. 215. 216.; pariter in assumptione mulierum exterarum et peccatricum in eandem ibid.; item in suscitatione Lazari n. 206.; in numero et electione hominum, qui a Christo resuscitati perhibentur n. 217.

Mysticus Scripturae sensus qualis? n. 179.; hoc nomen est prae ceteris aptissimum n. 184. in nota; quid stricte sub hoc nomine veniat? n. 182. 183.; quomodo iste sensus a symbolico et parabolico differat? n. 184. 220. 221.; speciale et extraordinarium genus sensus mystici describitur n. 185., et possibile ostenditur ibid.; variae quaestiones, quae circa sensum mysticum fieri possunt n. 186.; sensus iste possibilis n. 187.; variis mediis cognosci potest ibid. et 184.; an sit in profano libro omnino impossibilis? n. 190. 191.; item interdum Scripturae revera inest n. 188.; non tamen ubique aut adeo frequenter n. 189.; nominatim in Evangeliis et vita Christi ubique quaerere sensum mysticum, vitiosum est n. 211.; sensus iste non praesumendus sed demonstrandus est n. 189.; an sit Scripturae exclusive proprius? n. 190. 191.; quid s. Thomas de hac re senserit? ibid.; an hic sensus vim demonstrandi habeat? n. 192.—194. 203. 218. 227.; is est multo frequentior in V. T. eique convenientior n. 195. 203.; an nihilominus etiam in N. T. aliquando reperiatur? n. 195. seqq.; an necessario requirat typos? n. 199. 200.; an per se adeo obscurus sit et nominatim semper obscurior sensu quolibet literali? n. 202.; an in hac re sit facienda distinctio inter Evangelia et alios libros N. T. aut inter tempus ante et post adventum Spiritus s.? n. 204. seqq.; praeter genus commune admittendum est etiam aliud genus sensus mystici magis speciale et quasi extraordinarium n. 212. seqq.; an sensus mysticus criterium infallibile inspirationis constituat? n. 323. 352.

Mythicus sensus qualis? n. 179.; quomodo a symbolico et parabolico differat? ibid.; in abstracto secundum certam rationem non pugnat absolute cum inspiratione n. 180 in nota.; non tamen ullibi reperitur in Scriptura nostra n. 180.; imo iuxta rationem illam, qua a nonnullis concipitur, cum inspiratione omnino pugnat n. 180. in nota.

N.

Natan Propheta, dum credebat in spiritu se loqui, deceptionem passus est. n. 138.
Navicula Petri habet significationem mysticam n. 206.
Nazianzenus Gregorius an doctrinae de inspiratione verbali faveat? n. 264. 266.
Nero fuit typus Antichristi n. 200. 210.
Norma iudicandi de sermonibus aliorum Scripturae insertis multiplex esse potest n. 121. seqq.; norma ad distinguendum inter ius humanum et divinum pro legibus etc. in Scriptura expressis unde desumenda? n. 173.—176.; norma distinguendi inter elementum formale et materiale unde petenda sit? n. 284,; norma statuta applicatur ad Scripturam n. 285. seqq.; normam magis specialem pro hac distinctione suppeditant receptae Bibliorum versiones n. 315.
Nota aliunde an et quo sensu a Deo hagiographis suggerenda fuerint? n. 77. seqq.
Notio libri diligenter definitur n. 48.
Novum Testamentum an habeat sensum mysticum? n. 185. seqq.; eidem typi absolute non repugnant n. 199. 200.; unus vel alter typus eidem revera inest n. 201.; an N. T. et ipsum quandam obscuritatem admittat? n. 202.; an mysticus sensus in N. T. adeo frequens sit? n. 195. 203.; an in hac re facienda distinctio inter Evangelia et reliquos libros? n. 204. seqq.; aut inter tempus ante et post adventum Spiritus s. ibid.; status N. T. in medio est inter statum V. T. et statum gloriae n. 201.
Numerus librorum canonicorum repetendus est ab ecclesia sive a traditione catholica n. 331. seqq. 358. 359.; numeri in Scriptura an aliquando falsi sint aut minus exacti? n. 291. in nota.

O.

Obscura est aliquando Scripturae locutio, at nunquam falsa n. 298. seqq.
Obscuritas, quae est in sensu mystico, non pugnat cum charactere N. T. n. 202.
Obstetrices Hebraeorum in Aegypto quare a Deo laudatae fuerint et praemio affectae? n. 152. 153.
Omissio genealogiae Melchisedech habet significationem mysticam n. 213. 214.; idem non valet de Elia n. 214. in nota 1.; item mystica haberi potest omissio benedictionis in creatione aliquorum animalium ibid. in nota 2.; item non sine causa mysteriosa aliquae generationes omissae sunt in genealogia Christi n. 215. 216.
Omnia ac singula, quae Scripturae insunt, divinitus inspirata sunt n. 31. seqq.; ideoque a Deo speciali modo hagiographis communicata n. 71. seqq.
Opiniones hominum et temporum an et quatenus ab hagiographis fuerint adoptatae? n. 291. in nota.
Opus idem quomodo simul a duobus produci possit? n. 63. seqq.

Ordo rerum historicus an in Scriptura semper sit servatus? n. 295.; quid in hoc de Evangelio Lucae tenendum sit? ibid?
Origenes non docuit inspirationem verbalem n. 264. 266.
Originalis textus an magis inspiratus sit quam versiones? n. 281. 315.
Origo apostolica aut prophetica pro inspiratione libri non est necessaria n. 346.; neque eam infallibiliter infert n. 341. seqq.
Ornatus elocutionis in Scriptura aliquatenus ad elementum divinum; libri pertinet n. 309. 310.

P.

Parabolae, quae simul sunt facta historica n. 184. in nota.
Parabolicus sensus qualis? n. 179.; is in rigore ad sensum literalem pertinet n. 180.; quomodo a mystico sensu differat? n. 184. 220. 221.
Paralleli loci argumentum suppeditant contra inspirationem verbalem n. 274. seqq.
Pars libri, quid Tridentinum sub hac voce intellexerit? n. 7.; in Scriptura partes singulae inspiratae sunt n. 30. seqq.; una pars libri formalis est altera materialis n. 283.; quomodo pars formalis a materiali discernatur? n. 284. seqq.; applicatio rei ad Scripturam n. 285. 304. seqq.
Πᾶς sine articulo habet sensum distributivum n. 31.
Patres quid doceant de inspiratione Bibliorum? n. 21. seqq. coll. 25. 26. 176. 268.; an docuerint inspirationem verbalem? n. 264. seqq. 276.; iidem in Evangeliis inveniunt sensum mysticum n. 205. 206.; item proponunt genus quoddam speciale sensus mystici n. 217.; aliquando forte in agnoscendo sensu mystico nimii fuerunt ibid.; quo sensu hagiographos instrumentis inanimatis comparaverint? n. 268. an et quo sensu quaestionem, an liber sit canonicus, cum quaestione de origine apostolica ut identicam habuerint? n. 345. seqq.
Patritius quid docuerit de inspiratione rerum omnium et singularum? n. 86.; item de sensu mystico in N. T. n. 196.
Paulus, eius epistola ad Corinthios deperdita an inspirata fuerit? n. 349. in nota; an diem iudicii suo tempore adeo vicinam esse docuerit? n. 161. et 292. in notis.
Persona principalis in libro inspirato atque historico an in omnibus operibus et sermonibus debeat censeri irreprehensibilis et ab omni mendacio aliena? n. 154.; persona auctoris potest quidem suppeditare praeiudicium validissimum tum pro tum contra inspirationem, non vero argumentum per se ineluctabile n. 326. seqq. 341 seqq.
Petrus, eius confessio in Scriptura relata cur habeat perfectam auctoritatem? n. 143.; eius navicula habet significationem mysticam n. 206.; item festinatio eius et adventus ad sepulcrum Christi ibid.; visio eiusdem in Ioppe habita potius allegorica fuit quam mystica n. 209. in nota.
Pharao num ratione somniorum fuerit Propheta? n. 94.
Phoenix an testimonium habeat in Scriptura? n. 296. 297.

Phurim festum an institutionis et iuris divini fuerit? n. 276.
Piscis Tobiae insidians quantae magnitudinis credendus sit? n. 290. 292.
Poëtica locutio an et quatenus mutet aut modificet sensum alicuius loci? n. 294.
Pontifex V. T. quantam in sermonibus suis fidem mereatur? n. 135.
Possibilis est liber inspiratus carens sensu mystico n. 189.; possibile est, Deum singulis hominibus concedere revelationem immediatam n. 335.; aut Scripturam ferre testimonium pro seipsa ibid.
Praefatio ad Threnos et Ecclesiasticum an censeri possit inspirata? n. 325.
Praeservatio ab errore ad inspirationem non sufficit n. 51. seqq.; quoad verba quo sensu postulanda sit? n. 288. seqq.; ea per se sola etiam quoad verba et elocutionem ad nostrorum librorum inspirationem non sufficit n. 304. seqq.
Praevius impulsus ad inspirationem quomodo sit concipiendus? n. 60. 95. seqq.
Primitiva ecclesia non in omnibus fatis suis est figura futurorum n. 211.; bene vero in aliquibus n. 209.; primitivus Scripturae sensus qualis? n. 179.
Privata revelatio quid sit? n. 324.; ea etiam post tempora apostolica a Deo concedi potest ibid.
Probatica piscina habuit significationem mysticam n. 206.
Profani auctoris textus an et quo sensu adoptati sint ab hagiographis? n. 61. seqq.
Prooemium Evangelii Lucae exponitur n. 117. seqq.; secundi libri Mach. item explicatur n. 108. seqq. 277.
Propheta quam fidem generatim mereatur? n. 133.; nominatim qua persona privata n. 136.—138. coll. 141.; an semper necessario omnia, quae dixit aut scripsit, debuerit intelligere? n. 94. 313.; an tamquam persona privata libros edere potuerit? n. 342.; in prophetiis suis rapide ab una re ad aliam transire solet n. 295. in nota 2.
Prophetiae verae an librum, cui insunt, inspiratum esse demonstrent? n. 350.
Propheticus Scripturae sensus qualis? n. 179. 184. in nota.
Proposita, quae hagiographus in libro suo manifestat, frustrationi obnoxia sunt n. 170.
Proprius Scripturae sensus qualis? n. 179.; dividitur proxime contra tropicum et allegoricum n. 221.
Proverbia Salomonis scripta sunt sub lumine prophetico n. 83.
Psalmi sub lumine prophetico scripti sunt n. 83. in nota; Psalmi, qui imprecationes continent, quomodo sint intelligendi? n. 167. 169.
Pugna unius loci cum alio, aut cum doctrina revelata et cum veritatibus rationis manifestis a libro aliquo omnem inspirationem excludit n. 219. seqq.

Q.

Quaestio, quid sentiendum sit de sermonibus aliorum Scripturae insertis amplissima et magni momenti est n. 120.—122.; ea duplici via

solvi potest n. 123.; quomodo solvenda? n. 124. seqq.; quaestio de multiplici sensu Scripturae tam ad hermeneuticam quam ad doctrinam de inspiratione pertinet n. 178.; variae quaestiones de relatione inter inspirationem et sensum mysticum n. 186. seqq. 195.; quaestio, an sensus mysticus demonstrandi vim habeat? n. 192. seqq. 218.; eadem est quaestio de multiplici sensu literali n. 257.; quaestio, an N. T. habeat sensum mysticum n. n. 195. seqq.; quaestio de multiplici sensu literali haud spernenda est n. 228.; ea cum plena certitudine solvi nequit n. 230. seqq.; quaestio, an omnes libri ab Apostolis aut Prophetis scripti inspirati censendi sint n. 346. seqq.

R.

Raptus ad inspirationem non requiritur n. 101.; aliqua species eiusdem inspirationi minime repugnat ibid. in nota 2.

Rationalistae quid de inspiratione sentiant? n. 46. in nota.

Realis et verus Scripturae sensus opponitur mythico n. 179. 184.

Recensiones diversae eiusdem libri an et sub quibus conditionibus simul inspiratae esse possint? n. 320. 321. in nota, 325.; quid nominatim dicendum de variis recensionibus libri Tobiae? n. 329.

Regulae hermeneuticae an mutandae sint in hypothesi multiplicis sensus literalis? n. 241. 242.

Repugnantia rerum in libro inter se aut cum doctrina revelata aut cum veritatibus rationis manifestis cum inspiratione stare non potest n. 319. seqq.

Res in Scriptura contentae aliae sunt sacrae, aliae indifferentes aut profanae n. 32.—35. 285. 286. 287. in notis; omnes pariter errore carent n. 3. seqq. 285. seqq.; item omnes pollent auctoritate divina n. 11. seqq. 285. seqq.; res indifferentes in Scriptura elemento humano accenseri nequeunt n. 285. seqq.; res ad comparationem assumptae ab hagiographis an divina auctoritate fulciantur? n. 296. 297.; res eadem diversis verbis exprimi potest n. 262.

Resurrectio Christi est typus resurectionis nostrae n. 200. 201.

Revelatio aut in sensu stricto sumi potest aut in sensu lato n. 50. in nota coll. n. 88.; revelatio publica in Christo et Apostolis conclusa fuit n. 324.; revelatio coniuncta cum traditione catholica criterium universalissimum et certissimum pro inspiratione librorum constituit n. 332. seqq.; revelatio primitus facta conservanda et singulis applicanda est per magisterium authenticum n. 338.; revelatio primitiva de inspiratione alicuius libri cuinam facta credi debeat? n. 339.; an ipsis hagiographis ibid.; revelationis publicae instrumentum habemus in libris inspiratis et canonicis n. 36.

S.

Sabbatum habuit mysticam significationem n. 200.

Sacer de libro quid significet? n. 5.—8.; quid de sententiis? ibid.

Salomon an in rebus naturalibus maiorem fidem mereatur quam auctor hagiographus? n. 103. in nota coll. 290; num sit auctor libri Sapientiae? n. 150. in nota et 290. 292. 320. in nota 2.; quo sensu in eo libro loquens inducatur? ibid.; habet rationem typi n. 183.

Salutationes in epistolis Pauli pro mandatis humanis habendae sunt n. 176.

Samson an in omni agendi ratione sit probandus? n. 152.

Sanatio surdi et muti habet significationem mysticam n. 206.; item sanatio coeci ibid.

Sancti, eorum verba ac facta relata in Scripturis non semper in omnibus sunt probanda n. 152.

Sanctitas doctrinae infallibile criterium inspirationis non constituit n. 351.

Sanguis et aqua, quae fluxerunt e latere Christi, habent significationem mysticam n. 206.

Sapientia, an auctor libri Sapientiae sese identificet cum Salomone n. 150. in nota 290. 292. 320. in nota 2.; an asserat, foetum formari ex sanguine matris? n. 290. 292.

Scholastici an unanimi consensu docuerint inspirationem verbalem? n. 269.; communissime in Scriptura agnoverunt multiplicem sensum literalem n. 255. seqq.

Schwetz, eius sententia de ratione, qua singula sensa hagiographis divinitus suggesta fuerint n. 86. in nota.

Scissio veli in templo habet significationem mysticam n. 206.

Scopus et indoles libri inservit ad discernendum in eo elementum materiale et formale n. 284.; item docet, quantum in rebus narratis ordo historicus retinendus sit n. 295.

Scriptores hagiographi vide auctor.

Scriptura quo sensu nominetur sacra, divina, canonica? n. 5. 9. 58. 59.; ea in omnibus suis partibus est immunis ab errore n. 2. seqq.; item divina pollet ubique auctoritate n. 11. seqq.; est verbum Dei scriptum n. 14. 58. 59.; Deum habet auctorem n. 20. seqq.; quomodo id sit concipiendum? n. 75. seqq.; saepe non ex propria persona loquitur sed continet dicta aliorum n. 120.; aliquando indeterminate aut dubitanter loquitur n. 162.; aliquando affectus humanos exprimit n. 167.; aut praecepta ac mandata proponit mere humana n. 171. seqq.; an semper afferat argumenta et rationes invictas? n. 165.; an citet aliquando alios Scripturae locos in sensu accommodato? n. 166.; an loquatur aliquando minus proprie? n. 289. 293.; aut ex opinione hominum? n. 291. in nota; ea habet sensum mysticum n. 188. seqq.; an habeat etiam multiplicem sensum literalem? n. 222. seqq.; Scripturae finis qualis? n. 285. 286. 298. seqq.; eius stilus n. 300. seqq. 309. seqq.; eius inspiratio, vide sub hac voce.

Sensus Scripturae quotuplex cogitari possit? n. 179.; is aliquando accommodatus, allegoricus, anagogicus, derivatus, historicus, literalis, moralis, mysticus, mythicus,

parabolicus, primitivus, propheticus, realis, spiritualis, symbolicus, tropologicus, verus dicitur ibid.; cetera vide sub his vocibus.

Sensus theologorum et Patrum de divina Scripturae auctoritate n. 16. 17.; item de multiplici sensu literali eiusdem n. 231. seqq. 235. seqq.; pariter de inspiratione verbali n. 264.—268.; idem respiciendus est pro distinguendis legibus iuris humani et divini relatis in Scriptura n. 175.

Sententia Bonfreri de inspiratione qualis fuerit? n. 46. 47.; item Dupinii ibid.; Lessii ibid.; Rationalistarum ibid. in nota.

Sermones aliorum in Scriptura relati quam fidem generatim mereantur? n. 124. seqq.; in specie de sermonibus Dei et Christi n. 129.; Angelorum ceterorumque coelitum n. 130.—132.; B. M. V. n. 133. in nota; Apostolorum et Prophetarum n. 133. 136. seqq.; ecclesiae et conciliorum n. 134.; synagogae aut Pontificis V. T. n. 135.; Iob et amicorum eius n. 148. 149.; diaboli n. 140.; sermo humanus quid agere aut exprimere soleat? n. 157. 287. in nota.

Servitium a Iudaeis iussu Herodis Magis exhibitum habet significationem mysticam n. 206.

Signa hieroglyphica an et quando librum constituant? n. 49. in nota.

Silentium Scripturae aliquando mysterium continet n. 213. seqq.

Singulares quidam loci ad inspirationem verbalem proxime accedunt n. 311. seqq.

Singuli textus inspirati sunt n. 30. seqq.; singulis hominibus concedi potuit illustratio specialis et immediata de librorum inspiratorum existentia n. 335.; at de facto non conceditur ibid.

Sol quo sensu a Iosue stare iussus sit? n. 292.

Spes, quam hagiographus in libro suo manifestat, pro futuro fallere potuit n. 170.; aliquando prophetiae aequivalet ibid.

Spiritualis sensus qualis? n. 179.; minus apte sensus mysticus generatim spiritualis dicitur n. 184 in nota.

Status N. T. intermedius est inter statum gloriae et statum V. T. n. 201.

Stephani sermo in Actibus Apost. relatus an absolutam et divinam fidem exigat? n. 144. 153. in nota.

Stilus Scripturae quam sit elegans? n. 303.—303.; et hominum indoli conveniens n. 309. 310.; generatim indoli, aetati etc. scriptoris humani congruit n. 271.; interdum nonnullis laborat defectibus grammaticis et historicis ibid. et n. 355.; quare validum suppeditat argumentum contra inspirationem verbalem n. 273.; stilus per se criterium inspirationis non constituit n. 354. 355.; stilus secundi libri Machab. an adeo rudis sit? n. 112. in nota.

Sublimitas et copia sensuum non necessario postulat sensum multiplicem n. 189.; nec constituit infallibile criterium inspirationis n. 351. 352.

Symbolicus Scripturae sensus qualis? n. 179.; est species sensus literalis n. 180. 221.; in quo a mystico differat? ibid.

Synagoga, quam fidem eius doctrina in Scripturis relata sibi vindicet? n. 135.

*

T.

Tabernaculum foederis habuit significationem mysticam n. 183.

Tempus apostolicum charismati inspirationis publicae finem imposuit n. 324.

Testes duo in Apocalypsi a variis varie accipiuntur n. 210. in nota.

Testificatio humana pro dignoscendis libris inspiratis non sufficit n. 330. 356.—359.; item non sufficit testificatio ipsius scriptoris, nisi reducatur in testimonium divinum ibid.; bene vero testificatio ecclesiae ibid.; testificatio Scripturae de se ipsa possibilis est n. 335.; at per se sola insufficiens apparet ibid.

Textus singuli sunt inspirati n. 27. 30. 31.; an et quo sensu textus profani ab hagiographis plene adoptati fuerint? n. 61. seqq.; textus originalis an quoad inspirationem prae versionibus excellat? n. 281. 315.

Thomas Aquinas, eius doctrina de ratione, qua res singulae hagiographis divinitus inspiratae fuerint n. 85.; ipse docet, sensum mysticum solis libris inspiratis inesse posse n. 190.; haec doctrina aliquantulum temperenda videtur n. 191.; etiam in N. T. et quidem non in solis Evangeliis agnoscit sensum mysticum n. 208. in nota; non tamen ubique n. 211.; defendit sententiam de multiplici sensu literali n. 283.

Titanes an in Scriptura testimonium habeant? n. 296. 297.

Tobiae libri an et quo sensu plures recensiones inspiratae admitti possint? n. 329. coll. 319.—221. et 315 in nota.

Traditio catholica ex revelatione primitiva originem ducens est criterium certissimum simul et universalissimum pro inspiratione librorum n. 332. 333. 359.; est criterium omnino necessarium ibid. et n. 358.

Tres mortui, quorum suscitatio refertur in Evangeliis, habent significationem mysticam n. 217.; an illi soli a Christo suscitati fuerint? ibid.

Tridentinum loquens de libris sacris quid sub nomine partium intellexerit? n. 6. 7.

Tropicus Scripturae sensus qualis? n. 222.; est species sensus literalis ibid.; suo modo dici potest sensus directus et immediatus ibid.

Tropologicus Scripturae sensus qualis? n. 179. 180.

Turbatio animi in Christo habuit significationem mysticam n. 206.

Typicus Scripturae sensus qualis? n. 179.; minus accurate pro mystico in genere sumitur n. 184. in nota; magis convenit V. T. quam N. n. 195.; non tamen V. T. exclusive inest n. 201.

Typus quid sit? n. 199.; an typi necessarii sint pro sensu mystico? n. 199. seqq.; an repugnent pro N. T. aut saltem ibi nullatenus recurrant? ibid.; exempla typorum n. 183. 194. 200.; an typus necessario antitypo sit inferior aut tempore prior ac notior? n. 199.

U.

Usus et utilitas Bibliorum a Deo intenta accurate describuntur n. 300.

V.

Verbalis inspiratio olim a multis propugnata fuit n. 259.; eorum argumenta afferuntur et refelluntur n. 260. seqq.; quid Patres de hac re senserint? n. 264. seqq.; quid schola? n. 268.; ea non requiritur ad hoc, ut liber verbum Dei scriptum dici possit n. 260. 261.; argumenta, quibus verbalis inspiratio efficaciter excluditur n. 271. seqq.; latiori sensu doctrina de inspiratione verbali aliquid veri habet n. 260. 282. seqq. 311. seqq.

Verbum Dei scriptum habetur in Bibliis n. 14. 58. 59.; pro eodem inspiratio verbalis haud requiritur n. 260. 261.; verba in Scriptura aliquatenus ad elementum divinum pertinent n. 288. 289. 305. seqq.; quare certe Deus auctori sacro in verborum electione continuo assistebat n. 288. 289.; imo Deus circa verborum electionem magis adhuc active se habuit n. 305. seqq.; verba sensum non mutant, eo quod locutio poëtica sit, aut auctor tamquam testis de visu loquatur, aut res scribendas in visione prophetica acceperit vel spectaverit n. 294.; verba Angelorum, Apostolorum, diaboli, Elisabeth, Esther, Iob etc. quam fidem mereantur vide sub his vocibus i. e. n. 129. seqq.

Versio an sit minus inspirata, quam textus originalis? n. 281. 315.; versio latina aut graeca an per se inspiratae censeri possint? n. 320. 321. 325. 333. in nota; versio graeca an aliquando citetur in N. T. in iis, ubi a textu originali discordat? n. 333. in nota; versiones an suppeditent argumentum validum contra inspirationem verbalem? n. 280. 281.; eaedem suppeditant normam ad elementum humanum a divino distinguendum n. 315.; an et quatenus variae versiones eiusdem libri simul inspiratae esse possint? n. 319.—321. 325.

Verus et realis Scripturae sensus opponitur mythico n. 179.

Vetus Testamentum qua ratione citetur et adhibeatur in N. T.? n. 15. 325.; habet characterem typicum n. 183.; ideo ei maxime convenit sensus mysticus n. 195. 203.

Vis demonstrandi an insit sensui mystico? n. 192. seqq.; item an insit Scripturae secundum multiplicem sensum literalem? n. 257.

Visio Petri in Actibus Apost. non habet significationem mysticam sed allegoricam n. 209. in nota

Voluntas hagiographi sub quali influxu divino constituta fuerit? n. 95. 96. 99. 100.

W.

Welte quid de libro Iob et de auctoritate variarum illius partium docuerit? n. 139. in nota.

Praeter nonnulla leviora

Errata:			Corrige:
Pag.	20.	l. 3. fecit	gerit.
«	45.	l. 4. persringit	perstringit.
«	47.	l. 34. nos	dele.
«	64.	l. 28. esse	dele.
«	88.	l. 21. inspiratur	inspiratus.
«	99.	l. 38. qui eo	qui in eo.
«	155.	l. 33. cui	cur.
«	249.	l. 42. sect.	art.
«	251.	l. 16. quantumque	quantumcumque.
«	399.	l. 25. fnormam	normam.
«	«	l. 26. erri	ferri.

220.15
Sch 52
32677
SCHMID, FRANCISCUS
AUTHOR
De Inspirationis Bibliorum Vi et
TITLE Ratione

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - COSA

32677